FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

D. RADVLPHI || ARDENTIS PICTA=||VI, DOCTORIS THEOLOGI || PERANTIQVI ILLVSTRISSIMI || Aquitaniæ Ducis Gulielmi, Concionatoris disertiss. || in ...

Radulfus <Ardens>

Antverpiae, 1571

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154891

Visual Library


24.



~~149.g.10~~
~~7 f 5~~
45, K. 2



24.



149.9
75
45,

Gollb.
Fömblg. mdtgod. Hrn.
Apgorismi.

Mittam famulum meum, quia famulum meum
aut filium, sed famulum audiendi & obe-
diendi.

Vbi est illa fumosa dulcedo domini Ebe-
nezer grossata & clamat Prophe-
tam dulcia fumosa medii Oxonien-
sium & superbe inflat famu-

domus Ezechiel de
[illegible] disputatio, quasi in scholis
constituta, magistros & publicos
professores & quicquid studiosi ad scho-
las famulum putant

D. RADVLPHI ARDENTIS PICTAVI, DOCTORIS THEOLOGI PERANTIQVI ILLVSTRISSIMI

Aquitaniæ Ducis Gulielmi, Concionatoris disertiss. in Epistolas & Euangelia Dominicalia, Homiliæ, Ecclesiasticis omnibus plurimùm necessariæ, & ante annos propè quingentos ab Auctore conscriptæ, nunc primùm in lucem editæ.



ANTVERPIAE
In ædibus Viduæ & Hæredum
Ioannis Stelsij.
M. D. LXXI.
Cum Gratia & Priuilegio.

Regia Maiestas permisit vt Homiliæ Radulphi Ardentij Doctoris Theologi perantiqui, impunè imprimerentur, perq; omnes regiones suas liberè distraherentur, veluti patet in literis ab eadem Maiestate concessis, & subsignatis,

Facuvvez.

REVERENDO PATRI IOANNI COQVCIO, ABBATI

Morimundi, ac Doctori Theologo Parisiensi, Claudius Fremy, salutem & pacem per Christum exoptat.



Ompertum habes (Abbas prudentissime) quantus his nostris deprauatis temporibus scripturientium sit prurítus, quantaq; scribendi luxuries & affectatio, vt magis de religione nostra Christiana, eos mereri existimẽ, qui antiquorũ Patrum libros diuino spiritu afflatos, carie & vetustate consumptos, transcribũt, repurgant, emungũt, suo candori restituũt, atque in lucem curant emittendos, quàm istos, qui philautiæ spiritu rapti, non sine magna nostrorum hominum iactura, suas futiles, vanas, ac interdum noxias nænias & quæstiones (quæ lites generant) obtrudunt: quũ interim nihil nisi à veteribus prius dictum, verborum tantùm ampulloſa libertate absque sententiarũ vllo pondere, nobis proponat. Quocirca cùm plurimos veterum libros à blattis & tineis repurgandos suscepissem, maximè autem intellexissem has doctissimi Radulphi Ardentis Homilias ante quingentos annos apud suos habitas, non paucorum, eorumq; doctorum ac piorum hominum calculis comprobari, omnem laborem ac studium in his transcribendis, prælo q; committendis adhibui. Iis etenim quo pacto iustitiæ sese assuefacere quis debeat, continetur: Docet quippè noster Ardens vnicuique suum esse reddendum: vtpotè Deo religionem, nobis munditiam, parentibus honorem, domesticis prouidentiam, maioribus obedientiam, minoribus gubernationem, æqualibus societatem, bonis dilectionem, malis correctionem, oppressis misericordiam, omnibus

autem æquitatem. His denique Homiliis instruimur quo pacto dilectio proximi sit conseruanda. Quæ (vt nostri Ardentis verbis vtar) Deum nobis reddit propitium, proximos benevolos efficit, inimicos reconciliat, diabolum superat, malum ignorat, aduersa æquanimiter portat, prospera sapiêter temperat, omnia communicat, & nunquam excidit. Quod mecum reputans, lubenti animo illas edendas curaui, vt populus Christianus & Catholicus in illa vnione, charitate, & dilectione, quam â parentibus antiquis accepit, permaneat: tum vt tanti auctoris scriptis hæ nostri seculi sectæ ac dissentionis pestes, quæ indies, magis ac magis pullulant, radicitus euellantur. Decreui autem me tibi antiquitatis & pietatis amantissimo, illas credere, vt harum patrocinium suscipias. Quod si egeris, quæ restant illius Ardentis opera breui accipies. Seruet te Deus Opt. Max. Abbatum decus, Ecclesiæ suæ sanctæ multo tempore incolumen.

Vale. Parisiis
Nonis Marj.
1564.

AVCTO-

AVCTORIS VITA
EX EIVSDEM LIBRIS
EXCERPTA.

RAdulphus Ardens Pictauus, viculo qui vulgò (Beau-lieu) dicitur, in agro Berchoratũ, quorum Plinius meminit libro 4. cap. 19. claris parentibus & perquam nobilibus ortus: subinde à pueris libris operam dedit. In quibus (vt erat ingenij ardentis) ita profecit, vt ante tricesimum suæ ætatis annum, Doctoris Theologi assequeretur gradum. Fuit in docendo in scholis promptus, & in declamando ad populum in templis (maximè in Ecclesiæ cui præfuit) assiduus, vnde celebrior factus, à Guilielmo quarto Aquitanorum Duce, in Curiam (vt de se scribit in Prologono) raptus, has Homilias inter arma descripsit, dum interesset Principi à conciliis & concionibus. Scripsit sermone equidem dulci atq; facundo.

Item grande opus, quod Speculum Ardentis inscripsit, quatuordecim libris distinctum. Habetur Berchorij in bibliotheca Franciscanorum, nodum typis excusum.

Item epistolarum lib. 2.

Item historiam sui temporis, nempè Belli

Godefredi de Buillon in Sarracenos, cui assecla Ducis Aquitaniæ interfuit.

Scripsit pleraque alia, vt ipse de se testatur in suo Speculo. Floruit verò circa tempora Philippi primi Francorum Regis, ab Anno Domini 1040. vsque ad 1100.

Dominica Prima

ADVENTVS.

Hora est iam nos de somno surgere, &c. Rom. 13.

His verbis, fratres charissimi, hortatur nos Apostolus, vt ad secundum filij Dei aduentum præparemur. Duo quippè sunt eius aduentus visibiles: primus præteriit, secundus venturus est. Primus fuit in humilitate, secundus erit in maiestate. Primus fuit occultus, secundus erit apertus. Primus misericordiæ fuit: secundus erit iustitiæ. In primo venit iudicandus: in secundo veniet iudicaturus. In primo venit vocare peccatores per misericordiam: in secundo veniet reddere vnicuiq; quod meruit per iustitiam. Ad hunc ergo vigilanter expectandum exhortatur nos Apostolus hoc modo: Primò monet nos surgere à somno. Secundò subdit causam quare citò surgendum sit. Tertiò ostendit quomodo ab isto somno surgatur. Monens ergo nos surgere, ait: *Hora est iam nos de somno surgere.* In quo fratres, considerandum nobis est, quis sit iste somnus, & quæ sit hora surgẽdi. Est autẽ somnus, triplex: Primus est naturæ, secundus mortis, tertius peccati. De primo dicit Poëta: *Quod caret alterna requie, durabile non est.* De secundo dicit Apostolus, Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent, vocans mortuos dormientes: quoniam Deo non pereunt corpora nostra moriendo, sed mutantur in melius: quoniam quantum facilè est alicui excitare dormientem, tam facilè, imò facilius est Deo excitare defunctum. Vnde ipse Dominus ait, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem illum. De tertio legitur, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & excitabit te Christus. Vocat dormientes & mortuos qui in peccatis mortalibus perseuerant, & conuenienter, quoniam benè dormit, qui non sentit quàm malè dormiat. Sicut enim dormiens clausis oculis, non cauet ne quid sibi mali inferatur: ita dormiẽs in peccatis, clausis oculis rationis, non cauet sibi à gehenna quæ ei

Duo Christi aduentus.

Somnus triplex, naturæ, mortis, & peccati.

Corpora nostra moriendo, nõ pereunt, sed mutantur in melius.

paratur. Ab hoc ergo peccati somno hortatur nos Apostolus surgere, dicens: *Hora est iam nos de somno surgere.* Porrò hora est, alia tẽpestiua, alia sera, alia infructuosa. Hora tempestiua est, vt dũ viuimus, dum valemus, dũ peccare possumus, peccare cessemus: vnde Apostolus, Operemur bonum fratres, dum tempus habemus. Hora sera est hora mortis. Vnde Augustinus, Age pœnitentiam dum sanus & securus es: quia pœnitentiã egisti, cùm peccare potuisti: si verò vis agere pœnitentiã cùm iã peccare nõ potes, peccata te dimiserunt, nõ tu illa. Non negatur tamen hìc fratres, quin in fine veram possit consequi misericordiã, qui veram habuerit contritionẽ, cùm scriptũ sit: Pœnitentia quantumcunq; sera, nõ est infructuosa. Et quacunq; hora peccator ingemuerit, vita viuet. Sed quoniam vix vel rarò in fine datur peccatori vera contritio: Alius enim exigentibus peccatis morte præuenitur: alius ex grauitate infirmitatis amittit memoriã, alius loquelam, alius plus dolet temporalia nimis amata relinquere, quàm peccata cõmisisse, hinc contingit quod rari in fine verè pœniteant. Sed & si quis verè pœniteat, transeundũ tamen ei est per purgatoriũ ignẽ, qui excedit omnẽ, quẽ hìc sentiri possit, aspe ritatem. Hora verò infructuosa est pœnitere post mortẽ. Pœnitebunt quidẽ damnati in inferno, & valde pœnitebunt, sed illa pœnitẽtia non erit eis ad remediũ indulgentiæ, sed ad augmentũ pœnæ. Pœnitentes nanq; plangent & dicent, operari dum licuit, voluntas mihi defuit. Nunc voluntas tribuitur, sed facultas adimitur. Itaque fratres, dum licet pœniteamus: Et bona operemur dum dies est, quia venit nox in qua nemo potest operari. Tunc enim tempus erit non serendi, sed metendi.

Hora tempestiua.
Hora sera.
Hora infructuosa.
Dum licet pœnitendũ

Sequitur pars secunda, in qua ostẽdit Apostolus causam quare à somno peccati citò surgere debeamus: dicẽs: *Nũc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus*, id est, quàm cùm ad fidẽ vocati fuimus. Ac si dicat: citò fratres, à somno peccati surgere debemus, quoniã iam instat tempus salutis nostrę. Tempus autẽ, fratres, nostræ salutis est, vel dies mortis vniuscuiusq;, in qua anima induitur stola incorruptionis: vel dies Iudicij, in qua corpus cũ anima, stola gaudebit immortalitatis. Hæc verò dies iam propè

est:

est: quoniam, & si dies iudicij quibusdam videtur remotior, tamen vnicuique dies mortis suæ instat propinquior. Et in quo puncto quis exibit de seculo, in eo est iudicãdus à Domino. Vnde Salomon: Vbicunque lignum ceciderit, siue ad austrũ, siue ad aquilonem, ibi erit. Surgamus igitur fratres, surgamus de fœce peccatorum nostrorum dũ possumus, quoniã iam aderit tempus in quo non poterimus. Nemo confidat de iuuentute sua, quoniam iuxta Euangelium quosdam Deus vocat in prima vigilia, id est in pueritia: alios in secunda vigilia, id est in iuuentute: alios in tertia vigilia, id est in virili ætate, alios in quarta, id est, in senectute. Nemo dicat, Cùm senex fuero, pœnitentiam agam. Nam quis dedit tibi tantum spatium vitæ? Et quotidie pueri moriuntur: & si tu viuere non potes, hæc est senectus tua. Heu quàm multos subita mors præuenit. Et reperitur in lecto gelidus, qui modò sanus erat. Ideò enim fratres Deus nos mortis nostræ terminum ignorare voluit, vt semper timeremus, semper mortem expectaremus, & ad eam suscipiendam præparemur. Conuertimini igitur fratres, conuertimini dum licet. Nam differentibus hæc contingunt, quod aut à morte præueniuntur, aut à cupiditate impediuntur. A morte præueniuntur, qui antequam putarent, sine testamento & sine emendatione moriuntur: à cupiditate impediuntur, qui consuetudine cupiditatum impediti, nec in senectute corriguntur. Præparemur igitur fratres ad mortem antequam veniat: & vincamus cupiditatem, antequam in cõsuetudinem durescat. Vigilemus, quoniã nescimus diem neq; horam: Quoniam dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. Aliam causam quare surgere debemus, subdit Apostolus, dicens: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Vocat autem fratres, hic noctem, tenebras ignorantiæ vel peccati, quæ præcesserunt aduentum Christi: diem verò, tempus gratiæ, in quo nuptiæ Christi & Ecclesiæ incipiunt celebrari. Vt ergo fratres, tempori gratiæ & nuptiarum concordes & concolores simus, à tenebris peccatorum surgamus. Vnde & subdit: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum.* Est autem fratres, hæc pars tertia, in qua ostendit Apostolus quomodo à somno peccatorum sit surgendum.

Nemo cõfidere debet in sua iuuentute.

Mat. 25.

hoc autem fit per pœnitentiam, declinando scilicet à malo, & faciendo bonum: fugiendo vitia & sequendo virtutes. Itaque fratres, secũdum præceptum Apostoli, abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Dicũtur autem peccata opera tenebrarũ triplici ratione, tum quia qui malè agit, odit lucem naturaliter. Vnde & primus homo post peccatũ, se sub ficu abscondit. Tum, quoniam peccata mentem excitant interius. Vnde Dominus, qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat: Tum quoniam ad exteriores tenebras, id est, infernales, pertrahũt. E contrario, bona dicuntur arma lucis: Arma, quia per ea diabolum repellimus & expugnamus. Lucis, tum quoniam bene operans, nõ habet necesse sese recondere. Qui, & si ob humilitatem quandoq; se recondat, si in opere reperiatur non habet vnde erubescat: tum quoniã mẽtem illuminat: tum quoniã ad lucem nos ducunt sempiternam. His itaq;, fratres armis lucis induamur, & sicut in die honestè ambulemus, vt in nuptiis Christi, cum nuptiali veste nos exhibeamus. Quæ verò sint opera tenebrarum, enumerat Apostolus, dicens: *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, nõ in cõtentione & æmulatione.* Est autem commessatio, superflua frequẽs & luxuriosa epulatio, nec in mensura, nec in tẽpore, nec in modo, modum obseruans. Hæc fuit causa Sodomitis vt caderent in luxuriam abominationis. Hæc fecit Israëlitas manna fastidire: & malo suo carnes postulare. vnde scriptum est, Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos. Ebrietas est mentis alienatio, ex potu intemperato prouenies. Hæc virilia Noë nudauit, hæc Lot filiabus miscuit. Hæc hominem à se alienat, officio membrorum priuat, in multa crimina precipitat. Per cubilia vero hic intelligimus somnolentiam & torporem, quæ hominem emolliunt & eneruant, & in vana prauaq; desideria præcipitant: secundum illud Sapientis, In desideriis est omnis otiosus. Nam vbi desidia, ibi vana desideria. Sanè cibus & potus & somnus sumendi sunt cum temperantia, sicut medicamenta, loco, tempore, modo & mensura: & sic sumpta iuuant, alias nocent. Per impudicitiam quoque intelligimus hic omnem luxuriam, quæ fit præter legitimum

Peccata dicũtur opera tenebrarũ triplici ratione.

Ioan. 12.

Bona dicuntur arma lucis.

Opera tenebrarum.

Cõmessatio quid.

Ebrietas quid.

Cubilia.

Impudicitia.

mum complexum, vt fornicationem, adulterium, mœchiam, incœstum, Sodomiticam luxuriam. Amor etiam vsus propriæ mulieris intemperatus, crimen habet. Hęc autem quæ diximus quatuor vitia corporalia, tripliciter nocent: animã damnant, corpori infirmitates generant, res paternas dilapidant. Contentio verò est impugnatio veritatis, per confidentiam clamoris. Verum, vt ait alibi Apostolus, seruum Dei non oportet litigare. Si tua nihi refert, cede contendenti. Si verò refert, cum ratione age, contentionem fuge. Æmulatio est peruersitas mentis de bono alterius dolentis, & de damno gaudentis. Hæc fratres, tanto nobis fugienda est, quanto plus est opposita charitati, quæ nouit gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Est autem quædam æmulatio bona: Æmulari scilicet bonum alterius per imitationem. Vnde Apostolus, Æmulamini carismata meliora. Postquam verò Apostolus vitia à corpore, ab ore, & à mente iussit remouẽda, iubet nos virtutes prædictis vitiis contrarias induere, dicens: *Sed induimini Dominum Iesum Christum*, id est, nouitatem eius eũ scilicet imitando. Itaq; fratres, dum licet, cum omni celeritate vitia abiiciamus, & eorum virtutes contrarias induamus, abstinentiam, sobrietatẽ, & vigilantiam, castimoniã, pacem, charitatem sectemur: vt his ornati, Christo venienti ad nuptias securi obuiemus, vt cum eo in æternum regnare valeamus, ipso largiente (cuius aduentum hodie celebramus) Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

Contentio quid.

Æmulatio.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Mar. 1.

Initium Euangelii Iesu Christi filii Dei sicut scriptum est in Esaia propheta, & reliqua. Sicut audistis fratres charissimi, Marcus Euãgelista, Euangeliũ suum incipit à præcursione Ioannis: & quare hoc faciat statim in exordio reddit causam, cùm dixit, *Initium Euangelii Iesu Christi, &c.* Facit itaq; tria: Primò dicit præmissionem Ioannis esse initium Euangelij, Secundò idem probat prophetica auctoritate. Tertiò demonstrat quomodo Ioannes Christo viam præparauit. Inchoans ergo ait: *Initium Euangelii Iesu Christi*, subaudis, hoc est, quod scilicet Ioannes ante Christum præmissus est. In quo fratres tria consideranda sunt.

Quid

Euangeliũ quid.

Quid sit Euangelium: Et quare dicatur Iesu Christi filij Dei, & quomodo exordium à Ioanne habuerit. Est igitur Euangelium bona annunciatio de fide & moribus ad salutem. Ostenditur autem in hac definitione vnde dicatur Euangelium, & de quibus sit, & ad quem finem ducat. Vnde dicatur, ostenditur per nominis Etymologiam. Euangelium enim bona annunciatio interpretatur, ab eu, quod est bonum, & angelos, quod nuncium dicitur. De quibus sit ostenditur, cùm subiungitur de fide & moribus. Est enim Euangelium de fide trini & vnius Dei, & de mysterio incarnationis filij, & de cæteris articulis fidei, quæ in Symbolo continentur. Est & de moribus, id est, de doctrina rectè viuendi. Ad quem verò finem nos ducat, declaratur cùm dicitur, ad salutem. Per fidem enim veram & bonam vitam ducit nos in salutem æternã. Non enim fratres sufficit fides sine moribus bonis, nec boni mores sine fide. Fidem enim habet diabolus, sed non habet bonos mores. Et Gentilis aliquis vel Iudæus habet bonos mores, sed non fidem: & ita vterque reprobatur. Sed si quis habet fidem & bonos mores, proculdubio ad salutem tendit. Et quæ, fratres mei quæ annũciatio potest esse melior, quã annuntiare illa per quæ perpetua salus habetur. Itaq; fratres, semper Euangelium & auribus captemus, & corde teneamus, & ore pronũtiemus, & operibus impleamus. Quid enim insanius quã contempto vitæ verbo: aures fabulis scurrilibus & detractionibus aperire? Quid insanius quam cõtempto Euangelio, bucolica carmina, Comœdias, & cæteras vanitates legere & docere? Talibus quippè veritas dicit, Qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Et quare Euangelium dicitur Iesu Christi filij Dei? Quia & si plures sint Euangelij scriptores, tamen solius Christi est Euangeliũ tanquam auctoris materiæ & promulgatoris. Ex eo nanq; & de eo, & per eum, habemus Euangeliũ: vnde Paulus Euangeliũ, non ab homine, neq; per hominem, sed per reuelationem Iesu Christi se accepisse gloriatur.

Non sufficit fides sine bonis moribus.

Ioan. 8.

Prærogatiua Euangelij.

In quo, fratres, super omnes doctrinas Euangelij prærogatiua demonstratur quæ non solùm sua honestate & vtilitate sublimatur, sed etiam dignitate auctoris, materiæ, & pro-

promulgatoris Iesu, scilicet Christi filij Dei, commendatur. Exorsus est autem Ioannes Euangelium primus prædicare, quoniam ministerium Trinitatis & incarnationis præcedētibus obuelatum, apertè prædicauit: dum & agnū tollentem mundi peccata demonstrauit: Et super ipsum baptizatum, Patrem in voce, in columba Spiritum intellexit. Pœnitentiam quoq;, & cœlorum regnum, antiquis inauditum prædicauit. Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. *Ioan. 1.*

Sequitur pars secunda, in qua probat Euangelista testimonio Prophetæ, præcursionem Ioannis, initium esse Euangelij: iuxta id quod Dominus in Euangelio ait, Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem, quasi diceret, A Ioanne incipit Euangelium. Hoc ergo est quod ait Propheta loquens in persona Patris ad Filium: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem, id est ante præsentiam siue notitiam tuam. Sanè angelus, id est nuntius, tria facit. Domini aduentum præcedit, non suam, sed Domini auctoritatem gerit. non sibi, sed Domino hospitium parat, & honorem quærit. Sic Ioannes aduentum Christi tanquam præcursor præcessit, iuxta quod angelus prædixerat de eo: Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Non suam sed Christi auctoritatem prædicauit. Non sum inquit ego Christus, non sum sponsus, sed amicus sponsi. Non sibi sed Domino viam & hospitiū præparauit. Vnde & sequitur, *Qui præparauit viam tuam ante te*. Præparauit enim Ioannes Christo viam prædicādo, baptizando, demōstrando. Non solùm autem Ioannes, sed etiā quilibet prædicator, & quilibet fidelis, qui verbum vitæ peccatoribus annuntiat, angelus Dei dici potest, dum ei viam & hospitium in cordibus hominum præparat. Vnde Malachias, Labia, inquit, Sacerdotis custodiunt scientiam, & legē requirent de ore eius: Angelus enim Domini exercituum est. Itaq; fratres, nos qui nouimus legem Dei, aliis annūtiare nō cessemus, & ei viam ad corda hominū præparemus, nō nostrū, sed eius honorem in omnibus quæramus, vt officio & nomine angelorum digni esse mereamur. Ad quod nos hortatur Psalmista, dicēs. Iter facite ei qui ascēdit super occasum, Dominus nomē illi. Super occasum dominus ascendit, *Præcursio Ioannis initium Euāgelii.*

cendit, cùm mortem resurgendo superauit. Huic iter facimus, dum verbum eius aliis annuntiamus. Nam prædicatione personante ad aurem, Dominus venit ad mētem. Vnde & sequitur, *Vox clamantis in deserto.* Porrò vox habet tria, præcedit verbum, significat verbum, citò transit, verbo in corde permanente. Ita fratres, Ioannes fuit vox clamantis. Præcurrit verbum Dei, illud prædicando, & demonstrando significauit. Citò eius prædicatio & opinio transiit, verbo Dei semper permanente. Clamabat autem in deserto Iudeæ, scilicet ab omni bono iam desertæ, in qua non sata virtutum, sed spinæ vitiorum crescebant, & monstra scelerum non imago Dei habitabat. Non solùm autem Ioannes, sed & nos fratres, vox clamantis sumus, si in deserto huius mundi peccatores increpamus, si eos comminatione gehennæ terremus, si verbum Dei in cordibus eorum, verbo & exemplo seminamus. Quid clamabat? *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Vna est via magna, per quam multi vadunt. Semitæ sunt plures, angustæ & compendiosæ. Via igitur est Christiana religio, per quam plures ad Deum vadunt, & Deus ad plures venit, Semitæ, sunt compendiosi & arcti modi viuendi, vt vita eremitica, claustralis & recluſa. Vtraq, fratres debent parari, vt quatuor habeant, directionem, equalitatem, rectitudinem, & planiciem. Directionem finis vt ad Christum ducat, qui est finis ad iustitiam omni credenti. Nisi enim ad Christum ducat, non est via, sed inuium. Propter hoc ait Propheta, *Rectas facite semitas eius.* Aequalitatem, vt scilicet non eleuetur per montes superbiæ, nec præcipitetur per valles desperationis. Propter hoc subiungit Propheta: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur*, vt scilicet æqualitas inter præsumptionem & desperationem teneatur. Rectitudinem, vt scilicet, nec ad dexteram declinent, nec ad siniſtram, sed mediocriter teneant. Ita scilicet teneant rectitudinem iustitiæ, quod non declinent à dextris ad nimiam laxitatem, nec à siniſtris ad crudelitatem. Ita teneant fortitudinem, quod non declinent ad audaciam, nec ad timiditatem. Ita teneant sapientiam, quòd non declinent ad calliditatem, nec ad simplicitatem. Ita teneant temperantiam, quod non decli-

declinent ad nimietatem, nec ad minoritatem. Ita teneant largitatem, quod non declinent ad prodigalitatem, nec ad auaritiam. Ita castigent corpus, quod non luxuriet, nec deficiat. Quid plura? Ita teneant virtutes, quod vitia euitent collateralia. Propter hoc ergo subiungit Esaias. *Et erunt praua in directa*, vt scilicet torturis ablatis, sola rectitudo teneatur. Planitiem, vt scilicet non habeat paludes voluptatum & libidinum, nec scrupulos secularium sollicitudinum. Quid enim fratres mei quid sunt voluptates & libidines, nisi quædã paludes quæ animam maculant & retardant. Et quid sunt sollicitudines huius mũdi, nisi quædam offendicula, quæ animam præcipitant vel retardant? Propter hoc ergo ait Propheta, *Et aspera in vias planas*. *Esa. 4.*

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Euangelista quomodo secundum præfatum Esaiæ testimoniũ, Ioannes Christo prępararuerit viam, dicens: *Fuit Ioannes in deserto prædicans & baptizans baptismo pœnitentiæ in remissionẽ peccatorum*. Ioannes quippe more boni prædicatoris, non solùm verbo, sed etiam exemplo viam Christo pra parauit. Et prius in se, pòst in aliis. In se viam Christo præparauit, vnde sanctitatem eius exponit Euangelista, Fuit inquit Ioannes in deserto. In aliis, viam Christo præparauit, vnde & plures ad eum confluxisse referuntur, cùm dicitur: *Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, &c.* Præcucurrit igitur lucerna lucens prædicando ea quæ Christus erat prædicaturus. Christus siquidem erat prædicaturus mundo pœnitentiam, baptismum, vtramque sui naturam, moralem doctrinam, secundum aduẽtum, gloriam iustorum & pœnam reproborum. Omnia hæc præcursor prænuntiauit. Pœnitentiam namque non solum prædicauit, dicens, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, sed etiam in se exẽplo demonstrauit, in asperitate loci, vestitus, & victus. Loci, quia habitauit in deserto solitarius, qui locus est conueniens pœnitentibus. Tum ne cohabitatione secularium ad pristina peccata relabantur. Vnde & Dauid, Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine: tum quia fecerunt se cohabitatione hominum indignos, quia malo exemplo corruperunt, iuxta quod Cain post fratricidium profu-

profugus fuisse narratur. Vestitus, quia erat vestitus pilis Cameli, & zona pellicea circa lumbos eius. Pili enim Camelorum & cilicium signa sunt pœnitentiæ, tum propter asperitate & punctionem, tũ quia signa sunt tunicarũ pellicearum, quibus induti primi parentes a paradiso excluſi sunt. Zona pellicea signum est pœnitentiæ, tum propter duritiam & asperitatem, tum propter restrictionis luxuriæ significationem. Victus, quia mel syluestre & locustas edebat. Victus enim vilis, crudus & imparatus, decet pœnitentes, qui per ingluuiem sæpius peccauerunt. Si ergo fratres, Ioannes ab vtero sanctificatus tanta asperitate se castigauit, quid nos miseri peccatores facere debemus? Baptismum quoq; non solùm prædicauit, sed etiam pluribus dedit, non quod peccata dimitteret, sed quia ad pœnitentiam homines monebat, & ad baptismum assuefaciebat. Vtramq; naturam Christi prædicauit, etiam ipsum demonstrauit: Ecce, inquit, agnus Dei, & qui post me venit, ante me factus est. Moraliter quoq; instruxit, dicens, Qui habet duas tunicas, det non habenti. Et qui habet escas, similiter faciat. Secundum verò aduentum prædicauit, dicens. Iam securis ad radicem arboris posita est. Iustorum etiam glorificationem, & reproborũ damnantionem prædicauit, dicens. *Et ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suã. Grana ponet in horreum suũ, paleas verò comburet igni inextinguibili.* Per grana fratres significantur boni, quia sui vnione conficiunt corpus Christi, id est Ecclesiam. Et quia eis pascitur & delectatur Deus, & quia digni sunt reseruatione. Per paleas exprimuntur mali, quia leues vento vanitatis & superbiæ: quia aridi, sine rore gratiæ: quia sunt apti soli flammæ. Vtrique tamen sicut palea & grana de eodem nascuntur semine, simul crescunt, simul colligũtur & iactantur, tamen in area, id est, in iudicio, summi iudicis ventilabro discernentur, & ibunt illi in gehennam, isti in vitam æternam. Quibus merito & præmio nos adunare dignetur Dominus noster. Amen.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Quæcunque scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sunt, &c. In hac lectione fratres charis. ad tria nos hortatur Apostolus, vt scilicet habeamus in aduersis spẽ, in

in fidei confessione vnanimit item, in charitate proximorum susceptionem. Monet igitur nos auctoritate sacræ scripturæ, vt in aduersis spē habeamus, dicens: *Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Sed dicēs: Quomodo adulteriū Dauid, superbia Saul, effœminatio Salomonis: & cætera mala quæ in scriptura legimus, ad nostrā pertinent doctrinam? Pertinent fratres mei, si intentionē scribentis cōsideremus. Scribūtur enim in sacra scriptura diuersa intentione quatuor, Mala, bona, supplicia, & prēmia. Mala scripta sunt ad cauendū: bona ad imitandum: supplicia ad deterrendū: prēmia ad imitandum: ergo adulterium Dauid & cætera peccata, scripta sunt ad cauendū. Et si fortè contigerit nos in illa cadere, non desperemus, sed exemplo Dauid ad remediū pœnitētiæ recurramus. Quomodo valent ad nostrā doctrinā quę scripta sunt? vt per patientiā, inquit, & consolationem scripturarum, id est, quæ leguntur in scripturis, spem habeamus. Similiter potuit dicere, vt per cōminationē scripturarū habeamus timorem. Sicut enim scriptura sacra dolentibus promittit spem: ita vanè gaudentibus, timorem. Si ergo doles in aduersis, non desperes, sed lege quantam patientiā habuit Iob in aduersis, & quantā Dominus exhibuit ei consolationē, & habebis spem, vt per similē patientiam, ad similem venias consolationem. Si gaudes in prosperis, noli præsumere, sed lege quantā prosperitatem habuit Salomō, & ad quantā inde prolapsus est ignominiam, & habebis timorem, ne per similem prosperitatem ad similē venias ignominiā. Sed quia ad fratres afflictos loquebatur Apostolus, de sola patientia & spe facit mentionem. Sed quia sola spes non sufficit ad salutem, sequitur secunda pars, in qua optat eis dari à Deo cōsolatore, in fidei cōfessione vnanimitatē, dicēs: Deus autem solatij det vobis sapere. Sed quia quidā malè sapiūt, alij plusquā oportet sapiunt: subdit: *Secundū Iesum Christū.* Sed quia iterum quidam hæretici & schismatici dicentes se sapere secundū Iesum Christum, scindunt fidem Christi, addit *idipsum*, id est vnū idem. Sed quia iterū quidam benè sapiunt, sed rudes & errantes erudire contemnunt, subdit, *in alterutrum*. Non enim sufficit nobis, vt nobis benè

Quomodo mala pertinēt ad nostram doctrinam.

Adulterium Dauid.

In prosperis nō præsumendū.

Nō solùm nobis sapiendum

sapiamus, nisi & aliis bona benè sapiamus. Qui enim talentum sapientiæ abscōdit, iuxta Euāgelicam parabolam reprobatur. Vnde & scriptum est, Ne retineas verbum in tempore salutis. Et iterum, qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Itaque fratres, qui benè sapit, aliis benè sapiat: qui scit corrigere, errantē corrigat: Qui scit bene consulere, inconsulto consulat. Nam si vides errantes & taces, tot animarum reus es, quot potuisti ab errore liberare. Et ad quid est nobis vtile sapere secundem Iesum Christum, idipsum in alterutrum? *Vt vnanimes*, inquit, *vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi.* Sicut fratres, non sufficit nobis vno ore confiteri Deum, nisi confiteamur ipsum & vno corde. Ita non sufficit vno corde confiteri eum, nisi confiteamur ipsum & vno ore, maximè quando fides periclitatur. Si enim sola oris confessio sufficeret, non diceret Dominus per prophetā, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est a me. Si rursus sola confessio cordis sufficeret, sine oris confessione, non diceret Dominus, qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate sua. Tam igitur oris quàm mentis necessaria est cōfessio. Sicut Apostolus alibi dicit, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Qua verò confessio cordis & oris sine bona operatione non sufficit habenti tempus bene operandi, ideò dicitur, quia fides sine operibus mortua est.

Vno ore & vno corde Deum confitendum.

Sequitur pars tertia, in qua subdit Apostolus charitatis operationem, dicēs: *Propterea*, vt scilicet perfectè honoretis Deum, *suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos.* Suscipere est deficientem ne cadat subtus capere. Monet igitur Apostolus fratres charissimi, vt fortis, per charitatem suscipiat debilem, sapiens insipientem, diues inopem, sanus infirmum, stans cadentem. Cùm enim Deus posset omnes facere fortes, sapientes & diuites, noluit. Sed voluit hos esse fortes, illos debiles, hos sapientes, illos insipientes, hos diuites, illos pauperes. Si enim omnes essent fortes, sapientes & diuites, alter alterius non indigeret. Rursus si omnes essent debiles, insipientes & pauperes, alter alteri nō subueniret. Voluit ergo hos esse

Suscipere quid.

Quare deus noluit omnes esse fortes, sapientes, et diuites.

fortes,

fortes, sapientes, vel diuites, vt animas suas saluare possent, aliis per charitatem subueniẽdo. Voluit illos esse debiles vel insipientes, vel inopes, vt animas suas saluare possent, aduersa per patientiam tolerando. Hinc Dominus ait: Pauperes semper habetis vobiscum, & cùm volueritis, potestis eis benefacere. Cum igitur egentes manent iuxta abundantes, sunt eis aut materia bonæ operationis aut reprobationis. Quod autem sic nos inuicem suscipere debeamus, ostendit Apostolus exemplo Christi, qui in sua persona suscepit, non solùm causam nostrã, sed etiam naturam nostrã. Cum enim esset sapiens, imò ipsa sapientia, suscepit insipientiam nostram. Cum esset diues omnium, suscepit paupertatem nostram: hãc viam charitatis ostendit in se, vt per eam sequeremur se: Et hoc in honorem Dei, vt quẽadmodum Christus in omnibus quæsiuit gloriam patris, non suam, ita & nos in omnibus Dei gloriam, non nostram quæramus. Suscepit autem infirmitatem nõ solum circuncisionis, id est Iudæorum, ad quã secundũ promissiones Prophetarũ fuit missus: imò etiam gentium, quibus non erat promissus. Vnde vtriq; Deum debent honorare & glorificare, Et Iudæi etiam de promissionis adimpletione: Et gẽtes de insperatæ gratiæ collatione. Quod auctoritatibus prophetarũ probat, dicens, *Sicut scriptũ est.* Propterea ait filius patri. *Confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo.* Et iterum, *Lætamini gẽtes cum plebe eius*, id est, gẽtiles cum Iudæis: Et laudate Dominũ omnes gentes, &c. Sicut autẽ Christus non solũ propinquos Iudæos, sed etiam gentiles longinquos suscepit. Sic & nos fratres nõ solũ propinquos nobis vel genere vel amicitia suscipiamus, sed etiã lõginquos & peregrinos. Non enim propter nos solos tradidit Deus nobis bona sua, sed propter pauperes. Nec fecit nos Dominos, sed dispensatores, præcipiens nobis vt de suis rebus, suis filiis indigẽtibus prouideamus. Qui enim res Dei retinẽs, finit filios Dei egestate perire, quid fratres mei, quid est auditurus à summo Iudice, nisi illã terribilem vocem: Ite maledicti in ignẽ æternũ? Et quare? Esuriui enim, & non dedistis manducare mihi de escis meis: Sitiui, & de potu meo non dedistis mihi potum: Hospes eram, & in

hospitium meum noluistis me suscipere. Nudus eram, & de vestibus meis non cooperuistis me. Hęc igitur fratres, hæc cogitemus, hęc in corde teneamus, & de rebus nobis à Deo commendatis, ipsum in pauperibus pascamus, vestiamus, suscipiamus, vt æternam benedictionem ab eo suscipere mereamur, Amen.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Luc 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentiũ, præ confusione sonitus maris & fluctuũ, &c.* Pius & misericors Dominus & Redemptor noster, volẽs electos suos in omnibus prouidos esse, de secundo aduẽtu suo, in hac eos præmunit lectione. Qua ratione? triplici. Vt præscientia eius esset eis ad certitudinẽ, ad vigilantiã, ad consolationem. Ad certitudinem, vt certius expectarent aduentum suum, quàm cœli & terræ permanentiam. Vnde post subdit: Amen dico vobis, non preteribit generatio hæc, donec omnia fiant, cœlum & terra transient, id est mutabuntur in alium statũ: verba autem mea non transient, quin scilicet *omnia* opere cõpleantur. Ad vigilantiam, quomã leuius nocent ea quæ præuidentur, quam quę nõ pręuidẽtur. Vnde ipse ait: Vigilate quia nescitis diem neq; horam. Ad consolationem, vt de certitudine aduẽtus sui, inter miserias huius seculi, sumerẽt sibi consolationẽ. Vnde post subdit: *Cùm videritis hæc fieri, leuate capita vestra, quia appropinquauit redẽptio vestra.* Nam quàm dulcis est fratres mei, in terra miseriæ, recordatio patriæ: Primò igitur ponit Dominus signa sui aduentus prenũtia: Secũdò ostẽdit quomodo ipse venturus est. Tertiò quid boni in bonis proueniat: Quartò, dicta per similitudinẽ declarat. *Ait ergo: erunt signa in Sole & Luna.* Sicut prius Dominus signa aduentus prænuntiauit, vt suis qui in hoc mundo lugent, essent ad consolationem: ita reprobis qui hic consolantur, essent ad confusionem: Vnde ipse post subdit. *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superueniẽt vniuerso orbi.* Quia enim mali omnibus elementis abusi sunt, ab omnibus puniẽtur, vt impleatur quod scriptũ est: pugnabit pro eo orbis terrarũ contra insensatos. Quia enim claritate Solis, & Lunæ, & Stellarum abutebantur, videndo

Signa aduẽtus Christi, bonis ad consolationem reprobis ad cõfusionẽ.

per

per ea quid concupiscerent, & quid mali facerent, vertetur eis Sol in tenebras, & Luna in sanguine, & Stellæ cadent de cœlo. Quia verò pace temporali per stultam securitatem abutebantur, fiet pressura gentium. Quia verò tranquillitate maris ad prædandum & rapiendum abutebantur, fiet confusio maris & fluctuũ. Nam vt tradit Hieronymus in Cathalogo 15. signorũ quę ex Hebræo transtulit, prima die accedet mare quadraginta cubitos super altiores montes quasi murus. Secunda verò tantùm descendet, vt vix videri possit. Rursus, quia bonis terræ per superfluitatem abutebantur, fiet eis sicut idem Euangelista superius dicit, terræ motus & fames. Quia aeris serenitate per inanem delectationem abutebãtur, fient eis terrores de cœlo, & tempestates. Quia salute corporum, vitiosè viuendo, abutebantur, fient eis pestilentiæ, id est, inæqualitates, & corporum passiones. Porrò istorum signorum quædam fratres, iam cernimus: Nam pressuræ gentium quotidie fiunt, terræ motus in plerisq; locis vrbes diruunt. Tempestates nos quotidie territant: pestilentiæ, vrbes hominibus euacuant: Et impletio istorum, certos nos facit de impletione cæterorum. Ecce fratres, tot mundi ruinæ, iam finem illius adesse denuntiant. Quare ergo illum diligimus? Quare cum cadente cadimus? & cum pereunte perimus? Si domus nostra ruinam minatur, fugimus, & quæ possumus de nostris saluamus. Ecce mundus cadit, vt quid ergo eum desiderio non relinquimus? Vt quid quę possumus, de eius naufragio nõ saluãmus? Saluemus ergo fratres, saluemus dũ licet nos & nostra. Nos desiderio ad cœlestia trãseamus, nostra per mãnus inopũ & afflictorum ad cœlestes thesauros transferamus. Sequitur: *Arescentibus hominibus præ timore & exspectatione quæ superuenient vniuerso orbi.* Arescẽt quidã mali, & timebũt instãte iam iudicio, sed frustrà, cùm non poterunt emendari. Nos ergo fratres, dum emendari & emundari possumus, ab amore mundi arescamus, futura timeamus, & timentes caueamus. *Nam virtutes*, inquit, *cœlorum mouebuntur.* Quare? Non, quia de se timeant, sed quia de seueritate iudicantis perhorrescent. Fratres, si Angeli timebunt, si contremiscent, vt ait Iob, columnæ

Signa futuri aduentus Christi quotidie fiunt.

Iob. 26.

1. Pet. 4. cœli, quid facient peccatores? Si verò, ait Petrus: vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Dominus quomodo ad iudicium venturus est, dicens. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate magna & maiestate.* Et qui videbunt? Omnes, tam boni quàm mali, vnde & Ioannes, Ecce venit cũ nubibus cœli, & videbit eum omnis oculus. Non enim veniet occultus, humilis, mitis, vt primò, sed potuis apertus, altus, & terribilis, vt ipse de se testatur, Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, sic erit aduentus filii hominis. Quẽ videbunt? *Filium hominis.* Solus enim filius tunc apparebit iudicaturus, qui primò fuit iniustè iudicatus. Iuxta illud, videbunt in quem pupugerũt, Iudæi scilicet & gentiles, sed etiã & falsi Christiani, quòd sine gemitu dicere nequeo, videbunt quem contempserunt, quem abnegauerunt, quem iurauerũt, & peierauerũt, & quem dedecorauerunt. Gloriam verò diuinitatis non videbunt reprobi, quia scriptũ est. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Videbunt autem venientem in nubibus, sicut ascendit cum nubibus et ministrantibus, eius gloriam ab impiis occultantibus. Cum potestate magna veniet: ante quẽ omnes potestates, cœlestiũ, terrestriũ, & infernorum cõtremiscent. Cum potestate magna veniet, qui suo aduentu omnia concutiet elemẽta, qui cœlum & terram concremabit, & noua faciet omnia, qui conscientias hominum propalabit, qui solo nutu, electos glorificabit, & reprobos in æternum cruciabit. Cum maiestate quoque magna veniet, ad cuius gloriã sol obscurabitur, abscondita tenebrarum illuminabuntur, omnes electi illustrabuntur, & in eius amore inflammabuntur. Hoc fratres, hoc quotidie cogitemus, hoc pensemus, manifestemus hic immunditias conscientiarũ nostrarum per confessionem ad veniam, ne ibi à Domino manifestentur ad confusionem & pœnã. Hic nos iudicemus, ne ibi iudicemur. Hic nos accusemus, ne ibi accusemur.

Filiũ hominis solum.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus quid boni tunc electis proueniet, dicens: *His autem fieri incipientibus, leuate capita vestra, et exhilarate corda vestra.* Quare?

re? *quia appropinquauit redemptio vestra.* Ac si dicat. Cùm hæc videritis, gaudete, quia cum finitur mundus (cui amici non estis) prope est salus æterna, quam desiderabatis. Redimet autem tunc nos fratres, redemptor noster, à tribus miseriis tam in anima quàm in corpore, ab indigẽtia, ab afflictione, à morte. Redimet siquidem dominus animã nostrã ab indigentia sapientiæ & virtutis, dans ei totius sapientię & virtutis abundantiã. Redimet quoq; eam ab afflictione passionum, timoris scilicet & tristitiæ, inuidiæ, & cæterarũ, dans ei omnimodam securitatem, ineũditatem & amorem. Redimet etiam eam à morte malarũ cogitationum & peccatorum, dans ei omnimodam mũditiam & puritatem. Corpus quoq; redimet ab indigentia ciborum, vestimẽtorum, cæterorumq; temporalium, dans ei omnimodã sufficientiam. Redimet etiam illud ab afflictione morborũ, senectutis & grauitatis, dans ei omnifariam incorruptionem & agilitatem. Redimet quoq; illud à morte, dãs ei veram immortalitatẽ. O fratres mei pensate quàm ineffabiliter gaudebunt electi, quando vẽniet spes sua, desideriũ suum, deus & dominus suus: quãdo transferet eos à valle lachrymarum ad altitudinẽ gaudiorum, ab exilio ad patriam, à miseria ad beatitudinem. Sequitur pars quarta, in qua Dominus explanat dicta per similitudinem, *Videte*, inquit, *ficulneam & omnes arbores cum producũt iam ex se fructũ, scitis quia prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est Regnũ Dei.* Cõparat autẽ signa præcedẽtia aduẽtus Christi, arborum fructificationi, æternitatẽ verò, æstati. Vnde pãtet, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim pullulat, vt marcescat: ad hoc surgit, vt cadat. Æstas autem est cãlida, clara, fructuosa. Æterna quoq; beatitudo, erit cãlida, calore charitatis. Clara, illuminatione veri solis. Fructuosa, messibus æternæ retributionis. Econtra, vita præsens, est quasi hyems, quia est frigida, tenebrosa & sterilis. Frigida, sine calore charitatis: Tenebrosa, ignorantia, tribulationibus & peccatis. Sterilis, quia hic non metuntur, sed serũtur semine bonæ operationis. Mali quoq; qui hic vacant somno & otio, sunt quasi piger, qui operari non valens propter frigus, mendicat in æstate, nec datur ei.

A quibus nos redimet redemptor.

Vita præsens quasi hyems.

Sic mali in futuro non metent, nisi quam in carne seminauerunt corruptionem. Boni verò, qui spe retributionis æternæ hic laborant, sunt quasi bonus agricola qui spe messium, in hyeme per pluuias, grandines & niues seminat. Qui cùm videt ficum, cæterasque arbores pullulare, gaudet, sciens quod hyems iam transiit, & æstas messium venit. Nos quoque fratres, in spe cœlestium gaudiorum per lachrymas peccatorum, & patientiam tribulationum seminemus in spiritu, vt in resurrectione metamus de spiritu vitam æternam, vt mereamur adunari eis quibus dicitur: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, id est, de virtute in virtutem proficiebant, & flebant, tum de recordatione peccatorum, tum de desiderio cœlestium gaudiorum: mittentes, id est, præmittentes semita sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

Psal.125.

DOMINICA III. ADVENTVS.

2.Cor.4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei, &c.* Hæc scribit fratres charissimi Apostolus ad Corinthios, in quibus non solùm eos instruit, sed etiam nos: Sunt autem huius lectionis quatuor partes. In prima parte arguit Corinthios de falsa opinione sacramentorum. Putabant enim sacramenta data à sanctioribus esse sanctiora, & à minus sanctis data, esse minus sancta. Vnde & dicebant: Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego Apollo, ego Christi baptismo baptizatus. Putantes quod baptizatus à meliori, melius esset baptizatus. Vnde & scrutabantur curiosius vitã ministrorum. Istis sunt similes hodiè quidam in Ecclesia, qui Missas à cõcubinariis, vel minus honestis sacerdotibus nolunt audire, vel alia Sacramenta sumere. Sed tam hi quàm illi tripliciter peccabant. Tum quia, quod Dei solius est, hominibus attribuant: tum quia, de meritis iudicabant, tum quia in hominibus gloriabantur, cùm scriptum sit. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Contra hos ergo loquẽs Apostolus dixerat superius: neq; qui plantat, neq; qui rigat aliquid est, sed qui incremẽtum dat Deus, id est, sicut plantans & rigans non sunt aliquid, quantũ ad potestatẽ viuifi-

2.Cor.1.

Triplicit er peccãt qui sacramenta à malis ministris accipere nolunt.

2.Cor.3.

viuificandi & augmentandi arborem, sed solus Deus: Ita nec qui prædicat, nec qui baptizat, sunt aliquid, quantum ad efficaciam sacramentorum, sed solus Deus, qui intus inuisibiliter operatur. Vnde & à spiritu sancto dictū est Ioanni: super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat, id est, hic & non alius habet auctoritatē baptizandi. Itaq; qualiscunq; sit minister, sacramenta eadē sunt, nec à meliori meliora, nec à minus bonis, minus bona dātur. Hinc ergo ait Apostolus: Sic nos existimet homo, vt ministros Sacramentorum Christi, nō auctores. Nos enim tantū pueros immergimus fonte, & Deus baptizat. Nos tantū manus eleuamus, & Deus benedicit. Nos tantum verba sacra proferimus, & Deus consecrat. Nos satisfactionē imponimus, & Deus absoluit. Sumus etiam dispēsatores ministeriorum Dei, discernentes scilicet, quis sit ligandus, & quis soluendus. Quis baptizandus & quis non, quis ordinandus sit sacerdos, & quis diaconus. Quāuis verò merita ministrorum nihil operentur ad efficaciā sacramentorum, tamen quia plus proficit exēplo fidelis in populo, quàm infidelis, hîc, id est, in hac vita quæritur vt quis inueniatur fidelis inter dispēsatores. Sequitur pars secūda in qua ostēdit Apost. exemplo sui, sana cōscientia iudiciū hominū esse parui pendendū. Quare? Quia iudiciū hominū fallitur & fallit. Fallitur, quia sæpè bonū iudicat esse malū, & malū bonū. Fallit, quia cū indignus à populo laudatur, sæpè ob hoc interius gloriatur. Et ad hoc inducitur vt plus aliis de se credat quàm sibi, cū scriptū sit. Plus aliis de te quàm tu tibi credere noli. Ait ergo Apost. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Non tamē ait *pro nihilo.* Quia quāuis fama & iudicium plebis de nobis sit vilipendendū nobis pro nobis: tamē propter profectū proximorū nō est omnino negligendū. Sicut enim mūda cōscientia necessaria est ante Deum, ita mūda fama ante proximū. Vel parū enim vel nihil valet bona prædicatio, sine bono exemplo. Nam cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio cōtemnatur? Vnde Dominus, Sic luceant opera vestra bona corā hominibus, vt glorificēt patrē vestrum qui in cœlis est. Hinc etiā dicitur, Crudelis est qui

Ioan. 1.

Sacerdotes sunt dispensatores ministeriorū Dei.

1. Cor. 4.

Iudiciū hominū fallitur et fallit

Mat. 5.

famam negligit. Itaq; fama propter nos est negligenda, sed tamen propter profectum populi est quærenda. *Sed neque*, inquit, *ego qui melius me noui quàm vos, meipsum iudico*, id est, me esse bonum non affirmo. Ecce fratres, ipse vas electionis Paulus nō audet affirmare se esse bonū. Quis ergo nostrū peccatorum præsumere audebit se esse bonū vel religiosum? *Qui autem*, inquit, *me iudicat*, id est opera mea, & cogitationes solus inuisibiliter discernit,

Psal.18. *Dominus est*. Nihil, inquit, *mihi conscius sum*, id est cōscientia mea nō me remordet, *sed non ideō iustificatus sum*.

2.Cor.1. Nā delicta quis intelligit. Et qui gloriatur, in Domino glorietur se mundum habere cor. Sequitur pars tertia, in qua nos prohibet Apostolus iudicare. Tria sunt fratres mei, de quibus nec debemus nec possumus iudicare: De dubio scilicet facto, de dubia intentione, de dubio fine. Dubiū factū est, quando non verè scimus an quis fecerit aliquod factū. Dubia intentio est, quando scimus esse factum, sed qua intentione factum sit, nescimus: vt quando videmus aliquem loqui cum vxore alterius. Dubius finis est, vt quando scimus esse factum, & mala intentione factum esse, sed tamen ignoramus, an sit inde aliquis damnandus, vel venia per pœnitētiam consequuturus: in quibus omnibus temerarium iudicium cauere debemus. Et si etiam hanc in peiorem partem magis declinare videantur, tamen nos in melius æstimationem nostram vertere debemus. Vnde apostolus, tu quis es qui iudicas alienum seruum, suo Domino stat, aut cadit. Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum. Si vides presbiterum loqui cum vxore alicuius, dic enim illi manu leuata benedicere. Sunt autem quædam aperta & manifesta, de quibus nobis iudicare permittitur. Vnde Apostolus, sic non est inter vos qui iudicet inter fratrē & fratrem. Itaq; fratres, nō aliena corda, vel intentiones quæ ignoramus, iudicemus, sed nostras. Scriptum est enim, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Et si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Ait ergo, *Nolite ante tempus iudicare*. Ante tempus iudicat, qui antequam sit de re certus iudicat. Dū autē sumus in hac vita, aliorum cogitationes

Iudicare non debemus.
Dubium factum
Dubia intentio.
Dubius finis.

Rom.14.

Rom.14.

Matt.7.
Luc.6.

opera,

opera, & finis operum, occulta sunt nobis, & ideò de eis iudicare peccatum est.

Sequitur pars quarta, in qua ostendit Apostolus quando secure de nobis vel de aliis iudicare poterimus. *Nolite*, inquit, *iudicare, quoadusq; veniat Dominus* In quo fratres, innuit quod tunc Deo omnia occulta nobis reuelãte iudicabimus, si scilicet fuerimus de perfectis. Quatuor enim ordines erunt in iudicio. Alij enim iudicabunt, & non iudicabuntur, vt perfecti. Alij iudicabuntur & saluabuntur, vt mediocriter boni. Alij iudicabuntur & damnabuntur, vt falsi Christiani. Alij non iudicabũtur & damnabuntur, vt infideles. Vnde Ioannes, Qui non credit, inquit, iam iudicatus est. *Illuminabit autem tunc Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, id est, occulta facta, & etiam cogitationes occultas propalabit, tam bonorũ quàm malorum. Tunc fratres, patebunt occulta adulteria, occultæ turpitudines, & ignominiæ, quæ fiunt in tenebris & in cubilibus. Tunc etiam patebunt occulta turpium voluntatum, quamuis non venerint ad effectum. Pensate ergo fratres, pensate, quantus pudor, quanta turpitudo & confusio tunc tenebit reprobos, cùm omnes turpitudines & abominationes suas in conspectu tremendi Iudicis, & Angelorum, & omnium sanctorũ viderint reuelari. Ne igitur fratres, illo tam magno & æterno pudore erubescatis, erubescite nũc, & pœnitemini, & quæ dicitis in cordibus & in cubilibus vestris compungimini. Tunc etiam è contrà omnia bona opera sanctorum quæ pro humilitate clàm faciebant, & etiam omnes eorũ bonæ voluntates patebunt ad laudem & gloriam eorum. Vnde & subditur: *Et tunc laus erit vnicuique electorũ à Deo* Quæ enim maior laus, maior honor & gloria poterit esse, quam quando seruí vocabuntur. & fient filij: quando terreni fient cœlestes, quãdo homines fient dij, quando benedicentur, & honorabuntur, & glorificabũtur à diuina maiestate. Nos interim fratres, turpitudines nostras, lachrymis, cõfessionibus, orationibus, eleemosynis tergamus. Quoniam qui hoc faciũt & si non sint de perfectis qui iudicabunt, tamen erũt beati, quoniã beati quorũ remissæ sunt iniquitates & quorum tecta

Quatuor ordines in iudicio.

Ioan. 3.

Psal. 4.

tecta sunt peccata. Tecta dico, ne videãtur vel ad pœnam vel ad pudorem. De quorum numero nos faciat Deus & Dominus noster qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Mat. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittēs duos ex discipulis suis ait illi, & reliq.* Audistis fratres charissimi, ex Euangelica lectione, quod Christus suo incarcerato præcursore, diuinitatis suæ potentiã cœpit clarius demonstrare. Disponens quippe ordinatè vniuersa, noluit antè manifestius prædicare, quàm præcursor suæ præcursionis officium consummasset vt scilicet quemadmodum Ioannes eum præcurrerat nascendo, prædicando & baptizando: ita eum præcurreret & moriendo. Tendente igitur Lucifero, id est, Ioanne ad occasum, cœpit verus Sol iustitiæ, Christus, sui splẽdoris radios paulatim demonstrare, hoc est, ergo quod hic dicitur: *Cum audisset Ioannes, &c* Sunt autẽ tres partes huius lectionis: Prima continet Ioannis interrogationẽ, secunda Christi responsionem, tertia Ioannis commẽdationem. Ostendit igitur Euangelista, quando, vnde, per quos, & quid Ioãnes Dominũ interrogauerit: quando? *Cum audisset opera Christi.*

A quo Ioannes audiuit opera Christi. Si credis à quo audisset, credendum est quòd à spiritu reuelante. Et quod etiam à discipulis suis, quos frequenter ad Iesum mittebat, vt sibi tam facta, quàm dicta eius reportarent. Vnde? de carcere vbi erat in vinculis. In quo nobis fratres, imitandũ proponit exemplũ vt si in vinculis, si in infirmitate, si in aliquo impedimẽto detenti quandoq; fuerimus, familiares nostros pro nobis ad Ecclesiã mittamus, qui bona ibi dicta vel facta nobis manifestẽt. Per quos? per discipulos suos, qui etiam ei in vinculis assistebant, & magistrum suum in aduersis non dereliquerunt, sed vsq; ad passionem & sepulturam ei diligẽter ministrauerunt. Hinc discamus & nos fratres, magistris & amicis nostris in omni aduersitate constantiam exhibere fidelitatis. Sicut enim rogus aurum, cursus equum, ita ad-

Eccle. 12. uersitas probat amicum. Vnde Sapiens: Non agnoscitur, inquit, in bonis amicus, & non absconditur in malis ini-

Prou. 25. micus. Et Salomon: Deus putridus, amicus deficiens in via.

via. Quid interrogauit? *Tu es*, inquit, *qui venturus es, an alium expectamus*? Quærit autem hoc Ioānes, non propter se, qui eum esse Redemptorē mundi prædicando, baptizando, demōstrando, testatus fuerat, sed propter discipulos, ne alium à se prædicatum æstimarent, sed certitudinem acciperent fidei, tum ex miraculis, tum ex responsione Christi. Vnde & ad hoc quærendum non prius suos discipulos misit, quàm Christus miracula facere incœpit. Quam causam innuit ipse Euangelista cùm ait, *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittēs duos ex discipulis suis, &c.* Ac si diceret, ideò discipulos suos misit ad Iesum, quia cùm apertè facere miracula audiuit, vt hoc aduerbium (*cùm*) non tam temporale quàm causale accipiatur. Sequitur pars secunda, quæ Christi cōtinet responsionem, *Euntes*, inquit, *renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis*. Ac si diceret, Cessent verba, loquantur opera. Fecit enim in conspectu nuntiorū Ioannis multas virtutes. Vnde dixit: *Quæ vidistis* scilicet per vos, *& audistis* per alios. Et quæ? *Cæci vident, claudi ambulāt, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur*, id est, visitantur. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me* Est autem hæc responsio conueniens, quāuis non videatur præcedēti satisfaciens interrogationi. Quærebatur enim vtrum redemptio mundi esset facienda per eum. Ipse verò respondet potentiā diuinitatis & patientiam humanitatis, per quas redemptio facta est. Nisi enim homo esset, pati pro mundo nō posset: & nisi Deus esset, mortem superare non posset. Est ergo ac si diceret, redimere mundum iam incœpi. Nam cùm operer vt Deus, scandalizor & patior vt homo. Credimus autem fratres, Dominum opera, quæ hic enumerātur, tam corporaliter quàm spiritualiter egisse. Reddebat quippè cæcis illuminationem tam cordis quàm corporis. Claudis rectitudinem, tam cordis quàm corporis. Leprosis mundationē, tam cordis quàm corporis. Mortuis resurrectionem, tam cordis quàm corporis. Pauperibus visitationē, tam cordis quàm corporis. Et cum tot signis attestaretur diuinitatē, rarus erat qui non scandalizaretur in eius humanitate. Alij enim ei detrahebant, alij insidias ponebant: Et fermè

omnes

omnes de eius diuinitate dubitabāt. Et quid mirum fratres, si in Christo adhuc mortali multi scandalizarentur, cum in eo iam in cœlo regnante, multi, vnde dolendum est, etiam hodie scandalizentur? Nam vt taceam de infidelibus, etiam quidam solo nomine Christiani eum contemnunt, eius sanctum nomen peierant: factis eum impugnant, verba Euangelij pro vanitate habent, nec ipsam resurrectionem futuram putant.

Quando Christiani Deū contemnunt.

3. Sequitur pars tertia, in qua dominus Ioannē commēdat: Vnde & subditur: *Illis autē abeūtibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne* Noluit quippè Dominus Ioannē coram discipulis suis cōmendare, ne eius commendatio adulationē redolere videretur. In quo fratres dat nobis exemplum, ne amicum nostrum in sua vel suorū familiarium præsentia laudemus, ne hoc gratia videamur facere assentandi, ne illi occasionē demus gloriandi. Cæterùm ne turbæ Ioannē nullius virtutis esse, eo quod nulla miracula faceret, æstimarēt: ipse qui eum elegerat, nouerat, eum commendat. Commēdat eum in quatuor. In fortitudine, in seueritate, in prophetandi excellentia, in præcursionis gratia. In fortitudine eum commēdat, cum dicit: *Quid existis in desertū videre? Arundinē vento agitatam?* ac si diceret: Non sed potius virum fortē. Sane arūdo nascitur in palude, quæ exterius est formosa, interius vacua & omni vento agitatur. Tales sunt homines huius mundi, qui in crassitudine & voluptate nutrierunt animas suas, qui exterius sunt per hyprocrisim & gloriā nitidi, interius autem à virtute vacui, prosperis eleuantur, & aduersis deprimuntur: Laudibus efferuntur, minis, & conuitiis humiliātur: in quibus diabolus requiescit. Vnde Iob, sub vmbra, inquit, dormit in secreto calami: quia videlicet mētes tenebrosas, simulatrices & fluxas diligit. Ioannes verò arundo non erat, qui in abstinentiæ duritia crescebat: exterius hispidus & neglectus: interius virtute plenus, non elatus blanditiis, nec deiectus aduersis. Discamus & nos fratres, inter varietates huius mūdi, fortes & constātes esse. Non diligamus diuitias huius mundi, & sic non superbiemus de earum possessione, nec dolebimus de earum amissione. Non diligamus gloriā huius

Christus Ioannem non commēdat coram discipulis suis.

Iob. 40.

Quomodo Ioannes arundo nō erat.

ius mundi, & sic nec laus humana nos inflabit, nec infamia mœstificabit. Nō præsentē vitam, sed futuram diligamus, & sic voluptas corporis nos nō illaqueabit nō pœna vel dolor terrebit. In seueritate eum commendat cum dicit, *Hominem mollibus vestitū?* Ac si diceret. Non Lipto te est, quia minus dicit & plus significat Ioannes quippe in nullo mollitiē sequutus est, sed durus fuit in victu, in vestitu, in facto, in verbo. Victus eius locustæ, & mel siluestre. Vestitus, pili cameli, zonaque pellicea facta, contemptus mundi, desiderium cœli. Dicta, nō palpatio, sed dura correctio vitiorum. O genimina, inquit, viperarum quis docebit vos fugere à ventura ira? Iam securis ad radicem arboris posita est. Sequitur, *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regū sunt* Ac si diceret, Nō in deserto vt Ioannes, sed in domibus Regū inueniūtur, qui mollibus gaudēt. Qui scilicet mollibus vestiuntur, molliter epulantur, molliter operātur, molliter loquuntur. Nemo igitur fratres, putet in fluxu & studio vestium non deesse peccatum. Nisi enim in hoc peccatum esset Dominus in suo præcursore vestium vilitatem non laudaret, nec de fluxu vestium diuitē purpuratū reprehēderet, nec Petrus mulieres à veste preciosa reuocaret. Quinque præcipuè modis, fratres, in vestibus peccamus. Primò in nimio sumptu, vt cum tanto comparamus vnam vestem nobis, quanto plures pauperes possent vestiri. Secundò in gloria, quando scilicet in speciosis, preciosisque vestibus delectamur. Tertiò in contemptu proximorum, quādo scilicet considerantes vestium nostrarum pulchritudinem, & proximorum vilitatem, nos miramur, & proximos aspernamur. Quartò in superfluitate, vt quando plura mutatoria vestiū habemus otiosa, quæ melius pauperes vestirent, quàm tineas pascerent, cum scriptum sit: Qui habet duas tunicas, det non habenti, id est, qui habet vestem sufficientem, det superfluam. Quinto in modo, vt cum scilicet facimus nostras vestes, vel gerimus, quo non deberemus. Et cùm hæc dicimus, non damnamus vestes, sed vitium vestibus abutentium. Scio enim sub purpura plures Deo placuisse: & econtra, plures sub sacco Deo displicuisse. Sunt enim qui in purpura non efferuntur, & sunt

Mat. 3.

Quantuplicitèr in vestibus peccamus.

Luc. 3.

sunt qui se vestitos sacco, vel dolent vel gloriantur. Magnus verò est quem saccus nō deiicit, & quē purpura non extollit. Talis erat Dauid, talis Ioānes Baptista, quoniam nec ille sub purpura, nec iste sub cilicio erat arūdo ventis agitata. Vos autē fratres qui imperfecti estis, vnusquisq; in gradu suo mediocritatē tenete, secundū homines ordinis & gradus vestri vos induite, ne sitis nitidiores eis, ne fortè inde præ vobis eos contemnatis: ne sordidiores eis, ne fortè præ eis vos sordidiores doleatis. Ne hinc vel inde vos agitet ventus gloriæ vel pudoris. Sub veste mediocri saccum latenter vestite, maximè in diebus ieiuniorum, vt tanto sit magis gratum Deo, quanto magis occultū. Vestem verò vobis non necessariā nudo præbete. Et si non vultis dare nouam, date vel veterē meliusculā, vt si quid in noua veste deliquistis, in vetere redimatis. Molitiem quoq; fratres, ciborum euitate, quoniam lautorum ciborum cōsuetudo luxuriā generat, corpus mollificat, cibos viliores fastidire facit, patrimonia consumit, sollicitudinē immittit. Minus est sollicitus qui minoribus est cōtentus. Sicut enim Mars duro milite gaudet, qui fortiter sustineat calores, algores, & labores: ita Dominus duros amat milites, effœminatos cōtemnit & molles. Inde est quòd S. Patres, sicut in vitis Patrum legimus, balnea, vnguenta, huiusq; modi mollia deuitabāt, ne corporis sui duriciē emollirent. Mollia etiam fratres, opera fugite, quæ faciunt qui carni seruiunt, qui ædificant lignū, fœnum, stipulam igne concremandam. Mollia quoq; verba, id est, adulationes, cauete, quæ quantum fugienda sint, ostendit Propheta, Væ, inquit, eis qui sub cubito puluinar ponunt. Puluinar quoque sub cubito ponit, qui cadentem à rectitudine animam blandè per adulationē susceipit. Et Psalmista, Quoniam, inquit, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.

Mediocritas tenēda in habitibus.

Mollities ciborum euitanda.

Mollia opera fugienda.

Psal. 9.

In Prophetiæ excellentia Ioannem commendat, cùm subdit. *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquā Prophetam.* Officiū Prophetæ, fratres charissimi, est ventura prædicare. Ioānes verò Christum non solùm prædixit, vt, venit fortior me, post me: sed etiam ostendit, Ecce, inquit, agnus Dei. Nos quoque fratres,

quasi

quasi Prophetę sumus, si secundum Christi aduentum ad iudicium, verbis & factis prædicamus, si impiis comminamur, si electis promittimus gloriam sempiternam.

In præcursionis quoque gratia eum commendat cùm dicit, *Hic est de quo scriptū est*, per Malachiā Prophetam: *Ecce ego*, inquit Pater ad filium, *mitto Angelū meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Verè fratres, verè hic Ioānes magnus & admirabilis est, quem longè antequam conciperetur, Prophetā, imò Dominus per Prophetam, vnigenito suo nuntiū pollicetur, & præcursorem. Nec solùm Ioannes nomine Angeli & præcursoris dignus est, sed & tam nos, quàm vos fratres, Angeli, & præcursores Christi merebimur appellari, si verbo & exemplo eum annuntiemus, si tàm ad nostra quàm ad aliorū corda per correctionē & emendationem ei viam præparemus. Ipso largiente, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

Gaudete in Domino semper. iterum dico gaudete, &c. Philip. 4.

Quatuor facit Apostolus, fratres charissimi, in hac lectione. Primò monet nos in Domino gaudere. Secūdò modestos esse. Tertiò sine solicitudine orare. Quartò rogat nos custodiri in pace. Ait ergo, *Gaudete in Domino.* Si vna re fratres, omnis homo gauderet, nunquam Apostolus cū determinatione, gaudete in Domino, dixisset. Est enim gaudiū triplex, malignū, vanū, & bonum. Quidam enim gaudent de malo, de quibus dicitur: Lætantur cùm malè fecerint, & exultāt in rebus pessimis. His adeò placet malū, quod etiā sine sua vtilitate gaudeāt in eorū dolore. Alij verò gaudēt de vano, id est, de vana & mūdana prosperitate, de quibus Salomō, Risum deputaui errorem, & gaudeo dixi, quid frustrà deciperis? Illa duo gaudia fratres mei, mala sunt. Et de ambobus intelligitur illud Salomonis: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij, luctus occupat. Et illud Euangelij, Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis. Et alibi, Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Alij gaudent de bono, illi scilicet qui in Domino gaudent. Vnde Apostolus alibi, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et hîc, Gaudete, in-

Gaudium triplex. *Prouer. 2.* *Eccle. 2.* *Luc. 6.* *1. Cor. 1.*

quit, in Domino. Sed quare duplicauit, *Iterum dico, gaudete.* Qua gaudium, est in spe, vel in vsu rei amatæ, dilectio. Hinc enim fratres, tantùm in spe cœlestium gaudiorum gaudemus, non in re, tamen plusquam in spe gaudemus, quoniam & si non habemus hic rem, habemus tamen arrã, quam Apostolus primitias spiritus vocat, virtutes videlicet, & dona spiritus sancti. Monet igitur Apostolus, vt gaudeamus in vsu virtutum, & in spe præmiorum. Gaudeamus in vsu bonitatis, & in spe beatitudinis. Gaudeamus in vsu mundæ conscientiæ, & in spe beatæ vitæ. Primum fratres, gaudium est magnum, sed secundum est maximum. Quid enim hic lætius, quid iucundius, quid delectabilius haberi potest, quàm inter mundos mundè, & inter ebrios viuere sobriè: quàm omnia mundana sub pedibus habere, non aduersis frangi, prosperis non emolliri, solum Deum timere, mundam conscientiam habere, securè viuere, mortem non timere, sed etiã cœlestia gaudia optare, & cum certitudine expectare? Per hoc quippe, fratres, diuina dulcedo, non solùm expectatur, sed & præodoratur & prægustatur. Hoc prægustauerat Propheta, qui admirans & gaudens dicebat, Quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde. Ad quod degustandum nos etiam hortatur, dicens: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Hoc fratres, hoc est gaudium in Spiritu sancto. Hoc est verum gaudium, verum sabbatum mentis. De quo etiam Salomon: Secura mens, inquit, iuge cõuiuium. Hoc fratres, gaudiũ non miscebitur dolore, sed ad summum & sempiternum nos ducet gaudium, videlicet ad gaudium sine mœrore, sine fine, sine metu, sine defectu: Ad gaudium in visione Dei, in quam desiderant Angeli prospicere. Quoniam autem magna gaudia solent hominem hic resoluere, & improuidum facere, addit Apostolus. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Est autem fratres hæc pars secunda, in qua monet in omnibus nos modestos esse, ac si diceret, Gaudete fratres, sed modestè: psallite Domino, sed sapienter. Porrò modestia est virtus inter nimis & minus, tenẽs mediocritatem. Hæc virtus, cæterarũ omniũ virtutũ condimentũ est. Impetus enim est, nõ ratio, quidquid

In quibus gaudendũ

Psal. 33.

Modestia quid.

sit

fit sine moderantiæ freno. Sanè modestia tria, facit enim hominem suæ mentis habere dominium: reddit eum hominibus gratum: facit ei Dominum propinquum. Quod faciat hominem habere sui dominiū, innuit cùm adiungit, *vestra*: Quasi diceret, Modestia faciat vos vestros, iuxta quod Philosophus ait, Vis habere magnū imperium? Dabo tibi magnū imperium, Impera tibi. Vis multos regere? rege teipsum. Multos enim reges, si te ratio rexerit, hinc Salomon ait: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Quod reddat hominem hominibus gratum & famosum, ostendit cùm ait: *Nota sit omnibus hominibus*, ac si dicat, Tanta sit modestia vestra, quod sui admiratione & exemplo, homines ad se attrahat. Quod faciat Dominum homini propinquum ostendit, cùm subdit, *Dominus propè est*. Est quippè Dominus modestis propè. Propè similitudine, propè dilectione, propè remuneratione. Quoniā quos per modestiam sui similes spectat, diligit, & remunerat. Hæc virtus fratres, Mosen & Dauid, Deo gratos & hominibus effecit: quorū alter legitur pro inimicis suis orasse, alter verò inimico, suū sanguinē quærēti peperciſſe. Discamus & nos fratres, modestiā in omnibus tenere, motus cordis nostri refrenare: nobis ipsis non dominari, aliorū dissonantias moderari, Deo, qui sine motu omnia facit, assimilari, vt ab eo mereamur diligi & remunerari, iuxta quod ipse promisit, Beati, inquit, mites, quoniā ipsi possidebūt terram. Sequitur pars tertia, in qua monet nos Apostolus sine sollicitudine orare, dicens: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, &c.* Et cōuenienter fratres, dum hortatur nos ad orandum præmisit, *Nihil solliciti sitis*. Nihil enim plus impedit orantē quam sollicitudo. Si enim fratres, nullus ita liber est à curis secularibus: & orationi deuotus, qui in oratione quādoq; insultus dæmoniorū, & fantasmata cogitationum vanarum non sentiat. Quid fratres mei, quid putatis de illis, quorum tota mens & desiderium versatur in temporalium sollicitudine? Hi nimirum si quandoq; orare cœperint, statim reuolat mens ad cōsueta, quoniā vbi est thesaurus suus, ibi est & cor suū. Proinde fratres, purgādus est prius animus ab amore &

Modestia tria facit.

Prouer. 16.

Modestia in omnibus tenenda.

Sollicitudo impedit orantem.

sollicitudine temporalium, & in Deo totus figendus, vt liberè possit ad orandum Deum vacare. Sed etsi quandoque nos orationi incumbentes, pulsauerint suggestiones dæmonũ & nebulæ vanarum cogitationum, cauendũ est summoperè fratres, ne immorentur, ne fortè iuxta Salomonẽ, musæ morientes perdant suauitatẽ vnguenti, sed statim in nosmetipsos indignãtes, vanas quãtotius meditationes à nobis repellamus, & ad ipsum redeamus. Scriptũ est enim, Descenderunt volucres cœli, & abigebat eas Abrahã. Quid enim per sacrificia, nisi orationes? Et quid per volucres, nisi vanæ cogitationes designantur. Sed deuotus orator, cùm vanæ cogitationes super orationem suam descendũt, exemplo Abrahæ, eas protinus expellit. *Gen.15.*

Sed in omni oratione, inquit, *& obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Oratio fratres, tantùm fit pro bonis adipiscendis: Obsecratio pro malis remouẽdis. *Hæc*, inquit, *innotescãt apud Deum*, id est, talia taliter & tali intẽtione petantur, vt digna sint quæ Deus noscat & audiat. Petamus igitur fratres à Domino non opes, non honores, nõ vitam in hoc sæculo longã, quæ qui petunt, non exaudiũtur, vt ait Iacobus, eò quòd indignè petant. Sed Domino docente, petamus primũ regnum Dei & iustitiam eius. Petamus & qualiter debemus, corde scilicet & opere, & cum fiducia.

Petendũ in fide. Vnde Iacobus: Si quis, inquit, indiget sapiẽtia, postulet à Domino, qui dat omni affluẽter, & non improperat: postulet autẽ in fide nihil hæsitãs, quoniã qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur. *Iacob.1.* Petamus quoq; fratres, ea intẽtione qua debemus, id est, petamus omnia propter Deũ, & ipsum Deũ non propter aliud, sed propter seipsum petamus & diligamus. Ipse enim eis qui nõ simplici intẽtione eum querebant, fertur respondisse, Amen dico vobis, quæritis me, quia comedistis de panibus. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ac si diceret, nõ propter panem temporalem me debetis quærere, sed propter meipsum, qui sum verus panis, satians in æternum. *Ioan.6.*

Sequitur pars quarta, in qua Apostolus orat nos custodiri in pace, & à pace, dicens: *Et pax Dei quæ exuperat om-*

omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Dicit autē pax Dei, id est, Deus, qui est pax, & Christus, qui est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum. Vel Spiritus sanctus, qui est concordia patris & filij. Hæc pax exuperat omnem sensum, non solùm in se, sed & in creaturis. Si enim pax Dei in creaturis exuperat omnē sensum, quātò magis in se exuperat omnem sensum? Quis enim sensus fratres charissimi, comprehendere potest, quomodo quatuor elementa cùm sint adinuicem cōtraria, in vnam connectentur concordiam? Quis comprehendere potest, quomodo contrarij humores in homine, in vnam pacificentur sanitatem? Quis comprehēdere potest quomodo cōtrarij soni in cithara in vnā cōueniant consonantiam? Et vt de cœlestibus creaturis loquar, quis sensus comprehendere potest quomodo superni spiritus & Sancti, cùm sint in gradu & in merito dispares, & in gloria, in vnius gaudij, voluntatis, & amoris consonent vnitatem? Et si illa fratres charissimi, pax Dei in creaturis omnē sensum exuperat, quantò magis in seipsa omnem sensum & omnem intelligentiam exuperat? Quæ enim intelligētia inuestigare poterit pacē & concordiā Trinitatis, quo modo scilicet cùm sint tres in personis, in vnam vniantur essentiam, voluntatem, & maiestatem. Hæc igitur pax Dei, inquit Apostolus, *quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*, vt scilicet benè velint: *& intelligentias vestras*, vt ritè intelligant.

Oremus & nos fratres, vt pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda nostra, vt pacem erga eum habeamus ei obediendo: pacem erga nos, noxia cauēdo: pacem erga proximos nostros, eos diligendo. Quam pacem nobis largiri dignetur pax nostra Deus & Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas, ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Ioan. 1.
&c. Hæc lectio fratres charissimi, continet alternatim Iudæorū interrogationes, Ioannisq; præcursoris responsiones. Nouerant siquidem Iudæi ex libro Danielis, ad-

uentum Christi iam instare. Videbant quoque Ioannem Baptistam ab Angelo prænuntiatum, miraculosè natum, sanctissimè conuersatum, pœnitentiam prædicantem & baptizantem. Et ideò eum esse Christum suspicati sunt. Hac igitur de causa, legis doctores ad interrogandũ eum, legant. Et eum, an ipse sit Christus, interrogant. In quo patet Iudæorum curiositas simul & duritia, quoniam curiosi erant ad interrogandum, & duri ad credendum. Sed quare interrogabant, qui credere nolebant: vel qui credere nolebant, cur interrogabant? Ioannes enim eos à se remouet, & ad Christum mittit, & ei non acquiescunt. Et puto quòd si Ioannes se esse Christum diceret, non crederent, sed quod Christo dixerunt, dicturi erant, tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Similiter enim interrogabant Christum, Si tu es Christus, dic nobis palàm. Quibus ipse dicebat: loquor vobis, & non creditis. Tales sunt hodie multi, vnde dolendum est, qui à sanctis Ecclesiæ doctoribus, curiosè multa inquirunt, sed ad acquiescendum duri sunt. Nos quoque doctores fratres, quod sine gemitu dicere nequeo, Scribis & Pharisæis similes videmur, qui ad perscrutandum scripturas curiosi sumus, ad operandum verò duri & tardi. Sed quę nobis fratres, inde est vtilitas? nisi quod Dominus nobis cõminatur, quòd seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis? Econtrariò verò fratres charissimi, responsio Ioannis magnum dat nobis fidei & humilitatis documẽtum: fidei, cùm in quo nobis credendum & sperandum sit, Dominum nostrum Iesum, qui solus verè baptizat, proponit. Cuius & se vocem esse commemorat & præconem. Humilitatis, cùm humiliter de se in omnibus sentit & respondet. In quo fratres, sollicitè pensare debemus, quomodo sancti, cùm tanta radiant virtutum excellentia, de sola humilitate gloriantur. Sciunt quippè quòd ædificatio virtutum sine humilitate ruina est. Sicut enim superbia est ruina omnium virtutum, ita & humilitas est earum fundamẽtum. Superbia primũ Angelum & primum hominem, ab alto præcipitauit in imum. Humilitas quoslibet infirmos reuocat ad cœlum. Sanè tantum

Iudæorum curiositas & duritia.

Dicit se doctorem.

Luc. 12.

tum bonum est humilitas, quod melior est quilibet peccator cum humilitate, quàm quilibet iustus cum arrogantia. Nam humilitas corrigit peccatorem, superbia verò damnat iustum. Hinc est quòd redemptor noster exemplo & verbo proposuit nobis viâ humilitatis, per quam ad cœlum ascenderemus, qui per superbiam lapsi eramus Discite, inquit, a me, quia mitis sum & humilis corde. *Matt.11.* A quo beata mater & virgo edocta, virginitatem cæterasque virtutes, quibus incomparabiliter præfulgebat, dissimulat: & hanc solam confitetur. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. *Luc.1.* Dauid quoque, vir secundum cor Domini, cum ab vxore despiceretur, eo quod coram arca Domini saltasset, ait, Ludam, & humilior fiam, plusquã factus sum, & ero humilis in oculis meis. *2.Reg.6.* Et doctor gentium, qui vsque ad tertium cœlum raptus fuerat, Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. *1.Cor.15.* Ecce fratres vetus & nouum Testamẽtum percurrendo, inuenietis omnes Sanctos in virtute humilitatis suum posuisse fundamentum. Hinc est quod Ioannes iste, quo nemo, teste Domino, inter natos mulierum maior surrexit: solam & omnem in se cõfitetur humilitatem. *Matt.11.* Quod melius intelligetis, si quid sit humilitas, & quot eius partes cognoscatis. Est autem humilitas virtus, qua homo verissima sui cognitione, sibipsi vilescit. *Humilitas quid.* Multi quidem miseri & desperantes, sibimet vilescunt, & hoc non est ex virtute, quia non ex vera sui cognitiõe, sed ex aduersitate. Sed omnis homo etiam in prosperitate, si bene cognoscat se, intelligit, quod nihil, nisi malum, habet in se. *Malum à nobis.* Si quid autem boni habet, à Deo habet. Vnde Apostolus, Quid habes quod non accepisti? *Bonum à Deo.* Et si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Ergo fratres nihil habemus ex nobis vnde superbiamus, sed vn de humiliemur. *1.Cor.4.* Sunt autẽ humilitatis quatuor gradus. *Humilitatis quatuor gradus.* Primus est, vt quis sibi quod non est, non attribuat. Secundus, vt quod habet non à se, sed à Deo se habere credat. Tertius est, vt quis admirãdo aliorum bona, sua nulla vel modicum æstimet. Quartus, vt bonũ quod habet non meritis suis, sed gratiæ Dei attribuat. Itaque fratres, beatus Ioãnes, verissima sui cognitione sibimet vilescẽs,

primum humilitatis gradum se habere demonstrat: cùm quòd putabatur, se Christum esse negat. Maluit enim de se sibi credere quàm alij. Maluit solidè subsidere in se, quàm humana opinione rapi super se. Negat etiam se esse Eliam corpore, quamuis iuxta verbum Domini, Elias esset simili præcursione. Sicut enim ille futurus est præcursor Iudicis, ita iste fuit Redemptoris præcursor. Negat enim se Prophetam esse, quia non venturum prædicabat, sed iam venisse ostendebat. Vel certè sicut ad bonitatem Dei, nullus est bonus, ita ad præsentiam Dei, nullus est Propheta, qui solus omnia nouit antequam fiant. Ergo fratres, qua fronte audet aliquis in hoc sęculo sibi aliquid iustitiæ vel bonitatis arrogare, cùm ipse filius Dei dicat, Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus? Et cùm Ioannes plusquā Propheta, dicat nō sum Propheta? Nemo igitur fratres, bonū sibi attribuat, quod nō habet: nemo melior vel sanctior quàm sit, dici velit. Nam iuxta Poëtā: *Quem falsus honor iuuat, & mēdax infamia terret?* nisi mendosum & mendacem. Si ergo cùm sanctus non sis, sanctus prædicaris, non inde gaudeas, sed erubesce & plange, quia non es quod diceris, & vt id valeas, labora cum omni intentione.

Quare Ioannes negat se prophetā

Mat. 19.

Nemo sibi attribuat quod nō habet.

Postquam autem Ioannes remouit à se quod non erat, ostendit cum hilaritate quod erat. Nam inquisitus quis erat, ait: *Ego vox clamātis in deserto.* Non autem ait, Ego sum homo, vel ego sum filius Zachariæ. Nihil impedit enim quod erat ex natura, ad id quod erat ex gratia, sed ait: *Ego vox clamantis.* Vox quippè, non est, nec signat aliquid ex se, sed ex loquente. Est ergo, ac si diceret: Ego nec sum, nec loquor aliquid ex me, sed ex Deo in me loquēte: Ego sum tantū organū loquentis in me Dei. Ego tamen sum præco verbi, proferēs ea quæ dicūtur per me, sed nō ex me. Ecce fratres, secūda species humilitatis, qua ostēditur, quòd id quod est, nō à se, sed à Deo est. In quo benè consonat illi verbo, quod prædicauit qui de se testatur, Mea, inquit, doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. Vnde idem ait discipulis suis: Non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et per Prophetam, Annuntiabūt, inquit, ex me.

Ioan. 7.

Mat. 10.

Et

Et Petrus: Si quis loquatur, quasi sermones Dei. Quantum ergo fratres mei insaniunt, qui putant se aliquid esse vel posse ex se: Qui dicunt labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Filius Dei dicit, Mea doctrina non est mea, Et tu superbe cinis, dicis doctrinā esse tuā? Itaq; fratres, si quid boni dicimus vel facimus, nō nobis, sed nomini Domini demus gloriam, qui ait, sine me nihil potestis facere. Non solùm autem Ioānes, sed & quilibet, siue clericus, siue laicus, qui verbum vitæ annuntiat in deserto huius mūdi, vox clamantis in deserto potest dici. Itaq; & nos fratres quantum possumus, verbo & exemplo clamemus cum Ioanne, dirigite viā Domini. *Quid ergo inquiūt, baptizas si tu nō es Christus, neque Elias, neque Prophe ta?* Quod ex sola inuidia eos dixisse, Euangelista innuit, dicēs: *Et qui missi fuerūt, erant ex Pharisæis*, qui doctrinā nesciunt quærere, sed inuidere. Sed sanctus quisq;, & cum peruersa intentione requiritur, & à bonitate sua non mouetur nec mutatur. Vnde Ioannes ad verba inuidiæ, verba respondet vitæ. Ego, inquit, *baptizo in aqua*. i. sola corpora, non animas lauo. Sed dicis, quare ergo baptizabat? Triplici de causa. Prima vt sicut nascēdo & prædicando, ita & Christum præcurret baptizando. Secunda vt populum ad baptismū assuefaceret. Tertia vt populum ad pœnitentiā inuitaret, *Ego*, inquit, *baptizo in aqua: medius autem vestrū stat quem vos nescitis*: qui subaudis baptizat in Spiritu sancto. Ecce tertia species humilitatis, qua Ioannes ministerium suū humiliat, & Christi auctoritatē commendat. Sic enim fratres mei, sic semper consueuerunt Sancti, nō solum Christi, sed & aliorū sanctorum virtutes admirari, & suam imperfectionē considerare, vt sic discāt alios sibi præferre & se humiliare. Hinc est quod Princeps Apostolorū Petrus, non illam tantam virtutem, qua, sola vmbra sanabat infirmos, non principatū suum considerat, sed sapientiam Pauli admiratur: Sicut, inquit, charissimus frater noster Paulus, secundū sapientiam à Deo sibi datā docet. Vt quid hoc? Vt ita Pauli sibi præferat excellentiam, & se humiliet, suam attendens imperfectionem. Econtra verò superbi sua bona in corde suo semper considerant & extollunt, aliorum im-

1. Pet. 4.

Psal. 11.

Ioan. 15.

Mar. 1.

2. Pet. 3.

perfectionem semper increpant, vt ita se semper aliis preferant, & alios præ se vilipendant. De quibus Propheta: Esa. 5. Væ vobis qui sapiētes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et Paulus, nolite, inquit, esse prudentes apud vosmetipsos. Rom. 12. Hinc superbienti Sauli Dominus dicit, Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. 1. Reg. 13. Quasi diceret: Cùm te paruum conspiceres, ego te præ ceteris magnum feci. Nunc verò, quia tu te magnum conspicis, à me paruulus æstimaris. Nos itaque fratres si qua bona habemus, ea quodammodo in animo nostro attenuantes parua esse æstimemus: nostra verò mala in oculis nostris multiplicemus, vt scilicet semper nobis humiles simus. Ecōtra verò mala proximorum, maximè qui nobis commissi non sunt, vel dissimulemus, vel attenuemus: Eorum autem bona semper admirantes, imitari satagamus. Vt ita semper eos nobis proponamus. Sequitur: *Qui post me venit ante me factus est.* Ac si diceret: Qui post me venit, nascens in humanitate, mihi præpositus est maiestate. *Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Ecce species quarta humilitatis. Nihil enim meritis suis attribuit, qui ad soluendum calceamentum se indignum dicit: Sed fratres mei, si ad soluendum calceamentum Ioannes non fuit dignus, quomodo ad officium prædicandi, vel baptizandi Christum, dignus fuit? Nunquid fratres mei, vel Christus dicendus est, non dignum elegisse? vel Ioannes humilitatis causâ, mentitus fuisse? Sed absit, vt Christus nō dignū elegerit, qui falli non potest, vel Ioannes mentitus sit, qui veritatis prœco est. Quomodo ergo dignus & non dignus? Dignus erat fratres, ex Dei dignatiōe & electione: nō dignus ex se, dignus ex gratia, nō dignus ex vi propria. Erubescat igitur præsumptio & superbia nostra. Ioānes quo inter natos mulierum non surrexit maior, dicit se non dignum calceamento soluendo, & tu dicis te dignum Sacerdotio, dignum Pontificio? Ioannes lucerna ardens & lucens, dicit se nō dignum calceamentum soluere. Et tu carbo fumigans dignum te dicis corpus Christi tractare, mysterium incarnationis, quæ per calceamentum significatur, inuestigare vel prędicare. Quid ergo dicemus

Mala proximorum dissimulanda.

cemus fratres, nisi vel quantumcunq; bonum fecerimus, semper nos indignos dicamus: Nec hoc dicamus solo ore, quasi mentiendo ex humilitate, sed mẽte credamus, ore confiteamur. Iuxta quod ipsa veritas admonet dicens, Cùm omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere non fecimus. Quam humilitatem det nobis tenere ille qui propter nos humilis & pauper factus est, Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat, &c. Amen. *Luc.17.*

IN NATALI DOMINI, LECTIO

Esaiæ Prophetæ ad Missam de nocte.

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnã, &c. Hodie dilectissimi, temporalem saluatoris nostri celebramus natiuitatem. In qua tanto maiore mentis exultatione solemnizare debemus, quanto maiorũ hodie susce pimus materiam gaudiorum. Hodie quippè humani generis calamitas, reducta est de seruitute ad libertatem, de miseria ad fœlicitatem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem. Hodie siquidem omnipotens & misericors Deus, quam ab æterno præordinauerat, Patriarchis promiserat, in lege figurauerat, per Prophetas prædixerat, humano generi iam de salute desperanti, diu præstolatam & prædesideratã persoluit promissionem. Hodie aduenit desideratus cunctis gentibus. Hodie veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Hodie fratres, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, vt modò in prophetia legimus. Hodie cœlis rorantibus desuper, & nubibus pluentibus iustitiam, aperta est terra & germinauit saluatorem. Porrò huius lectionis quinque sunt partes. Primò enim ostendit Propheta, populo in tenebris ambulanti, lucem exortam fuisse scilicet Christum. Secundò ostendit eius dignationem. Tertiò eius exaltationem. Quartò ponit sacramenta nominum eius: Quintò magnitudinẽ & perpetuitatem regni eius. Ait ergo Propheta: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnã.* Sanè fratres charissimi, ante aduentum Christi, ob primi parẽtis præuaricationem, vniuersa eius posteritas in tenebris ambulabat. In quibus? In tenebris ignorãtiæ, peccatorum & miseriæ. In tenebris ignoran- *Esa.52.* *Esai.45.*

tiæ,

tiæ, dum homo per esum pomi vetiti, voluit esse sciens
bonũ & malum, & cecidit in ignorantiã. Vnde Moyses:
Deut.32. immolauerunt dæmoniis & non Deo: diis quos ignora-
Psal.106. bãt. Et Dauid: errauerunt, inquit, in solitudine, viam ciui
tatis habitaculi non inuenerunt. In tenebris peccatorum
Psal.50. ambulant, quia omnes de massa præuaricatrice, per con-
cupiscentiam, descendẽtes, in peccatis concepti, cum pec-
Rom.5. cato nati sunt. Vnde Apostolus, regnauit, inquit, mors in
mundũ ab Adam vsq; ad Moysen. Sed si per legem mors
peccati fuit cognita, non tamen fuit ablata, sed aucta. Et
Psal.13. Dauid, omnes inquit, declinauerunt, simul inutiles facti
Psal.52. sunt. Vnde & legitur, Nemo mundus à sorde, nec &
Iob. infans cuius vita est vnius diei super terrã. In tenebris mi-
seriæ ambulabat populus, quoniã quantumcunq; iustus,
miser erat in hac vita, miserior in morte, miserrimus post
4. Reg.20 mortem. De qua miseria Ezechias, Ego, inquit, in dimi-
Esa.38. dio dierum meorum vadã ad portas inferi. Heu fratres,
heu in quantis tenebris ante aduentum Christi humanũ
Ambulare genus ambulabat, imò errabat. Ambulare enim in tene-
est in tene- bris, non est ambulare, sed errare: Quoniam, sicut ait Do
bris errare minus, qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.
Ioan.12. Cùm autem sol iustitiæ Christus oriens ex alto, visita-
uit mundũ, vidit lucem magnam. Notate fratres, notate,
vidit lucem magnam. Non ipse sibi accendit, non pretio
emit, non meritis suis acquisiuit, sed gratis sibi oblatam
vidit. Sed quomodo hanc videre potuit, qui cæcus na-
tus erat? Nullatenus potuisset nisi illuminatus fuisset. Vt
Ioan.8. ergo lucem sibi oblatam videre posset, illuminauit eum
prius Christus in mente, collirio, ex puto & terra, id est, ex
diuinitate & humanitate facto. Sic itaque fratres vidit lu-
Ioan.1. cem magnam. Quam? lucem veram quæ illuminat om-
nem hominem venientem in hunc mundum. A luce il-
luminatus, vidit lucem ipsam: vidit ipsum illuminato-
rem. Nec solùm charissimi, qui tunc in carne erant, vide-
runt hanc lucem, sed & habitantibus siue sedentibus in
regione vmbræ mortis, lux orta est eis, hoc est Patriarchis
& Prophetis, cæterisq; sanctis, qui carne soluti præstola-
bantur aduentũ mediatoris quasi exules, habitantes non
quidẽ in morte, sed in vmbra, id est, in similitudine mor-

tis,

tis, carentes visione Dei. De quibus Dauid, exortum est, *Psal. 111.* inquit, in tenebris lumen rectis corde, misericors & miserator Dominus. Et alibi, Lux orta est iusto, & rectis corde *Psal. 96.* lætitia. Itaque fratres, lux vera Christus veniens in hunc *Psal. 1.* mundum, & tenebras ignorantiæ fugauit, veritatem prædicando, & tenebras peccatorum soluit, suo sanguine expiando, & tenebras miseriæ terminauit, æternam beatitudinem conferendo. Vt autem Christus mūdi tenebras à se demōstraret illuminādas, natus Christus media nocte, ipsam noctē splendoribus & laudibus angelorū illustrauit, & noui syderis claritate. Et ideo quam modo explanamus, lectio legitur ad Missam in nocte.

Sequitur pars secunda, in qua ostēditur dignatio Christi, cum dicitur: *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Nisi enim intuens paruus fieret, non nos illuminaret.

Nisi enim splendorē suum inaccessibilem nube carnis obuelaret, infirmitas aciei nostræ eū speculari non posset. Factus est igitur ex immenso paruulus. Paruulus corpore, paruulus humilitate, paruulus reputatione. Primò, paruulus corpore, quia modò natus de virgine, in angusto præsepio collocatus est. Paruulus humilitate, quia humiliauit semetipsum, & pauperes elegit parētes, paupertatem elegit omnibus & prædicauit: Discite à me, inquit, *Mat. 11.* quia mitis sum & humilis corde. Paruulus reputatione: quia dici voluit filius fabri, iuxta quod ipse dixerat per Prophetā, Ego sum vermis & non homo, opprobriū hominū & abiectio plebis. In omnibus exemplū humilita- *Psal. 21.* tis nobis demonstrauit, vt ostenderet per quam viam ad cœlum ascēdere possemus, qui per superbiā lapsi eramus. Iste igitur paruulus natus est nobis ex matre, & filius Dei datus est nobis à Patre. Non sibi quidē natus est qui nullius indigebat, sed nobis natus est, & datus, qui multū indigebamus. Nobis natus est, vt suam dilectionem in nos commendaret, quia, vt ait Apostolus, iste prior dilexit nos. Nobis natus est & datus, vt nobis iter vitæ demonstraret, vt scilicet sequamur vestigia eius. Nobis natus & datus est, vt nos à morte redimeret: quoniam ipse posuit *1. Ioan. 4.* animam suam pro ouibus suis. Sed quid prouenit ex hac dile-

dilectione, ex hac humilitate, ex hac patiētia? Hoc quod sequitur, *Et factus est principatus super humerum eius.*

Est autem hæc pars tertia, in qua post humiliationem Christi, exaltatio Christi prædicatur. Vocatur autem hic fratres, principatus Christi, transumpto nomine consequentis ad antecedens: quoniam per crucem, quam super humerum suum tulit, omnis potestas in cœlo & in terra, ei data fuit: Et hoc est quod ait Apostolus: humiliauit semetipsum factus obediēs patri vsq; ad mortem: mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illū, & donauit illi nomē quod est super omne nomen, &c. Hic est & illud paruum granū sinapis, quod minimum omnium seminum, iactum excreuit in maghā arborem. Hic est ille paruus lapis, qui iuxta Danielem, excisus de monte sine manibus, excreuit & occupauit totum orbem. *Philip. 2.*

Sequitur pars quarta, in qua exprimuntur sex nomina Christi, cum subditur. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Admirabilis, noua inaudita miracula faciendo: Cōsiliarius, prædicatione, passione, creptione, miseris consulendo. Deus, corpus suum & aliorum à mortuis suscitando. Fortis, fortem ligando, vasa eius diripiendo, & cœlū eis aperiēdo. *Pater futuri seculi.* Id est Christianorum, eos fouendo, defendendo, Patrem, pro eis interpellando. *Princeps pacis*, iustos coronando, & prauos damnando.

Quomodo sancti cū omnibus pacem habebunt.

Tunc quippe sancti omnimodā pacem habebunt cū omnibus, & ab omnibus. Cum omnibus, cum Deo, cū Angelis, cum proximo, cum corpore & anima. Cum Deo, idem volendo: Cum Angelis, eis in puritate consentiendo: Cum corpore & anima, in bonum concordādo. Cum proximo, eum sincerè diligendo. Ab omnibus, a diabolo, & à membris eius, nihil timendo.

Sequitur pars quinta, in qua multiplicatio & perpetuitas Regni Christi demonstratur, cùm subditur: *Multiplicabitur eius imperium,* Qui enim nunc solis bonis imperare videtur, & non malis: in futuro sine contradictione imperabit vtrisque, hos glorificando: illos in æternum puniendo. Nunc in cœlo tantū regnare videtur, & non in inferno: in futuro apparebit eum regnare vbiq;. *Et regni*

eius

eius non erit finis, nec temporis, nec loci, nec premiorum, nec pœnarum. Itaque fratres, si volumus esse hæredes regni Christi, simus primò hæredes charitatis suæ humilitatis & patientiæ: per has enim virtutes veniemus ad illud præmium. Nō timeamus quælibet vilia & aspera pro eo, qui tantus & talis, tot abiecta & aspera passus est pro nobis. Diligamus eum plusquam nos qui tātillus factus est propter nos. Eius sanctum nomē, eius sancta verba & exempla, toto desiderio diligamus & imitemur. Eius natalitia in gaudio celebremus: in gaudio non temporali, sed spirituali, non in ebrietate, sed in sobrietate, non in commessationibus, sed in communitatibus. Si nouis & splendidis hodie vestibus vestimur, non sit ad iactantiam, sed ad eius, cuius natale celebramus, honorem: ita fratres vt nudus, & si non nouam, saltem vel veterem accipiat vestem. Si quoque largius, si splendidius hodie cibaria procuramus, non fiat vt inde largius sumamus, sed vt inde largius, pupillis, viduis, hospitibus, & pauperibus diuidamus. Vt participes fiant nobiscū in omnibus bonis temporalibus, qui participes futuri sunt in cœlestibus. Ipso largiēte qui pro nobis hodie de virgine nasci voluit. Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

Quomodo hæredes regni Christi erimus.

Rom. 13.

IN NATALI DOMINI.

Apparuit gratia Dei & Saluatoris nostri omnibus hominibus, &c. Hodie fratres charissimi, temporalem Christi celebramus natiuitatem, in qua communiter & multipliciter, nobis est gaudendum. Communis quidem est, quoniam Christus sicut communem suscepit naturam, ita communem operatus est redemptionem. Multiplex verò est, quoniam eius natiuitas multiplicem nobis operata est vtilitatem. Vtrumque ostendit in prælibata lectione Apostolus, methonomica vtens locutione, hoc modo: *Apparuit gratia*, id est, Deus per gratiā, *omnibus hominibus, erudiens nos &c.* Ostendit autem hic, quis & quantus apparuit, quomodo & quibus & ob quas vtilitates nostras. Quis & quantus? Deus Dei filius. Sed quomodo inuisibilis apparere potuit, cū scriptum sit, Deum nemo vidit vnquam. Verum quippe est fratres quod Dei

Tit. 2.

claritas

Ioan.1. claritas immensa, nec carnali, nec spirituali oculo prout est, videri potest. Re verà enim ille splendor, & illa gloria, superexcellit vniuersam contemplationem, non solùm hominũ, sed etiam archangelorũ. Sed cum immensa Dei misericordia, humanæ tenebras cęcitatis splẽdore suo vellet illustrare, carnis velamine suum vẽlauit fulgorẽ, vt sic infirmitas humanæ cõtemplationis, quoquomodo eum valeret intueri. Sanè sol temporalis, de illo æterno sole nos instruit. Si eius fulgorem inspicere contendimus, excæcamur, sed latentem sub nube melius possumus eum videre. Quomodo apparuit? gratis. Non enim ideo nobis apparuit quod ipse indigeret, vel quod nos meriti essemus, sed tantum ob gratiam suam nobis immeritis apparuit. Vnde idem Apostolus alibi: Non ex operibus inquit iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Est quidem fratres magna gratia, illi, qui nec bona, nec mala nobis intulit, misereri. Sed maior est & illi, qui immeritis nobis mala intulit, misereri. Maxima verò est, & illi, qui nobis bene meritis mala intulit, pro bonis misereri. Hoc fecit Dominus. Vnde Apostolus, Non quia inquit nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos. Et alibi: Cùm inimici essemus, reconciliati sumus sanguine ipsius. Nos ergo fratres Christum imitari satagamus, Christum imitamur, si inimicos nostros nobis per beneficia recõciliamus. Quibus apparuit? *omnibus hominibus*, subintelligendum est sese offerens. Quamuis enim Dei gratia non ab omnibus agnita sit, tamen Deus quantum in eo est, eam nobis obtulit: quemadmodum sol, quantum in eo est, omnibus lucet, nec aliquis potest se subtrahere ne luceat sibi. Itaque fratres, cùm gratia Dei se nobis omnibus offerat, nõ nos ei subtrahamus, sed potius ei toto desiderio occurramus. Tẽpore, & cæteris Dei donis nobis ad bene agendum præstitis, non abutamur, nõ otiosè prætereamus, nõ negligenter vtamur: quoniam iuxta Euãgelium, abscondens talentum iustè spoliatur: Et siculnea occupans terram succinditur. Et iuxta Hieremiam, maledictus est qui facit opus Dei negligenter. Ob quas vtilitates apparuit Christus? Ob quatuor.

Tit.3.

Ioan.4.

Rom.5.

Mat.25.

Prima

Prima quidem est fratres, vt exemplo & verbo quomodo viuendum, & quò festinandum nobis sit, demonstraret. Hanc ponit Apostolus cùm dicit: *Erudiens nos, vt abnegantes impietatem*, id est, infidelitatem, *& sæcularia desideria*, id est, omnia vitia, *viuamus sobriè* in nos, *& iustè* in proximum, *piè* in Deum, *expectantes* securè *beatam spem & aduentum Domini*. Ordo præposterus, aduentum Dei secundum, scilicet ad iudicium: Et beatam spem, id est, spem beatitudinis. Secunda verò causa vtilitas nostra est, qua Christus apparuit, vt charitatem quam erga nos habebat, nascendo, patiendo, moriendo pro nobis demonstraret, iuxta quod ipse ait, Maiorem dilectionem & charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hanc causam ponit Apostolus cùm dicit: *Qui dedit semetipsum pro nobis*. Tertia causa est, vtilitas nostra, vt de prima præuaricatione satisfaceret: illa autem præuaricatio fuit superbia tanta, vt se eleuaret mente homo vsque ad æqualitatem Dei. Cùm verò contraria contrariis curentur, oportuit vt ad satisfactionem illius superbiæ aliquis homo humiliaretur, ab altitudine diuinitatis vsque ad humilitatem hominis. Hoc autem nemo potuit facere nisi esset Deus & homo. Propterea Deus factus est homo. Hanc causam innuit Apostolus, cùm dicit, oblatione, Deo ad reconciliandū scilicet hominem. Quarta causa & vtilitas nostra, quare Christus apparuit, est redemptio, & emundatio, & satisfactio generis humani. Redemptio a potestate diaboli per sanguinem Christi. Emundatio à delictis per baptismum. Satisfactio per virtutem & opera virtutum. Hanc innuit Apostolus cum dicit hostiam, ad deuincendum scilicet hostem, vt emundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. In prima igitur causa fratres, Christus ostendit se esse verum magistrum, verbo & exemplo nos erudiendo. In secunda ostendit se esse verum amicum semetipsum pro nobis tradendo. In tertia ostendit se esse summū Pontificem, oblatione proprij sanguinis nos Patri reconciliando, secundum illud, Et in tempore iracundiæ factus est, reconciliatio. In quarta ostendit se esse redemptorem, purificatorem, & sanctificatorem nostrum, nos à potesta-

Matt. 11. *Hier. 18.*

Ioan. 15.

Contraria contrariis curantur.

Eccle. 44.

te diaboli liberando, à vitiis purificando, & virtutibus sanctificando. Nos itaq; fratres, recognoscamus Dominũ nostrũ Iesum Christum esse verũ & summum magistrũ, eius exemplum & doctrinã imitantes & sequentes. Recognoscamus eum verum & summum amicum nostrum esse, ei vicem prout possumus, reddentes, & animas nostras pro eo ponentes. Recognoscamus eum verũ & summum esse Pontificem, nosmet ei puros offerentes. Recognoscamus eum verum redemptorem, purificatorem, & sanctificatorem nostrum esse, hos tanquam suos emptos, mundatos & sanctificatos ei exhibendo: vt venientem eum iudicem securi videre mereamur Dominũ nostrum Iesum Christum, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Amen.

IN NATALI DOMINI.

Luc. 2. *Exiit, edictũ à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbus, &c. reliqua.* In hac sancti Euãgelii lectione, fratres charissimi, exponit nobis Lucas manifestè causas solemnitatis hodiernæ. Exponit enim hic sex res nobis, videlicet quo tẽpore natus sit Christus, quo loco, ex quibus, quo cultu nutritus, quibus, & per quæ indicia sit reuelatus. Porrò quo tẽpore natus sit Christus ostẽditur, cùm ait: *Exiit edictũ, &c.* Cùm Augustus Cæsar, monarchiã penè totius mũdi in tanta pace possideret, vt vniuersum mundũ vna descriptione cõcluderet, nasci voluit fratres charissimi, Christus: vt etiã ad literã tũc completa vi
Esa. 2. sa sit illa prophetia, Conflabũt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, &c. Non leuabit gens cõtra gentem, &c. Quantũ ad literam. In tali tempore nasci voluit Christus, vt se Principẽ pacis & monarchã cœli & terræ, & suos in libro vitæ descripturũ, demonstraret. Moraliter verò fratres, sub seruitute tributi voluit Dominus nasci, vt nobis in se voluntariæ humilitatis & mutuæ subiectionis præberet exemplũ. Si enim ipse, cùm sit Rex Regum, & Dominus dominantiũ, propter nos venit in hũc mundum, nõ dominari, sed subdi: nõ ministrari, sed ministrare: quid nos miseri serui, quid facere debem⁹ propter eũ? Propter eum dicam, an propter nos? Sed melius dicam & propter eum, & propter nos. Nam & propter Christũ lucrandum,

randum, & propter nos saluandos nos humiliare debemus. Si ergo Deus propter hominē se subdit homini, homo qua ratione subdi homini refugit? Itaq; fratres, cùm sponte nos humiliamus, cū seruimus proximo & ministramus, Christum imitamur. Quādo verò dominari hominibus, seruiri & ministrari cupimus, nō ipsum in hoc, sed Satanæ superbiā imitamur. Quomodo ergo fratres humilitatē & subiectionē Christi sequuntur Episcopi, Sacerdotes & Monachi, qui contendunt de dominatione, qui non solū personas, sed & Ecclesias suæ ditioni gestiūt subiugare? Nos ergo fratres, securiorē & firmiorem viam Christi sequamur, humilitatē & subiectionē. Iuxta quod Apostolus ait, Si seruus es, non sit tibi curæ: sed si potes liber fieri, magis vtere. Mysticè autē, Augusto Cæsare, superbo diabolo, penè iam super vniuersum mundū tyrannidem exercente, & ad suum seruitiū trāscribente, natus est Christus. *Hæc descriptio*, inquit, *prima facta est à præside Syriæ, Cirino*, id est, à primo apostata, Angelos sibi super alios per superbiam dominationem vsurpante. Cirinus autē, dominans siue Dominus interpretatur. *Et ibāt singuli, vt profiterētur in suā ciuitatē.* Ciuitas fratres, auarorum, auaritia est. Ciuitas luxuriosorū, luxuria est. Ciuitas gulosorū, gulositas est. Et auari ibant & conueniebant per consensum in vitiū auaritiæ, vt si non ore, tamē opere, se seruos diaboli profiterentur. Luxuriosi quoq; ibant & conueniebant propter consensum in vrbem luxuriæ, vt & si non ore, tamen opere se seruos diaboli profiterētur: & similiter cæteri vitiosi. Adeò autem fratres, hic diaboli seruitus, ante aduētum Christi inualuerat, quod & mater Christi, & sponsus eius, id est, Synagoga & Sacerdotium, irent in Bethleem, id est, in amorem terreni, non cœlestis panis: per hoc diabolo professionem faciētes. Hanc autem in qua tūc mundus erat miseriam, etiam hyems, & nox in qua Christus natus est, designat. Cum igitur in tanta seruitute esset totus mundus, natus est Christus, factus adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Sed & hodie fratres, quod sine gemitu dicere nequeo, multi falsi Christiani postquàm à seruitute diaboli per Christum sunt emancipati, rursus peccando in diabolī

Quomodo imitari debemus Christum.

1. Cor. 7.

Peccatorū ciuitates.

Psal.

Ioan. 8. boli redeunt seruitutem. Qui enim diaboli opera facit, quid aliud quàm diabolo facit professionem? Qui enim peccatum facit, seruus est peccati: Et qui facit opera diaboli, seruus est diaboli. Quo autē loco Christus natus sit, ostēditur cū dicitur: *in ciuitate Dauid*, quæ vocatur Bethleem: Essrata nequaquā minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populū meum Israel. Bene autem in Bethleem quę domus dicitur panis, nascitur qui verus panis est, suos externa satietate refecturus. Bene etiam non in parentum domo, sed in via nascitur, vt in hoc ostenderet quia per humanitatē, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alieno dico, non quantū ad potestatē, sed quantū ad naturam. In quo & fratres nobis innuitur, quod non solū ipse, sed & nos omnes homines eum in hunc mundū nascimur, non in nostrā patriam, sed in viam, peregrinationem, & exilium venimus. Vnde & Dauid licet Rex dives: Aduena, inquit, ego sum & peregrinus sicut omnes patres mei. Hinc est fratres, quod quādo infans nascitur, flere potest, ridere nō potest. Plorat & ipse Christus. Sed quod cæteri infantes plorant, necessitatis est: quod Christus plorat, dignationis. Cęteri infantes plorāt, quia patiantur: Christus, quia compatitur. Si ergo fratres, Christ⁹ plorat propter nos, quare ipsi propter nos metipsos non ploramus? Et si infantes ex infirmitate naturæ ploramus, quare adulti cùm miseriam nostrā intelligimus, nō magis ploramus? Pēsemus ergo fratres, quanta sit miseria humana, ob cuius medicinā Christum necesse fuerit plorare, & à tanto tantū nobis exhibitam medicinā non spernamus, sed tanta deuotione veneremur, diligamus, & imitēmur. Ex quibus verò Christus natus sit, ostēditur, cum subditur. *Eo quod essent de domo & familia Dauid.* Ioseph, scilicet & Maria. Vnusquisque enim secundū legem de tribu sua ducebat vxorē. Natus est igitur Christus, fratres, ex matre nobili, sed paupere: virgine, sed despōsata. Quod verò de matre nobili natus est, est mysterij: Quod de paupere, est humilitatis. Quod de virgine, est munditiæ. Quod de desponsata, est sacramenti. De matre nobili natus est, quæ non solum ex regia stirpe trahebat originem, sed etiam ex Sacerdotali, vn-

Bethleem dicitur domus panis.

Psal. 38.

de &

de & Elizabeth cognata Marię fuisse cõmemoratur. Porrò ex Regia & Sacerdotali tribu nasci voluit Christus, quia est Rex Regum, & Sacerdos secundũ ordinem Melchisedech erat futurus. De matre paupere, quia nec & in sua purificatione agnũ offerre potuit, natus est, vt nobis voluntariæ humilitatis & paupertatis exemplũ donaret. De matre semper virgine natus est, vt se munditiam diligere, & in mundis cordibus habitare demonstraret. Desponsata verò matre nasci voluit, vt Sacramentum incarnationis suæ diabolo occultaret. Mater Christi fratres charissimi, quæ in nobilitate non se extulit, sed paupertatem & humilitatem dilexit, eos redarguit, qui de nobilitate superbiunt, & humilitatẽ oderunt atque paupertatẽ. In hoc verò quod in paupertate, à naturali nobilitate degenerare paruipendunt. Rursus in hoc fratres, quod virginali castitate coniugium decorauit, dat matronis exemplũ in coniugio castitatem conseruandi. Quæ si penitus etiam à licito complexu cõtinent, profectò castitatẽ beatæ virginis imitantur. Sed & si quandoq; debitũ viro reddunt, non sine merito castitatis, dum fidem thori seruant intemeratã. In hoc quoq; quod beata virgo sub coniugio virginitatẽ celauit, dat omnibus exemplũ, castitatem, cæterasq; virtutes celandi. Nam flores virtutum corã Deo, tanto plus vernant & flagrant, quanto fauoris popularis eos non exurit. Similiter & Ioseph fratres charissimi, qui ex omnibus viris mũdi electus est, vt esset virginis sponsus cœlestiũ secretorũ conscius, familiaris Angelis, nutritius Christi, viris proponitur in exemplũ iustitiæ & fidei, humilitatis & castitatis, qui & ipse quoq; coniugiũ castitate ornauit, & castitatẽ sub cõiugio celauit. Quo autem cultu educatus sit Christus, ostendit, cùm dicitur. *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.* Fuerũt igitur indumentũ Christi, panni viles: lectus, arctum præsepe; cibus, lac virginale. Lac enim de carne corrupta elicitum, eum manducasse non credo. Vnde & legimus, ipsum Regem Angelorũ, sola virgo lactabat, vbere de cœlo pleno. In hoc cultu fratres charissimi, quatuor inuenimus, primò admirationem, in hoc quod ille qui lucem habitat inaccessibilem, & qui cœlum

Luc. 2.

Exemplũ matris Christi in quibus nos doceat.

Laudes Ioseph.

luce vestiuit, vilibus pannis circumamicitur: quod ille qui totum mundum continet in arcto præsepio continetur: Quod ille, qui omnibus dat escam in tempore opportuno, modico lactis educatur. Quis enim his non poterit admirari? Ministerium: Quia ideò Dominus voluit indui pannis, vt se vilitatem & corruptibilitatem nostram induisse demonstraret. Ideò poni voluit in præsepio, vt se refectionem piorum esse significaret. Ideo lacte virginali voluit pasci, vt se in pura matris Ecclesiæ doctrina delectari demonstraret. Medicinam, quia ideò dignatus est Dominus pro nobis pannis vilibus inuolui, vt nos stola incorruptionis vestiret. Ideò voluit pro nobis in arcto præsepio poni, vt nos in lato cœli palatio collocaret. Ideo voluit lactis pro nobis egere nutrimento, vt nos angelorum pane satiaret. Exemplum, quia ideò vilibus pannis propter nos circundatus est, vt nos vilitatem pannorum propter eum non abhorreremus, sed amaremus. Ideò in angusto præsepio propter nos positus est, vt nos propter eum paruo & vili tugurio cõtenti essemus. Ideò simplici cibo pastus est, vt nos quoque simplicitate & vilitate ciborum esse disceremus contenti. Et hoc fratres mei, contra illos est, qui in precioſis & mollibus vestibus delectantur: qui in constructione palatiorum & turrium gloriantur: qui auiditate precioſorum cibariorũ capiuntur. Quibus Christus reuelari voluit, ostẽditur, cùm subditur, *Et pastores erãt in regione eadẽ vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Quantũ ad literam fratres, Christus tanquam verus pastor, tanquã humilis, tanquã pauper, pastoribus, humilibus, & pauperibus, voluit primò reuelari. Mysticè verò isti pastores gregum significant quoscq; pastores fidelium animarũ: qui si fuerint in eadem regione, si vigilauerint super gregẽ suũ, & custodierint vigilias noctis profectò illis præcipuè Dominus suorum arcana Sacramentorum dignabitur reuelare. Isti sunt pastores in eadem regione in qua natus est Dominus, qui in munditia & castitate, in qua natus est Christus & permansit, sese, quantum possunt, regere contendunt. Vigilant super gregem suũ, qui in regimine animarum sibi commissarũ solliciti sunt. In quo etiam pensandum

Quid agere debeant pastores.

ſandum eſt fratres chariſsimi, quod dicitur, *ſuper gregem ſuum*. Nō enim ſufficit paſtoribus ſi ſint in ſcientia & vita ſicut populus: vnde & in opprobriū dicitur eis: & erit ſicut populus, ſic Sacerdos. Et ſicut præeminet paſtor gradu, ſic ſapientia & vita debet eminere. Vnde & dicitur: ſuper montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Hinc eſt quod Sacerdos accipiebat armum ſeparatum, quia actio paſtoris non ſolùm debet eſſe fortis, ſed & ſingularis. Cuſtodiunt vigilias noctis ſuper gregem ſuum, qui populum ſibi commiſſum in adoleſcentia, in virili ætate, in ſenectute, in decrepita ętate, informare cōtendunt. Et quos in adoleſcentia nequierūt, ſaltem vel in virili ætate, vel in ſenio, vel in decrepita ætate, corrigere concupiſcunt. Sed quomodo, fratres, hic dicitur, vigilias noctis cuſtodiētes ſuper gregem ſuum, cum in manu hominis non ſit cuſtodire vel ſe, vel alium, præſertim cum ſcriptum ſit: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Neque enim poteſt paſtor tacere ſolus, ſed ſocius, nec ad Dominum ire ſolus, ſed ſocius. Verùm vtique eſt fratres mei quod in manu paſtoris, non eſt gregem cuſtodire: ſed tamen ei ex neceſsitate officij inditum eſt, quoad poteſt, ad cuſtodiendum vigilare. Nam ſi aliquis veſtrum committat centum oues opilioni ſuo, & ille deuoratis & perditis cunctis ouibus, ſolus ad Dominum reuertatur, quid ei dicturus eſt Dominus ſuus? Nónne incarcerabit vel turpiter fugabit eū? Quid ergo fratres, quid dicturus eſt Deus illi pigro Paſtori, qui nullam animarum ſibi commiſſarum ad ipſum reducit? Nónne illum tanquam multarum animarum homicidam acrius cæteris damnabit? Vtique. Nam durius iudicium his qui præſunt, fiet. Per quæ iudicia voluit Chriſtus reuelari oſtenditur, cùm dicitur: *Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas eius circunfulcit illos*. Bene fratres, Angelus nuntians natiuitatem Chriſti ſtetiſſe legitur. Stare enim pugnantium eſt. Et ille natiuitatem eius nuntiabat, qui aereas poteſtates debellare veniebat. Ille verò Angelus, qui eius reſurrectionem nuntiauit, ſuper lapidem reuolutum ſedit, quia profectò illum nūtiabat, quia iam victor ſedebat. Bene Ecclc. 24.

& Angelus natiuitatis nuntius ſtetiſſe iuxta paſtores memoratur: quia videlicet Chriſtum propè & propitiũ fieri hominibus per carnem & miſericordiam denuntiabat.

Pſal. 84. Iuxta illud, Propè timentes eum ſalutare ipſius. Bene quoque Angelus cum luce in Chriſti natiuitate, quod in toto veteri teſtamento non legitur, apparuit: quoniam iuxta Prophetam, Tunc exortum eſt in tenebris lumen rectis corde: miſericors & miſerator Dominus. *Et timuerunt*, inquit, *timore magno* Quia humana infirmitas concutitur, vbi diuina ſublimitas manifeſtatur. Sed quia digni erant conſolatione, dixit eis Angelus: *Nolite timere.* Sicut enim diaboli & diabolicorum hominum eſt, hominem ad tremorem & deſperationem commonere: ita bonorũ Angelorum & hominũ eſt, homini conſolationem & ſpem præbere. Quare autem paſtoribus non timendum, ſed gaudendũ eſſe, oſtẽdit Angelus cùm ſubdit: *Ecce nuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo,* ſubaudis, electorum. Gaudium magnum & commune fratres, nuntiat Angelus paſtoribus: quia quoddam gaudium eſt quod non eſt magnũ ſed paruũ, vel potius nullum: vt gaudiũ quod habetur de aliqua re tranſitoria, de

Luc. 6. quo dicitur, væ vobis qui ridetis. Sed gaudium iſtud erat magnũ, quia de ſalute noſtra. Rurſus erat cõmune, quia omni populo credenti erat communicandũ. Ideò enim factus eſt Deus homo, vt homines deos faceret, & gaudiũ quod habebat ſolus, cõmunicaret pluribus. Hoc fratres contra illos qui ſoli ſibi viuere volunt, & bonũ quod habent, cæteris cõmunicare nolunt: Et ideò cõmuni ſanctorum bono, iuſtè priuãtur. Quod autẽ illud gaudiũ ſit, exponit Angelus cũ ſubdit: *Quia natus eſt hodie vobis ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.* Tribus

Tribus nominibus vocat angelus puerũ Ieſum. nominibus, fratres, vocat angelus puerũ, Saluatorẽ, Chriſtum, & Dominũ. Chriſtum, quia vnctus eſt plenitudine omniũ gratiarum, de quo omnes accepimus. Saluatorẽ, quia ſaluat & glorificat electos. Dominũ, quia dãnat reprobos. Sed quare fratres ait, *hodie*, cum in nocte natus ſit Chriſtus? Quia eam noctẽ, ſacramẽto natiuitatis ſuę ſplẽdidã Chriſtus reddidit, & ſolennẽ, iuxta quod ſcriptũ eſt,

Pſal. 138. Et nox ſicut dies illuminabitur, Et nox illuminatio mea

in

in deliciis meis, In ciuitate Dauid, Ideò dicitur, vt ostẽdatur verè Christus esse, qui in Bethleẽ secundũ Prophetas erat nasciturus. Sed quia Iudæi signa petũt, subdit Angelus: *Et hoc vobis signũ, inuenietis infantẽ pannis inuolutũ, et positũ in præsepio.* Ac si diceret, Ex hoc potestis probare quod dico, cũ cognoueritis esse vera & absentia quę nuntio, & futura quę prędico, vt cũ me veracẽ in his cognoueritis, in cæteris quoq; me veracẽ esse non dubitetis. Signũ verò angelus in humilitate & paupertate Christi posuit, vt demõstraret nobis per quę saluaremur, & quæ imitari debemus. Cæterũ, ne attestatio vnius Angeli insufficiens videretur, nõ duorũ tantũ subiungitur vel triũ testimoniũ, sed etiã multorũ, cùm dicitur: *Et facta est cũ Angelo, cõcors scilicet, in testimoniũ, multitudo militiæ cœlestis laudantiũ Deũ, & dicentiũ: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis.* Ac si diceret, Ex natiuitate Christi, Deus ab altissimis virtutibus glorificatur & benedicitur, eò quòd ruina angelica ex reparatione hominis suppletur. Et pax & recõciliatio cum Deo hominibus bonæ volũtatis præbetur. Non autẽ ait hominibus bonæ operationis, quia bona operatio sine bona voluntate non sufficit. Bona verò volũtas sine bona operatione, si facultas deest, sufficere potest. Itaq; fratres mei, si multũ laborare, si multũ largiri, si multũ ieiunare nõ potestis, saltem habeatis bonã voluntatẽ, quæ si prompta fuerit, proculdubio pro facto reputabitur. Nõ enim pẽsat Deus quantũ quis offerat, sed ex quanto. Reliquerunt, quippè Petrus & Andreas nauem & retia, & omnia reliquisse iudicantur. *Mat. 4. Luc. 21.* Obtulit vidua minuta duo, & diuitibus multũ offerentibus præfertur. Offeramus & nos fratres, quod possimus, & si non habemus facultatem, saltem offeramus bonam voluntatem, quoniam natiuitas Christi dat pacem hominibus bonę voluntatis, quam ipse nobis largiatur, qui hodierna die pro nobis de virgine nasci dignatus est, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritusancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

IN NATALI DOMINI.

IN principio erat verbum, &c reliqua. Meritò fratres charissimi, Ioannes Apostolus & Euãgelista, Boanerges, id *Ioan. 1. Luc. 21.*

est, filius tonitrui nuncupatur: tum quia in monte cum Iacobo fratre suo, & Petro, audiuit vocem patris, super filium intonantē, Hic est filius meus dilectus in quo mihi cōplacui: tum quia de coæternitate eiusdē verbi cum patre, sic altè meruit intonare. Filius igitur tonitrui est, qui hîc loquitur, & tonitruum est quod loquitur. Nam altissimè, obscurissimè, cælitus, imò super cælitus loquitur. Vniuersum quippè intellectū non solùm humanū, sed & angelicū superexcellit quod loquitur. Vnde nō immeritò in figura quatuor animalium Aquilæ volanti altiuolo videlicet & altitudo præ cæteris volatili cōparatur. Cæteri quippè Euangelistę, qui temporalem Christi natiuitatē, & temporalia eius gesta quæ gessit in homine, sufficienter exponunt, & de diuinitate eius pauca dixerunt, quasi animalia gressibilia cum Domino in terra ambulant: Hic autē pauca de temporalibus eius gestis edisserens, sed diuinitatis eius potentiam sublimius cōtemplans, cum Domino ad cœlum volat. Et talia tali congruebant: quia namq; altus erat vita, altus factus est intelligentia, altus & doctrina. Altus siquidem erat vita, quoniā virgo est electus à Domino: quoniam præ cæteris dilectus est à Domino, quoniam supra pectus Domini recumbēs altius hausit: quoniam virginem matrem ei virgini cōmendauit, quoniam familiarius & profundius cæteris, sua secreta ei reuelauit. Igitur sicut altissimè volauit penna virtutis, sic altissimè vidit oculo contemplationis, sic altissimè intonuit verbo prædicationis. Nec duntaxat cæteros Euangelistas, verùm etiam seipsum supergreditur & superuolat. Iuxta quod ab Ezechiele dictum est: Facies, inquit, Aquilæ desuper ipsorum quatuor. Cùm enim aquilam, non solùm tribus, sed & quatuor describat supereſſe, cùm procul dubiò non solùm cæteros Euangelistas, sed & seipsum designat superuolare. Enimuerò cùm loquēs de æterna verbi natiuitate, Ioannes intellectum superuolet vniuersum, suum etiam intellectū superuolat: quia sancti spiritus gratia illustratus plusquam homo & videt & resonat. Hunc attestatur & illud Apostoli Pauli: Nec oculus, inquit, vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparat Deus diligentibus se. Nobis autem Deus reuelauit,

Mat.17.

Ioan.1.

Ioan.14.

Ezech.1.

1.Cor.2.

lauit, per spiritum suum. Acsi apertè dicat, quod spiritu sancto illustrati super humanum intellectũ contemplantur iam pluspquam speculantur. Hic & ipse Dominus cùm interrogasset discipulos suos, dicens: Quẽ dicunt esse homines filium hominis? Et illi humanas opiniones retulissent, ait: Vos autem quem me esse dicitis? Acsi dicat, illa dicunt homines tantũ humana sapientes: vos autem, qui per gratiam sancti spiritus pluspquam homines videtis, quem me esse dicitis? Sic igitur noster spiritualis aquila, creaturam superuolans vniuersam, primùm intonat Christum ante tempora Deo patri consubstantialem esse. Secundò per eum omnia facta esse. Tertiò, per eundem hominis ruinam restauratam esse. Primùm igitur Christũ ante omnia tempora, Deo patri cõsubstantialem esse, intonat, dicẽs: *In principio erat verbũ.* In quibus verbis, & veritas insinuatur, & hæretica falsitas iugulatur, & istius Euangelistæ superexcellentia demonstratur. Et in his quidem verbis veritas insinuatur nobis, si tamẽ ipsorũ transsumptio verborum, spiritu reuelante, nobis vigilãter aduertatur. In rebus quippè temporalibus per cognitionem rerum, venimus ad cognitionem ipsorum vocabulorum. In diuinis verò necesse est nos per cognitionem vocabulorum, peruenire ad quantulamcunq; intelligentiam rerum. Si enim de incognitis rebus per incognita nomina nobis sermo fieret, nulla nobis eruditio proueniret. Inde necesse fuit Theologis, cognita rerum cognitarum, ex aliqua similitudinis proportione, vocabula mutuare, & sic per cognita vocabula, aliquantulam incognitæ rei cognitionem nobis intimare. Cùm igitur hæc omnia filius, verbum, splendor, speculum, & huiusmodi, ad Theologiam transferantur, nemo putet ea inuentionis suæ ibi tenere significationem, sed causam transsumptionis sapienter inuestiget: nec ipsa transsumptione absolutam similitudinem vel proportionẽ esse existimet: quoniam comparatio creaturarum ad Creatorem, nulla est. Sed Theologus qualibus potuit indiciis, de re ineffabili nobis effatus est. Logos igitur Græcum, pro quo nos habemus verbum, triplicem gerit significationem. Significat enim rationem, significat & verbum corde conceptum, significat

Mat. 16.

Logos quid significat.

&

& verbum prolatum. Porrò logos siue verbum à qualibet istarum acceptionum, satis conuenienter transsumitur ad filium Dei significandũ. Dicitur quippe filius Dei logos, siue ratio patris, ea proportione, quoniam sicut ratio est ipsi homini coæua, sic & suo modo filius Dei, est Deo patri coæternus. Et sicut homo per rationem & sapientiam suam prudenter operatur, ita Deus pater per filiũ suum
Psal. 103. sapienter operatur vniuersa. Vnde & ei, per sapientiam dicitur, omnia in sapientia fecisti. Rursus & à verbo mente concepto non incongruè transsumitur ad filium Dei designandum, quoniam sicut verbum mente conceptum ex mente oritur, & cum mente manet, sic & suo modo filius Dei ex Deo patre oritur, & cum eo manet semper. Vnde
Psal. 118. ei per Psalmistam dicitur: In æternum Domine verbum tuũ permanet in cœlo. Rursus & à verbo prolato, & proportione, transsumptio fit ad filium Dei: quoniã sicut homo ex ore suo profert verbum, & per illud suam aliis manifestat voluntatem, & per mandatũ verbi sui operatur: sic & suo modo Deus pater, ex substantia sui genuit Deũ
Eccle 24. filium, ipso filio sic testificante: Ego sapiẽtia ex ore patris prodij primogenita ante omnem creaturã: & per ipsum
Psal. 32. pater operatur, sicut testatur Psalmista, dicẽs: Verbo Do-
Ioan. 17. mini cœli firmati sunt. Et per eundem filium pater hominibus suam manifestat voluntatem, ipso filio sic testante,
Sum significat substãtiã simplicem & solitariam. Manifestaui nomen tuũ hominibus. *Sum* quoq; verbum substantiuum significat substantiam simplicem & solitariam. Diuina quoq; essentia est substantia simplex & solitaria. Et substantia quidem est, quoniam res est per se existens, vtpotè quæ nullo alio indiget, cuncta verò alia ea indigent ad sui existẽtiam. Simplex verò est sine partibus, & sine omni formarum concretione. Solitaria, & est sine omni formarũ adiectione. Licèt enim Deus dicatur vnus, verus, sapiens, iustus & pius, tamen omnia hæc in Deo nõ sunt plura. sed vnum hoc. Hinc est quod hoc verbum *Sum*, magis propriè cæteris verbis de Deo prædicatur, & maximè in præsenti tempore. Vnde ipse Deus ad Mo-
Exod. 3. sen: Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos. Ac si apertè dicat: Ego solus verè sum. Cætera quippè omnia ad comparationem diuinę æternitatis non sunt,

sunt, quoniã generationi & corruptioni, augmento & diminutioni, alterationi, & locorũ mutationi subiecta sunt, & secundũ temporũ mutationẽ, accedunt & recedunt. Solus verò Deus verè est, quoniã æternus, quoniã immutabilis, quoniã semper præsens est. Aeternus, sine principio & fine. Immutabilis, sine omni motuum varietate. Semper præsens, sine temporis accessione vel recessione. Igitur, si ad præsentiam æternitatis diuinę respiciamus, semper specialiter est, & nunquam fuit vel erit inuenimus. *Solus Deus verè est.*

Cæterùm quando Deum, nulli tempori defore, & omnia transcędere tempora, significare volumus, quoniam temporales sumus, & sine temporalibus verbis loqui nõ possumus extra proprietatem, præterito & futuro verbo ad loquendum de Deo abutimur. Vnde Ioannes: Qui erat, & qui est, & qui erat venturus. Similiter & hîc dicit: *In principio erat verbum*. Vigilanter autem non ait, fuit vel fuerat, sed ait erat, fuit quippè præteritionem perfectam: fuerat, plusquam perfectam ostendit, & ideò minus Deo congruit. Erat verò, quia præteritionem nondum perfectam designat, & præsenti tempori magis cõiunctum est, significantius positum est. Hoc autem verbũ erat in principio siue temporis, siue creaturarum: tempus enim & creatura sunt cœua. Est ergo acsi dicat, in principio temporis non incepit esse verbũ, quoniã ante principiũ temporis erat verbum. Quod autem sic intellexerit Euangelista, probatur ex hoc quod per idem verbum, facta confirmat vniuersa. Si enim & tẽpus, & creaturæ omnes per verbum factæ sunt, patet proculdubio quoniam auctor præcessit omnia ipsa quæ fecit. Vnde & in sequentibus sic orat ad patrem: Clarifica me Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret. Itaq; quòd præcessit omne tempus, æternum est. Et quod fecit omnem creaturam, creator est. Potest etiam dici, quoniã verbum erat in principio, id est, in patre. Erat igitur verbum in patre, principiũ in principio. Filius quippè se esse principium testatur, quando quęrentibus Iudæis, Tu quis es? Respondit, Principium qui & loquor vobis. Sed pater est principium sine principio. Filius verò sicut est Deus ex Deo, ita est principium de principio: nec tamen duo prin-

Apoc. 1.

Erat, præteritionem nondum perfectã designat.

Ioan. 17.

Ioan. 8.

cipia,

Psal.109. cipia, sed vnum principium. Vnde ipse pater ad filium loquitur. Tecum principium, subaudis est mihi. Cæterùm pater dicitur principium triplici ratione. Est enim principium filij per generationem. Est principium spiritus sancti per spirationem. Est & principium creaturarum per creationem. Filius verò duplici ratione dicitur principiũ. Est enim principium cum patre spiritus sancti per spirationem. Est & principium creaturarum per creationem. Spiritus verò sanctus vno tantummodo dicitur principium, quoniam est vnum principium cum patre & filio, creaturarum per creationem. Sed quomodo verbum erat in principio, id est, in patre? vt simile in simili. Qualis enim pater, talis filius. Si enim de duobus valde similibus dicitur per expressam similitudinem, quoniam alter est in altero, qui videt vnum, videt & reliquum: quantò magis de Deo patre & eius filio, quorũ essentia non tantum similis, sed & vna, eadem est. Vnde cùm Philippus

Ioan.14. dixisset Domino: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis: audiuit ab eo, Philippe, qui videt me, videt & patrem. Non credis quia ego in patre, & pater in me est? *Et verbum*, inquit, *erat apud Deum*. Sanè hæc præpositio, *Apud*, nõ localem, sed personalẽ designat distinctionem. Nihil enim propriè apud se esse, vel secum esse, dicitur, nisi fortè per figuram dicatur, quod ille apud se est qui per mentis alienationem extra se non est. Itaq; in principio erat verbum apud Deum, tanquam alius, apud alium. *Et Deus erat verbum*. Deus ex parte prædicati debet intelligi; Et de filio Dei non quis, sed quid esset hic demonstratur. *Hoc erat apud Deum*. Quoniam cum in tribus clausulis posuerat Euãgelista hoc appellatiuum nomen, *Verbum*, vt æquiuocationis & inuocationis excluderet calumniam, de eadem verbi persona per demonstratiuum pronomen, se demonstrat texere narrationem. Verùm apud Græcos non hoc, sed hic ponitur, quoniam logos est masculini generis. Propterea ad vtrumlibet, siue ad logos, siue ad Theos referri potest, sed tamen sensus idem est. Consideremus igitur fratres, quoniã quinq; dicit hic Euangelista de verbo, videlicet quando erat, vbi erat, quid erat, apud quem erat, quid faciebat. Quando erat?

In pria-

In principio erat verbum. vbi erat? Et verbum erat apud Deum. Quid erat? Deus erat verbum. Apud quem erat? Deus enim erat apud Deum. Quid faciebat? omnia per ipsum facta sunt. In primo demonstrat verbi cum patre coeternitatem: in secundo, personalem distinctionem: in tertio eius diuinitatē: in quarto eiusdem cum patre identitatem, pariter & distinctiònem: in quinto, operandi auctoritatem. Et idem quoq; verbum suggillat hæreticam falsitatem. Fuerunt namq; hæretici qui dicerent: Si filius Dei natus est, ergo non semper fuit. Hos in principio redarguit, dicens: *in principio erat verbum.* Fuerunt rursus hæretici qui dicerent: Idem Deus aliquando est pater, aliquando filius, aliquando spiritus sanctus. Hos quoq; confutat, cùm subiungit, *& verbum erat apud Deum.* Fuerunt rursus hæretici qui & si dicerēt filium Dei & semper alium à patre fuisse, tamen Deum esse negabant. Hos & suggillat, cùm subditur: *Et Deus erat verbum.* Fuerunt namq; hæretici, qui, & si Christū concedunt esse Deum, tamen non naturalem, sed adoptiuum & temporalē esse Deum contendebant. Hos nihilominus damnat cùm addit: *hoc erat in principio apud Deum.* Fuerunt etiam hæretici qui visibilia omnia à diabolo facta, sola verò facta inuisibilia à Dei verbo contenderent. Eisdem etiam verbis, excellentia huius Euangelistæ demonstratur. Alij siquidem Euangelistæ Christum in tempore natum describūt: Ioannes verò eundem in principio fuisse testatur, dicens: *In principio erat verbum.* Alij eum commemorant inter homines subitò apparuisse. Ioannes verò eundem apud Deum semper fuisse declarat, dicēs: *Et verbum erat apud Deum.* Alij eum verum hominē: Ioannes verò verum esse Deum affirmat, dicēs: *Et Deus erat verbum.* Alij eum hominem apud homines conuersatū temporaliter. Ioannes verò apud Deum manentem æternaliter ostendit, dicens: *Hoc erat in principio apud Deum* Alij magnalia quę in homine gessit, perhibent: Ioānes verò quod omnis creatura visibilis & inuisibilis per eum facta sit, ostendit, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt.* Est autem hæc pars secunda, in qua de Dei verbo, tria dicit Euāgelista, scilicet per illud factū esse omne bonū & nullum malum. Et quod factum est

Hæreticorū peruersitas refellitur à diuo Ioanne.

Omne bonũ à Deo.

est in tempore, in verbo semper fuisse. Porrò per ipsum omne bonũ factũ esse dicit, cùm dicit: *Omnia per ipsum facta sunt.* Sanè cùm omnia dicit, nihil excipit, sed omnem creaturã cõprehendit, tam visibilem, quam inuisibilẽ, tam subiecta formarũ, quàm formas subiectorũ, tam singula generũ, quàm genera singulorum, tam operationes generum, quam genera operationum. Operatus est enim omnia ab æterno in præsentia. Vnde & de eo legitur: Qui fecit quę futura sunt, & in cõtinenti. *Quod factum est in ipso vita erat.* Operatus est in principio, creãdo omnia corpora in materia. Vnde legitur: Qui viuit in æternũ, creauit omnia simul. Operatus est per sex dies, distinguẽdo & formando de elemẽtis nouas rerũ species. A quarũ nouitate legitur in die sabbati quieuisse, operatur & adhuc omnia gubernando & similia de similibus propagãdo, & nouas animas procreando. Vnde ipse dicit: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Operatur quoq; per ministerium artificũ. Vnde legitur: Nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborauerũt qui ædificant eam. Operatus est & in plenitudine temporũ salutem nostram. Operatus est, & adhuc operatur quotidie opera miraculorum, opera virtutum, opera misericordiæ, & opera iustitiæ. Cæterùm quædam istorum operatur tantùm per se, quædam per ministerium subseruientis naturæ, quædam per ministerium rationalis creaturæ, cùm tamen ipse solus sit auctor vniuersorum. Quod apertè confutat illos, qui vel ex viribus, vel ex ingenio, vel ex industria sua, aliquid boni opinantur se posse, vel velle, vel operari. Vnde & Apostolus: Deus, inquit, est qui operatur in nobis & velle & perficere. Et alibi, Non, inquit, ego solus, sed gratia Dei mecum. Et Marcus: Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Verùm quando audis, gratia Dei mecũ, vel Domino cooperante, caue ne intelligas hanc propositionem, *cum vel con*, ibi numerũ cõsignificare (nõ enim proprietas & improprietas in numerum surgunt) sed potius ministerium siue instrumẽtum habent ibi designare. Non enim nos & Dominus cooperamur, sed potius ipse cum nobis, quasi cum ministris, vel quasi cũ quibusdam in-

Ecclc.18.

Ioan.5.

Psal.12.

Quotidie operatur Christus.

Philip.2.

2.Cor.15.

Mar.vlt.

instrumētis operatur. Et hęc omnia diximus pro eo quod scriptū sit, *omnia*. Cùm verò subiungitur per ipsum, caue ne per hanc præpositionē, *per*, ministerium intelligas, sed potius intelligas auctoritatē. Nō enim pater per filiū, tanquā per ministrū, operatur, præsertim cùm eiusdē auctoritatis & potestatis sit filius, cuius est & pater. Sed pater dicitur operari per filiū, nō filius per patrem: quoniā auctoritatē operandi, quā habet filius, habet à patre, nō pater à filio. Sic igitur demonstrato, quod omnia bona facta sunt per verbum, consequenter ostenditur, quod nullum malum factū est per ipsum, cùm subditur. *Et sine ipso factum est nihil*, id est, peccatum vel vitium. Hoc est quod dicit Iacobus in epistola Canonica: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio: Acsi apertè dicat: Ita Deus confert bona, quod non infert mala. Ita mutat homines à malo in bonū, quod non trāsmutat eos de bono in malum. Ita illuminat homines luce virtutum, quod non vicissim obumbrat eos tenebris vitiorum. Quod enim legitur Deus excæcare iniquos, vel indurare. Hoc facit vtique non tenebris vitiorum infundendo, sed lumen gratiæ suæ subtrahendo. Veruntamen animaduertendū est, quoniam hoc nomen malū in sacra scriptura, triplicē gerit acceptionē. Quādoq; namq; malū nuncupatur pœna, tribulatio, anxietas, vel flagellum: quæ quoniam à summo Iudice iusto iudicio immittūtur, proculdubiò à Deo sunt: vnde legitur, Non est malū in ciuitate quod non fecerit Dominus. Iuxta quod ipse per Esaiā dicit, Ego sum Deus, & non alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malū. Quandoq; verò dicitur malum, mala res, vtputa malus homo, vel actio mala. Quæ quidem inquantum est à Deo auctore, bona est. Quandoq; etiam dicitur malum, malitia, vel iniustitia, & quodlibet peccatum: quod quoniam est priuatio iustitiæ, nihil est, & ideò à Deo non est. Quando ergo legimus quod peccatū, quod vitium, quod idolum nihil est, distinctione opus est: Si enim de nominis appellato sermo texitur, falsa est loquutio. Quoniam illud quod est peccatum, vel

Iacob. 1.

Deus ita cōfert bona, quod nō infert mala.

Quomodo Deus dicitur excæcare iniquos.

Malū in scriptura tripliciter accipitur.

Amos. 3. Esai. 48.

Quomodo peccatum nihil est.

idolum, nonnihil est. Homicidium quippè actus crudelis & immanis, & idolū corpus est. Si verò de nominis qualitate sermo proponatur, proculdubiò verus est sermo. Illud quippè vnde idolum nomen accipit, nihil est, quoniam conformis deitas, quam falsa hominum opinio ei attribuit, nihil prorsus est. Similiter & illud vnde homicidium cognominatur, nihil est, quoniam nō naturæ, sed potius iustitiæ, debitiq; finis priuatio est. Et cùm subtilius rem inquiramus, nullus actus quantūcunq; peruersus sit, à debito fine frustratur. Et si enim praua intentio agētis, quantum in se est, actum peruertit, tamen summus Auctor opus suum ad debitum finem, id est, ad iustitiæ vel misericordiæ suæ laudem semper dirigit. Et tamen inde prauus minister iustè damnatur, quoniam actum quantumcunq; in se est, à debito fine priuauit. Quemadmodū ille qui Regem voluit prodere, damnatur: non quia prodidit, sed quia quantum in eo est, fecit. Postquam autem dixit Euangelista per verbū facta esse vniuersa, ne cui videretur secundū rerū accessionem & mutabilitatē, accedentem quoq; & mutabilem fuisse in Deo voluntatem & dispositionem, per quam subitò aliquid voluisset, ostēdit ea quæ facta sunt in tempore, in & esse diuina per præsentiam & dispositionē semper fuisse mente, cùm subiungit, *Quod factum est in ipso, vita erat*, hoc est quod alibi legitur, qui fecit quæ futura sunt. Hinc & Psalmista, Populo, inquit, qui nascetur, quē fecit Dominus. Quicquid enim Deus tēporaliter facturus erat, præuidit ab æterno, quid, quantum, quale, vbi, & quando, illud facturus erat. Si enim architectus temporalis arcam facturus, prius habet eam in mente per præuidentiam, & posteà ad exemplar mentis suæ fabricat & figurat illam: Et arca quidem materialis perit: Arca verò mentalis consistit: ita quod ad exemplar eius alia & alia fieri possit: quantò magis exemplar diuinæ mentis immutabiliter manet: licèt res ad illud factæ temporalitet accedant & recedant.

Nullus à debito fine frustratur.

Sequitur pars tertia, in qua incipit Euangelista demonstrare, hominū ruinam per verbum Dei esse reparatam. Et hoc modo: primò demonstrat, quòd Dei verbū, quod dedit cæteris rebus esse vel viuere, homini etiā cognitionem

nem sui creatoris dedit. Secundò quod homo vitio suo illam amisit. Tertiò, quomodò per verbum Dei illam recuperauit. Primum igitur ostendit, quòd Dei verbum, quod cæteris rebus dedit essentiam vel vitam, hominibus etiam dedit sui cognitionem, cùm subditur: *Et vita erat lux hominum.* Ac si apertè dicat, Verbum quod erat per methonimiam, quibusdam rebus essentia, quibusdam etiam vita erat, hominibus essentia, & vita, & lux. Non enim insensatis rebus, nō brutis animalibus, sed soli creaturæ rationali dedit Deus sui cognitionē. Porrò tripli- *Triplici-*
citer illuminat Deus hominem, rationis discretione, fi- *ter Deus*
dei, cæterarumque gratiarum illustratione, & sui ipsius *illuminat*
reuelatione. Primùm facit hominem creans: secundùm *hominem.*
illum recreans: Tertiùm illum glorificans. Primùm est homini natura. Secundū gratia. Tertiū merces æterna. Vnde & legitur illum plasmasse ad imaginē & similitudinem suam. Ad imaginem, in ratione: ad similitudinem in *Gen. 1.*
bonitate: vt videlicet quemadmodū Deus est rationalis & bonus: sic, sed suo modo, homo esset rationabilis & bonus: & ratione quidem sciret discernere verum à falso, bonum à malo, & maius bonū à minus bono: Et ita super omnia reperiret & cognosceret verū & summū bonū: Bonitate verò imitaretur & coleret ipsum. Vnde cùm Psal- *Psal. 4.*
mista quæstionem posuisset quorundam dicentium, quis ostendet nobis bona? Statim quis bona nobis ostenderit, ostendit, cùm subiungit: Signatū est super nos lumen vultus tui Domine. Vultus quippè Dei, filius est: per quem Deus cognoscitur, cuius lumē dicitur gratia virtutū eius, quarum radio nos signat & insignit: & hoc super nos: id est in superiori parte rationis, in qua sola relucet imago Dei, tanquam exemplar in speculo & forma sigilli ceris impressis. Hæc enim originaliter summum sapit, amat, & quærit bonum, & naturaliter ad suum semper reuolat & tendit exemplar & principium. Sicut Psalmista testatur *Psal. 26.*
ad ipsum loquens, tibi dixit cor meum: exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Et quantò magis imago diuina in nobis à vitiis purificatur, & virtutibus Deo assimilatur: tantò magis eum cognoscit, ardet, & quærit. Cæterùm dum à carnali inhabitatione mens

aggrauatur, nequit, vsquequaque sordes vitiorum à se declinare, nec omnes Christi virtutes æmulari, nec ipsas, quas habet, ad vnguem perfectas obtinere. Propterea
1.Cor.13. non potest hic summũ bonum speculari, nisi, vt ait Apostolus, per speculum & in ænigmate. Ex parte enim hic cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem deposita mortalitate venerit quod perfectum est, remota omni nube videbimus eum facie ad faciem atque sicuti est. Qui verò diuinam in se imaginem negligunt purificare, patientes eam paulatim vitiis obscurari, non solùm diuinam amittũt similitudinem, sed etiam ipsa in eis imago diminuitur & obnubilatur, vt Dei, cœlique ad quæ creati sunt, obliti, more pecudũ ad terram totis desideriis
Psal.48. incuruantur, iuxta illud Psalmistę. Homo cùm in honore esset, non intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Cæterũ & si diuina in nobis imago per sordes vitiorũ violetur, & obfuscetur, nequaquam tamen vsquequaq; suffocatur & destruitur, sed in quãtocunq; peccatore semper viuit scintilla rationis, quæ conscientiam accusat, malum reprobat, bonumq; cõmendat.
Luc.10. Vnde in Euãgelio Luçæ, ille qui incidit in latrones, cùm legatur & spoliatus & vulneratus, nequaquã tamen dicitur interfectus, sed semiuiuus derelictus. Et hoc est quod hic Euangelista subiungit, *Et lux in tenebris lucet.* Ac si apertè dicat, licèt homines vitio suo tenebrosos se faciãt, & quantum in eis est, lucem diuinam à se expellant, tamen lux diuina in mente eorum, tanquam in speculo suo resultat, quę eos accusat & damnat. Nec solùm in mente, sed etiam in elementis, cæterisq; creaturis relucet imago creatoris: quoniam perpetuitas, pulchritudo, bonitas, sapientia, creaturæ perpetuitatem, pulchritudinem, bonitatem & sapientiam comprobant creatoris. *Et tenebræ*, inquit, *eam non comprehenderunt*: id est, non intellexerunt, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt. Noluerunt enim intelligere, vbi benè agerent, vel certè tenebrosi homines quantiscunq; vitiis se inuoluerent, diuinam mẽtis suæ imaginem penitus comprehendere, id est, extinguere nequiuerunt: hæc enim eos in inferno positos accusabit, & vermis malæ cõscientię semper eos cruciabit. Sequitur,

Fuit

Fuit homo missus à Deo. Hic incipit Euangelista tractare de humani generis redemptione, siue reparatione: contra illos qui dicebant humanam naturam, sic in protho-plausto deprauatam, quod irreparabilis deperiret. Agit autem hoc modo: primò demonstrat quod humana redemptio prænuntiata sit: secundò per quem facta sit: tertiò, quod non ab omnibus susceptа sit: quartò, quid boni eam susciпientibus cõtulerit: quintò, quomodo facta sit: sextò, quorum attestationibus approbata sit. Cùm autem ab exordio mundi primùm à Patriarchis, deinde & à Prophetis præfigurata fuerit, tamen Euangelista breuitatis causa, ea prætermittit, quæ conuenientia suis in locis occurrerint positura: & à propinquiori prænuntiatione incipit præcursoris, qui tanquam luciser propinquum solem, & tanquam aurora propinquum diem præcucurrit. Hunc igitur talem fuisse describit, qualem præcursorem redemptoris esse conuenit, & cui meritò credendum sit. Commendat autem eum à natura, à dignitate, à nomine & ab officio. Porrò à natura eum commendat, cùm dicit, *Fuit homo missus à Deo.* Hoc est rationabilis, & illustratus imagine & similitudine sui creatoris. Hoc enim nomen, homo, quandoque ponitur in plenitudine suæ significationis, vt quando dicitur, Homo est animal rationale & mortale. Quandoque verò in patre plenitudinis, & tunc aut ponitur pro superiori, vt cùm dicitur, Deus creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam; aut pro inferiori, vt quãdo dicitur, Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. A dignitate eum commendat, cùm dicit: *Missus à Deo.* Apostolus Græcè, missus Latinè dicitur. Fuit igitur maximus, qui nõ solùm Apostolus, sed etiã à Deo ante Apostolos missus, Apostolorum Apostolus est factus. A nomine eum commendat, cùm subdit, *Cui nomen erat Ioannes.* Enimuerò, Ioannes gratia interpretatur. Et benè à gratia nomen habebat, qui gratia refertus erat, gratiamque prædicare veniebat. Lex enim & Prophetæ vsq; ad Ioannem. Ab officio eum commendat, cùm subiungit: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Non enim casualiter, non incidenter, de lumine testimoniũ perhibuit,

Gen. 1.

Iob. 14.

Luc. 16.

sed specialiter ad hoc & principaliter missus est, ad hoc venit, ad hoc sollicitus fuit. *Vt omnes*, inquit, *crederent per illum*: Quasi ille dicat, quantum in se fuit, fecit, vt omnes crederent: Et si quis non credidit, in eo non remãsit. Sanè hæc quatuor quæ hîc cõmendantur in Ioãne, in quolibet requirenda sunt prædicatore, videlicet vt sit non brutus, sed rationabilis & ingeniosus: vt nõ se ingerat, sed à Deo sit missus: vt sit gratiosus & gratus: vt veniat non opes, non gloriam quærere, non voluptatem, non honorem, sed testimonium perhibere de lumine. Quomodo? operando, viuendo, docendo, vt omnes, quantum in eo est, credant per illum, nullusque in eis pereat somnolentia.

Quatuor in prædicatore requirantur.

Cæterùm Ioannes, & si tantis radiaret radiis titulorum, tamen non erat ille lux, subaudi ex se lucens, sed potius lucerna à vera luce ad hoc illuminata, vt testimonium perhiberet de lumine: hoc est, nõ erat Christus, sed Christi præcursor & præco. Per quem autem humana redemptio facta sit, demonstrat, cùm subdit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sanè Christus & erat, & est lux vera, quoniã non aliundè, sed ex se est lucens: & ex se, est alios illuminans. Vera lux est, & veritate in se lucendi, & veritate ex se alios illuminandi. In se quippe lucet, & luce summæ bonitatis, & bonitate summæ lucis. Alios verò illuminat, & veritate lucis, & luce veritatis: vera luce fidei, spei, & charitatis, & fide, & spe, & charitate veræ lucis. In se lucet substantialiter, æternaliter, inde mutabiliter. Alios illuminat spiritualiter, vniuersaliter, potentialiter. Spiritualiter, quoniam non bruta animalia, sed solam spiritualem, rationalemque creaturam, luce suæ cognitionis illustrat, vnde & dicit, *illuminat hominem*. Vniuersaliter, quoniam ad modum Solis, quantum in eo est, vniuersos (nisi quis se subtrahat radiis eius) illuminat. Vnde & adiungit, *omnem*. Potentialiter, quem & quemlibet, quantumcunque peccatis tenebrosum, quantum in eo constat, potenter purgat & clarificat. Vnde & subiungitur: *Venientem in hunc mundum*, id est, cadentem in noctem huius mundi, tenebris peccatorum, ignorantiæ, miseriæq; pariter excæcati. Quòd verò lux vera, non ab omnibus susceptа sit, subse-

quenter

quenter ostendit, cùm subdit: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperũt.* In quibus verbis, & diuinã Christi naturã, per quam in omnibus creaturis infusus & præsens est: & humanam, per quam accessit ad nos, cõprehendit. In mundo erat, & in mundum venit. In mundo erat per diuinitatem, & in mundum venit per humanitatem. Manere siquidem est diuinitatis: venire verò vel abire, humanitatis. Est ergo ac si dicatur: Licèt verbũ Dei esset præsens in mundo per diuinitatis essentiam: & appareret in creatura sua per facturam, gubernationem, & conseruationem: tamen mundus, id est, mundani eum non cognouerunt. Propterea per assumptam humanitatem visibilis venit, vt vel sic cognosceretur: Et cùm sui, id est, homines, & specialiter Iudæi, peculiariter sui, non dico eum non cognouerunt, sed non receperunt. Quid verò boni susceptibus se verbum Dei contulerit, ostendit cùm subdit: *Quotquot autem receperunt eum*, subaudi per fidẽ ex charitate operantẽ, quod posteà determinat, cùm subiungit, *his qui credunt in nomine eius, dedit potestatem filios Dei fieri.* Sed nunquid mali hanc non habent potestatem? minimè. Licèt enim habeant liberum arbitrium ex se ad malum, tamẽ soli boni habent arbitriũ ex gratia liberatũ ad bonum, vt possint esse filij Dei, & habere per adoptionem, quod vnigenitus Dei habet per naturam quinquepartitam, scilicet filij proprietatem. Quam? Natiuitatem, amorem, imitationem, similitudinem, hæreditatem. Natiuitatem, vt videlicet ex Deo per spiritum sanctum, & aquam, in filios renascamur: Amorem, vt Deus paternè nos diligat, & nos eum filialiter diligamus: Imitationem, vt nos eum pro modulo nostro, moribus & virtutibus imitemur: Similitudinem, vt in futura glorificatione similes ei efficiamur: Hæreditatem, vt æternæ beatitudinis hæreditatem sortiamur. O mira filij Dei dignatio, mira charitas, mira communitas: Mira dignatio, quòd tantus, tantillos in fratres elegit. Mira charitas, quòd pro nostra sublimatione tantũ se humiliauit. Mira communitas, quòd nos indignos seruos, regni sui cohæredes constituit. Quomodo fiunt homines filij Dei?

Manere diuinitatis est, abire humanitatis.

Gal. 6.

Quomodo fiunt homines filij Dei.

Non ex sanguinibus, id est, non ex seminibus parentum, *neque ex voluntate carnis*, id est, mulieris, *neque ex voluntate viri*. Hoc est, nō voluptuosa voluntate cōcubitus, ex qua nascuntur filij Adæ: *Sed ex Deo nati sunt*, per baptismum eos regenerante. Quomodo autē redemptio facta sit, ostendit cùm subdit: *Et verbum caro factum est*. Synecdochicè carnem posuit pro homine. Sed nunquid Deus omnipotens alio modo nos redimere non potuit? Vtiq;. Sed modus hic magis erat conueniens, magis nos inflammans, magis nos informans, magis nobis Deum manifestans, magis nos ad spem dirigens: magis erat cōueniens, quod sicut homo per inobedientiā peccauerat, ita homo per obedientiam satisfaceret. Magis nos inflammans ad Deum amandum erat, quod ipse tantū nos dilexit, & tanta passus est pro nobis. Magis nos informans ad humilitatem, ad patiētiam, & charitatē erat, quod ipse huiusce-modi se dedit, prius exemplū & magistrum. Magis Deum nobis manifestans erat, cùm sub forma apparuit humana, qui incomprehensibilis erat in diuina. Magis nos ad spem dirigēs erat, quod scilicet nō dubitaremus nos posse filios Dei fieri, cùm propter hoc filius Dei, factus sit filius hominis. *Et habitauit in nobis*, per habitum, per latitationem, per conuersationem. Per habitū, quoniam nostræ humanitatis habitum humanitus habuit. Vnde Apostolus, Habitu inuentus vt homo. Per latitationem, quoniam diuinitatem suam sub nube carnis sic velauit, quod fidelibus appareret, infidelibus lateret. Vnde Apostolus, Si Regem gloriæ cognouissent, nunquam eum crucifixissent. Per conuersationem, quoniam sicut Propheta prædixerat: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quorum verò attestationibus redemptio nostra attestata sit, consequenter ostendit, inducens primò suam, cæterorumq; Apostolorū auctoritatem, cùm subiungit: *Et vidimus gloriam eius*. Vidimus oculis carnis, vidimus oculis mētis. Oculis quidē carnis vidimus eius humanitatem: Operibus & doctrinam gloriosam. In qua videlicet docuit & miracula fecit, in qua transfiguratus est, in qua à mortuis resurrexit, & cœlos ascendit. Et sic per gloriosam eius humanitatē, vidimus spiritualibus oculis

Philip. 2.

1. Cor. 2.

Baruch. 3.

interiorem diuinitatis eius maiestatem & gloriam. *Gloriam* quoq; *vnigeniti à Patre*. Gloriam nō quasi ministri, sed quasi auctoris, non quasi cuiuslibet sancti, sed quasi ipsius Dei, non quasi adoptiui, sed quasi naturalis & vnigeniti filij Dei. Nō enim hoc aduerbium, *quasi*, significat hic solam similitudinem, sed magis veritatis expressionē. Vidimus etiam eum plenum gratiæ & veritatis. Plenū gratiæ, plenū veritatis. Plenum veritate gratiæ, & gratia veritatis. Plenum gratiæ, quoniam cùm cæteri ad mensurā, ipse plenitudinem omnium spiritualiū virtutum & donorum habuit vniuersaliter. Plenū veritatis, id est diuinitatis, quoniam in eo complacuit omnem plenitudinē diuinitatis inhabitare corporaliter: Plenum veritate gratiæ, quoniam, gratuitæ promissiones patriarchis olim factæ, & figuræ Legis & Prophetarum, in eo sunt impletæ veraciter, plenum gratia veritatis, quoniam diuinitas, quæ erat eius vera natura, facta est ei homini gratia specialiter. Hanc fidē, fratres charissimi, firmiter teneamus, operibus exerceamus, Christum, qui tantum nos dilexit, toto corde diligentes, eius voluntariam humilitatem, paupertatem, subiectionem, obedientiam, patientiam, charitatem, misericordiam, quoad possumus, imitantes, quatenus filij Dei & cohęredes Christi esse mereamur, ipso præstante, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Amen.

DOMINICA PRIMA POST Natale Domini.

QVanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitū tempus à patre. Gal. 4.

Quoniam Apostolus, fratres charissimi, debitor erat omnibus hominibus, sapientibus & insipientibus: ideò de diuinis loquens, humanis & consuetis vtitur verbis, vt per cognita, incognita melius intelligere valeamus. Vnde idem alibi dicit: Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Comparat igitur in capitulo præmisso, hæredi mundi, hæredem cœli, siue adoptiuum, siue naturalem. Nos ergo fratres, primò de hęrede temporali: secundò de hærede cœli naturali: tertio de hærede cœli adoptiuo per Rom. 6.

uo per ordinem videamus. Scitis, fratres mei, igitur, quop in domo temporalis patrisfamiliâs sunt liberi, & sunt serui, sed diuerso modo. Nã pater diligit filium tanquàm hæredem: & tamen dũ paruulus est, cum educat in paupertate, in subiectione, in disciplina. In paupertate, nullius rei potestatem ei relinquens. In subiectione, eum sub pędagogo constituens. In disciplina, eum magistrali virgæ subdens. Et in his omnibus habet pater in filium magnum affectum dilectionis Quoniam pater filium, quem plus diligit, corripit: filius quoque patrem diligit, & ei ex amore obedit. Seruum autem paterfamiliâs non diligit ad hoc vt hæredem constituat eum, sed eius vtitur seruitio pro sua voluntate, & hæredis vtilitate. Res tamẽ suas & hæredis, serui procurationi committit, ipsum etiã hæredem custodiendum & corrigẽdum ei submittit. Sic itaque fratres, dum hæres est paruulus, nihil differt à seruo, imò & plerunque, ipsi subditur, & ab eo corripitur, cum tamen iure hæreditario sit Dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus, id est, sub pędagogis & doctoribus est, vsque ad præfinitum tempus a patre. Cum enim fuerit adultus, Dominus à patre constituitur, & seruis, qui ei dominati fuerãt, dominatur. Cœlestis quoque pater, fratres charissimi, habuit & habet filium hæredem, naturalem & coomnipotentẽ, coæternum & consubstãtialem. Qui in hoc, fratres, differt à temporali hærede, quoniam temporalis hęres vix vel nunquã sibi facit coheredes, imò potius gaudet, quod sit vnicus & solus hæreditatem habiturus. At filius Dei, cuius benignitas ignorat inuidiam, angelum & hominem sibi adoptauit in hęreditatem. Verùm quoniam homo deceptus à diabolo, ab æterna hæreditate erat exhæredatus, placuit filio Dei, vt cohęredem suum per fraudẽ exhæredatum, per misericordiam hæredaret. Quia verò conueniens erat, vt qui per superbiam ceciderat, per humilitatem erigeretur, humiliauit se filius Dei, & factus est in forma serui paruulus, ita vt nihil à seruo differret, cùm esset Dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus fuit vsq; ad præfinitum tempus à patre. Quare hoc? vt ita nos redimeret, vt ita nobis suam in nos charitatem ostenderet: vt ita viam humilitatis, per

quam

quam hæredaremur, nobis demonstraret. Fuit igitur hic in mundo, in paupertate, in subiectione, in patientia. In paupertate, quia de paupercula virgine natus, pannis vilibus obuolutus, in præsepio positus, nihil in hoc mundo possedit. Vnde ipse ait: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suũ reclinet. In subiectione, quoniam subditus fuit Mariæ & Ioseph seruis suis, vt Lucas testatur. Tributum Cęsari reddidit, Apostolorum pedes lauit: & vt ipse testatur, nõ ministrari, sed ministrare venit. Cùm vellent eum constituere Regem, recessit, qui tamen ad passionem volens se obtulit. In patientia, quia esuriuit, sitiuit, contumelias, vincula, flagella, sputa, crucem sustinuit, & quod est grauius, à seruis suis, pro quibus etiam orauit: Cùm autem tempus definitum à patre, id est, resurrectio aduenit, data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, etiam super seruos suos & inimicos. Vnde pater ad eum ait: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Et alibi, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Nos etiam fratres, si adoptiui hæredes Dei esse volumus, viam naturalis hæredis, non iniquorum seruorum, sequamur. Serui quippè sunt filij ancillæ, qui non hæredes cum filiis liberæ: qui non ad hæreditatem, sed ad perditionem deputati sunt: qui sicut Israel, Isaac, ita filios liberæ persequuntur. Possessione rerum, dominatione potestatum, correctione minorum à Deo sibi in vtilitate electorum commissis abutuntur: tamen in hoc velint nolint, Deo & electis eius, hæredibus suis famulantur, qui de malis eorum nouit benefacere. Nos verò fratres, si filij Dei, si hæredes Dei, & cohæredes Christi esse volumus, sequamur vestigia eius: simus tanquam hæres paruulus in hoc seculo, non timeamus, imò amplectamur paupertatem: & iuxta eundem Apostolum, victum & vestitum habentes, his contenti simus. Quoniam, vt ait Apostolus, qui volunt diuites fieri in hoc seculo. incidunt in laqueum & in temptationem diaboli. Non timeamus, sed amemus subiectionem, & iuxta Apostolum Petrum, subditi simus Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim

Mat 8. *Luc 9.* *Luc. 2.* *Mat.17.* *Ioan.13.* *Mat.20.* *Ioan.6.* *Mar. vlt.* *Psal.109.* *Psal.2.* *Gala 4.* *Gene.21.* *1.Tim.6.* *1.Pet.2.*

enim gratia. Habeant filij ancillæ honores & prælationes, per simoniam, per ambitionem, per fas nefasque, qui exteriores erunt hæreditatis æternæ: quoniam iuxta Salomonem, hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Nos vero humiliemus in conspectu Domini, vt nos exaltet in tempore visitationis. Non timeamus, sed amemus disciplinam, quia vt Sapiens ait, Beatus est vir, qui corripitur a Domino. Auferant nobis res, proferant vitia, inferant supplicia filij ancillæ, quoniam cadent, cùm dominati fuerint pauperum, & dominabuntur eorum iusti in matutino. Interim ergo dicamus Domino, Hic vre, hic seca, ne in æternum perdas: Quoniam beatus qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. In his autem omnibus, fratres, teneamus firmiter dilectionem Dei & proximi. Ita habeamus vitia hominũ odio, quod eorum naturã diligamus, pro inimicis nostris oremus, & eos obsequiis vincere satagamus, si quo modo vasa captiuitatis eripere, & Deo lucrari valeamus. Vnde etiam duplicem coronam nobis acquiramus. Hæc namque, charissimi, facientes, cùm venerit tempus præfinitum à patre, accipiemus prædesideratam hæreditatem in cœlo: Quia iuxta Prophetam, cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, in qua cum suis cohæredibus faciat nos gaudere Iesus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in æternum. Amen.

Prou. 10.

DOMINICA INFRA OCT. NAT. DOM.

Luc. 2.

Erat Ioseph pater Iesu & Maria mater eius, mirantes super his quæ dicebantur de illo, &c. Quadripartita est hæc lectio fratres charissimi. Primò enim inducuntur Ioseph & beata virgo mirantes super his quæ dicebantur de Iesu. Secundò inducitur Simeon eis benedicẽs, & de puero prophetizans. Tertiò quoq; inducitur Anna prophetissa, Christo ferens testimonium. Quartò verò subiungitur eorum regressus, & pueri profectus. Primo igitur Ioseph & Maria inducuntur, mirãtes super his quæ dicebantur de illo. Sed fortassis fratres, mouet vos, cur Euangelista Ioseph patrem Christi appellet, cùm ipse eundem

non

non ex virili semine, sed ex Spiritu sancto conceptum esse superius construxerit. Sed pluribus modis patrem appellare consueuimus. Nã æquiuocè pater est carnalis, spiritualis, & longæuus, prædecessor benefactorũ. Quia igitur Ioseph faber, nutritius, & amator erat Iesu, & sponsus matris eius, voluit eum dici patrem suum, & hoc ad mysterium, quoniã ipse verè erat filius fabri, eius scilicet, qui fabricatus est auroram & solem. Ad exemplum, vt nullus quantuscunque, viliorem se dici erubesceret. Hoc planè cõtra illos qui patres suos decrepitos, debiles & viles erubescunt. Similes muli, qui, vt fabula narrat inquisitus quis esset pater eius, tacens vilem patrem, equum generosum auunculum suũ esse professus est. Erubesce igitur superbe vermis. Deus se dici voluit filium fabri, & tu tui patris vilitatem erubescis? *Erant*, inquit, *mirãtes, super his quæ de illo dicebantur.* A quibus dicebantur? Ab Angelis, à Pastoribus, à Magis, à Simeone, à cæteris Prophetis, Zacharia, Elizabeth, Anna. Et quæ dicebantur de illo: quod ille tantillus puerulus ab Angelo saluator vocabatur, ab Angelico choro glorificabatur, à Pastoribus adorabatur, à Stella demonstrabatur, à Magis, mysticis muneribus venerabatur, à Simeone lumẽ Gentiũ & gloria plebis Israël dicebatur. Nec tam mirabantur diuinitatis altitudinem, quàm eius dignationẽ. Mirabantur quippe in excelso humilitatem: in maiestate dignationẽ: in gloria, vilitatem: in cœlestibus diuitiis, paupertatem. Has sanè virtutes mirabantur, æmulabantur, imitabantur. Audi quomodo mater æmulatur humilitatem filij. Oblita quippè se esse virginem, & matrem Dei, & reginam cœli, ait: Ecce ancilla Domini: Et quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Nos itaque, fratres, non miremur falsas diuitias, honores, & glorioſas huius miseri seculi, quę amatores suos decipiũt. Nam iuxta Poëtam, Terreni nil admirari, res est, quæ penè sola potest facere & conseruare beatum. Iste quoque spernentes, admiremur, æmulemur in Christo & in matre eius humilitatem, dignationẽ, vilitatem, & voluntariam paupertatem, cęterasq; virtutes, per quas homines, similes Deo & filij Dei efficiuntur. Sequitur pars secunda, in qua Simeon inducitur benedicens illis, Mariæ scilicet & Luc. 2.

Ioseph,

Ioseph, & prophetizans de puero, cùm dicitur: *Et benedixit illis Simeon.* Putò charissimi, quod benedicens, matri hęc vel similia dicebat. Beata es incomparabiliter, quę sine exemplo credidisti, cõcepisti, peperisti, portasti, lactasti, istum tuũ filium, tuum patrem, tuum creatorẽ, tuum Deum. Tu quoque Ioseph beatus es, qui inter omnes huius mundi homines electus es, vt Christum nutrires, foueres, baiulares lumen gentium, gloriam populorum. Sic benedictio boni filij fratres mei, redundat in parentes, nutritoresque suos: iuxta illud Salomonis, Gaudium parentum, filius sapiens. Vos itaq; patres & matres familiâs, vigilate in bona nutritura, eruditione, & in formatione filiorum, vt propter bonam filiorum indolem, mereamini & vos benedici. Sicut enim filius indisciplinatus, vertitur parentibus in maledictionem, sic bene disciplinatus in benedictionẽ. Deniq; prophetizans Simeon, ait ad Mariam matrem eius. Ecce fratres, beata virgo, licet & mater, fontem omnium scientiarum & gratiarum pareret & nutriret: tamen quædam minus nouerat quę à prophetis edocerẽtur. In quo profectò patet nullũ quantumcunque sanctum, in via posse consequi omnium plenitudinem gratiarum. Ad reprimẽdam ergo mortalium superbiam, noluit Dominus aliquẽ habere omnem gratiam, vt sic alter altero indigeret, & quod in se non haberet, in altero miraretur. Sed & in hoc quod Regina cœli, à vilioribus personis non refugit edoceri, confugerat quorundam superbiam, qui à minoribus personis doceri erubescunt, cum sępe in vili testa optimum vinum contineatur, & aureo vase, prauũ. Vnde Apostolus. Habemus autem thesaurũ istum in vasis fictilibus. Et alibi, Si quid reuelatum fuerit minori, taceat maior, Et Philosophus. Non te moueat dicentis auctoritas, nec quis, sed quid dicat, intendito: Ecce, inquit, *positus est hic in ruinã, & in resurrectionem multorum in Israel.* In ruinam, scilicet incredulorum, & in resurrectionem credentium. In ruinam superborum, & in resurrectionem humilium. Vnde ipse Dominus ait, In iudicium ego veni in mundum, vt qui non vident, videant. Et qui vident, cæci fiant. Et Apostolus. Nos prædicamus, inquit, Iesum crucifixum, Iudæis

Prou. 10.

Eccle. 12.

2. Cor. 4.

Ioan. 9.

2. Cor. 1.

dæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis verò vocatis Iudæis & Græcis, Christum Dei virtutẽ, & Dei sapientiam. Nec solum Christus, fratres, sed etiam quilibet rectè viuens, & rectè docens in populo, positus est incorrigibilibus in ruinam: resipiscentibus verò in resurrectionẽ. Vnde Apostolus, Christi bonus odor sumus, aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. *Et in signum*, inquit, *cui contradicetur*, id est, in exemplum & doctrinam cui contradicetur ab incredulis & peruersis, qui Christi doctrinæ & exemplis, vel verbis, vel factis cõtradicent: Vnde & subdit, *Et tuam ipsius*, inquit, *animam pertransibit gladius*, id est dolor habitus de passione eius tua viscera transfodiet. Cùm igitur vehemens compassio sit martyrium, patet, quia beata virgo à corona martyrij non est extranea, imò pluspquam martyr dici potest, quæ in anima (quæ immortalis est) passa est. Hinc, fratres, discamus & nos compati passionibus, afflictionibus, necessitatibus sanctorum, pupillorum & viduarum: quoniam qui eis propter Deum compatitur, à corona eorum non erunt alieni, testante Domino, quoniam qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. *Vt reuelentur*, inquit, *ex multis cordibus cogitationes eorum*, id est prophetiæ, quæ erant occultæ, tanquam cogitationes in corde, reuelentur in puero esse impletæ. Vel certè corda hominum per exteriora opera aperiantur, an sint erga Christum deuota an non. Sequitur pars tertia, in qua inducitur Anna Christo testimonium ferens, vt in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum. Commendat autem eam Euangelista, & à sancta progenie, & à coniugali sanctimonia, quia scilicet septem annis vixerat à virginitate cum viro suo: & à viduali castimonia, & ab obsequio diuino: Et quia erat intenta ieiuniis & obsecrationibus, vt talis demonstretur, quæ digna sit spiritu prophetiæ illustrari, & de Christo vaticinari. imò etiam eum in carne agnoscere, & cæteris prædicare. Hanc imitentur patres & matres familiàs, vt sanctè cum coniugibus à virginitate conuersantur. Hanc imitantur vidui, viduæque eorum, vt obliuiscentes, quæ sunt mundi, soli Deo vacent, ieiuniis & obsecra-

1. Cor. 2.

Mat. 10. Mar. 9.

Anna prophetissa commendatur ab Euangelista.

obsecrationibus, & bonis operibus intendant, vt à spiritu mereantur illuminari, & Christum verbo & exemplo prædicare & contemplari. Et hæc inquit, ipsa hora superueniens, quia scilicet eodem spiritu, quo Simeõ adducta, cõfitebatur Domino, & confessione fidei, & actione laudis, & verbo prædicationis. Vnde & subditur. *Et loquebatur omnibus de eo, qui expectabant redemptionem Israel.* Cæteris autem non, quia non sunt margaritæ ante porcos proiiciendæ, nec sanctum dãdum est canibus. Sequitur pars quarta, cùm dicitur: *Et postquam perfecerũt omnia secundum legem Moysi, reuersi sunt in ciuitatem suam Nazareth.* In quo fratres, proponunt nobis exemplũ, vt ab Ecclesia non discedamus, donec vota & oblationes & orationes nostras, iuxta quod lex præcipit, perfecerimus. Quod contra illos est, qui antequam debita vota & oblationes persoluant Deo, antequam ministeria diuina expleantur, ab Ecclesia redeunt, morari in Ecclesia damnum temporis æstimantes. *Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* Fratres mei, quòd Christus filius Dei crescebat, & cõfortabatur, carnis erat. Dignatus est quippe momẽta ætatum nostrarum subire, vt immutabilitatem suę ęternitatis nobis donaret. Sãpientia verò plenus erat, qui etiam ipsa sapientia & est & erat. In qua nos primò creauit, & post recreare venit. Gratia verò Dei erat in illo, non ad mensuram, sed ad omnem plenitudinem. Omnem enim gratiam in potestate habuit, ad distribuendum singulis, vt Deus, & omnem gratiam, quam voluit habuit, vt homo in vsu. Nos itaq. ipsum fletibus exoremus, quatenus de plenitudine sapiętiæ & gratiæ suæ nos ditet, vt de suo ipsum credere, diligere, & venerari valeamus. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum. Amen.

Matth. 7.

Ab Ecclesia quando discedendum.

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

Luc. 2.

Postquam impleti sunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Hodierna dies, fratres charissimi, duplici decoratur dignitate: Et quia est octaua à Christi natiuitate, & quia est cõsecrata ipsius Circumcisione. Tanta quippe claritas Dominicę natiuitatis fuit, vt omnes septem dies sequentes ab ea reddantur solennes.

Insuper

Insuper & eiusdem circuncisio, nostrorum geminat materiam gaudiorum. Sunt autē fratres charissimi, tres circuncisiones: Prima est carnalis, secunda spiritualis, tertia cœlestis. Prima est legis, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima est bona suo tempore, secunda melior & in omni tempore, tertia optima, & in perpetuitate. Prima est Sacramentum factæ rei: secūda sacra res & Sacramētum: tertia res Sacramenti: Dicamus de singulis per ordinem. Erat igitur circuncisio carnis, circuncisio superfluæ pellis, à virili membro facta octaua die, & lapideo cultro. Videamus igitur, fratres, primò, qua de causa fuerit instituta. Secundò, quare fiebat in octaua, & in virili mēbro, & lapideo cultro. Tertiò, quid vtilitatis cōferebat. Quartò, quare tunc nomē nouum imponebatur. Quintò, quare Christus voluit circuncidi. Fuit igitur, fratres, iussa circuncisio ob tres causas, vt esset in signum, magnæ fidei Abrahæ: Et vt per obedientiam homo circuncidendo mereretur, sicut per inobedientiam primus homo demeruerat: Et vt per circuncisionis caracterem populus Dei à cæteris discerneretur. Fiebat verò octaua die, quia corruptionis circuncisionem significabat, quæ facta est octaua die, id est, in resurrectione in Christo personaliter. Et fiet in octaua, id est, in resurrectione, in omnibus generaliter. Fiebat & in virili membro, per quod genus humanum in concupiscentia propagatur: quia erat remedium contra originale peccatum, quod per carnalem concupiscentiam traducitur. Fiebat etiam lapideo cultro, quia omnis circuncisio, siue peccati, siue corruptionis, per Christum in petra significatum facienda est. Quia non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluari. Vtilitatem verò conferebat tempore suo circuncisio, eandem quam nunc confert Baptismus. Vnde Beda: Idem salutiferæ curationis remedium conferebat tempore suo Circuncisio, quod Baptismus tempore reuelatæ gratiæ conferre consueuit, excepto quod ianuam paradisi non aperiebat, quia nondum hostia sanguinis Christi data erat. Nouum verò nomen in circuncisione dabatur, quia quando aliquis circuncidebatur, tunc primò fidelis, & de numero fidelium vocabatur, sicut nunc fit in

Quare iussa circuncisio.

Apoc. 4.

Beda.

baptismo. Christus etiam licèt non indigeret, circuncidi voluit, ob tres causas, vt legis Sacramenta sacra esse demonstraret, vt exemplum humilitatis & obedientiæ nobis in se demonstraret, & vt se non soluere legem, sed adimplere demonstraret. Vocatum etiam nunc nomen eius Iesus, non autem impositum. Hoc enim nomẽ Deo prouidente à Patriarchis, vt in Iosue, & Iesu magno Sacerdote, est figuratum, à Prophetis prædictum, ab Angelo prænuntiatum. Et cum cæteris datũ sit, tantum nuncupatione, soli Christo conuenit substantiuè. Circuncisio vero moralis siue spiritualis fit, quando circuncidimus à nobis omnia vitia & omnia superflua: vitia à nobis circuncidimus, cùm gulositatem, luxuriam, cupiditatẽ, auaritiã, iram, inuidiã, tristitiam, accidiã, cenodoxiam, superbiam, mendacium, cæteraq; vitia amputamus. Superflua à nobis circuncidimus, quando resecamus à nobis superfluitatem curarum, diuitiarum, deliciarum, possessionum vestimentorum, laborum, viarum, solis contenti necessariis. Hanc igitur vitiorum & superfluitatem circuncisionem, significat etiam resectio capillorum, barbæ & vnguium & longiorum decurtatio vestimentorum. Per capillos quippè siue per barbam, quæ de nostra carne nascuntur, & tamen absciſa non sentiuntur: curæ necessariorum significantur, quæ non omnino possunt resecari, sed solã superfluitas debet circuncidi, ne scilicet visum contemplationis, ne auditum verbi Dei, ne fructum orationis in nobis impediant. Vnde etiam Dominus præcipit Leuitis vt crines carnis radant. Vnguium, etiam manuum & pedum superfluitas circuncidi debet, id est superfluitas operum & itinerum. Hanc etiam præcepit Dominus, quod si Israëlita in bello, cepisset virginem puellam, & vellet eam habere vxorem, faceret ei caluitium, vngues præsecaret, pilos auferret, & sic in eius complexus transiret. Israëlita puella virginem capit, quando prædicator per bellum prædicationis animam fructu sterilem, à potestate diaboli tollit. Hanc si velit Deo fœcundare, necesse est vt non solùm infidelitate & cæteris vitiis eam spoliet, sed etiam à superfluitate curarum, operum, & itinerum secularium circuncidat. Superfluitas etiam vestis longioris subcurtanda,

Circuncisio spiritualis.

tanda, & zona restringenda est, id est, superfluitas diuitiarum & rerum secularium circuncidenda & breuianda est, ne cursum nostrum retardent. Vnde Apostolus: Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Fit etiam hæc circunciſio in octaua, id est, in spe resurrectionis, tam à morte animæ, quã à morte corporis. Fit etiam petrino cultro, id est operante Christo, iuxta illud: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram, id est Christum: hoc est eius amore & auxilio eos extinguet. Tunc etiã nomen nouum datur, quia ex tũc inter sanctos numero & merito nominatur, iuxta illud: Et scribam super illud nomen meũ nouũ. Circunciſio verò cœlestis fiet in octaua, id est, in generali resurrectione, tam in anima quã in corpore. Ab anima quippè circuncidũtur vitia, defectus, perturbationes. Vitia, id est, peccata, malæ scilicet cogitationes, & mala opera. Defectus, vt ignorantia, obliuio, hebetudo, & huiusmodi. Perturbationes, vt timor, tristitia, & huiusmodi. A corpore circuncidũtur vitia, necessitas, defectus, corruptio. Vitia vt turpitudinis: nam tũc nimietates resecabũtur, & minoritates supplebũtur. Necessitas, vt comedendi, bibẽdi, vestiẽdi, dormiendi. Defectus, vt morbi senectutis: Corruptio, vt mortis. Hæc omnia tunc auferentur à Christo, qui est vera petra, sanctos suos glorificãte. Tunc dabitur eis nomen nouum, quod os Domini nominabit. vt scilicet tunc vocentur, non solùm filij, amici, hæredesq; Dei, imò etiã dij: Iuxta illud: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Itaque fratres charissimi, prima istarum circunciſionum, significat secundam & tertiam, nec valet sine illis. Istæ verò duæ sine illa, multum valent. Primam sine secunda & tertia faciunt nunc Iudæi, & ideò nõ tantùm non prodest eis, imò etiam nocet: & iuxta Apostolum, Circunciſio talis præputium facta est. Secundam verò faciunt nũc veri Christiani sine prima, & tertiam expectãt. Nos ergo fratres charissimi, tũc verè Christi circunciſionẽ celebramus, cùm vitia, & peccata, & superfluitates necessariorum in nobis resecamus. Circuncidamus itaq; corda & sensus nostros. Corda, ne noxia vel vana meditentur: Sensus, ne noxiis vel vanis occupentur. Circuncidamus oculos, ne videant vanitatem: Aures, ne audiant

1. Cor. 9.

Psal. 130.

Esa. 62.

Psal. 81.

Rom. 2.

Corda nostra & sensus circuncidenda.

deteriora vel noxia verba. Odoratum, ne luxuriosos odores affectet. Gustum, ne deliciis, vel lenociniis capiatur. Linguã, ne noxia vel vana verba loquatur. Sic sic, fratres charissimi, facientes, per istam circuncisionẽ spiritualem, veniemus ad illam veram & æternam circũcisionem. Vbi erit omne bonũ sine malo, verum sine falso, satietas sine fastidio: regnum sine termino, gaudium sine mœrore, festum sine interpositione, dies sine nocte, vita sine morte. Ad quam Circuncisionem perducat nos qui hodie propter nos circuncidi voluit Deus & Dominus noster Iesus Christus, Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Esa. 60. *SVrge illuminare Hierusalem, quia venit lumẽ tuũ, &c.* Hęc loquitur, fratres charissimi Propheta, imò Dominus per Prophetam, ad primitiuam ex Iudæis Ecclesiam, vel ad vnamquamq; animã. De vtraque enim potest hæc locutio interpretari. Primò igitur hortatur Hierusalem, vt surgat & illuminetur. Secundò subdit causam, quare surgere & illuminari debeat. Tertiò ostendit quę mala sequantur eum, qui surgere contemnit. Quartò ponit bona quæ sequuntur surgentẽ. Exhortans igitur Propheta Hierusalem, siue quamlibet animã, ait: *Surge illuminare Hierusalem.* Sed quomodo, fratres, dicit Dominus animæ vt surgat & illuminetur? In manu enim Dei est, non in nostra, vt vel surgamus, vel illuminemur. Homo enim talis est creatus, vt stare & cadere per se potest, surgere autẽ per se non potest. Et per se quidem cecidit, surgere verò per se non potuit: Similis Elephanti qui inflexibilis est, & rigidæ naturæ: & prostratus, surgere non potest per se. Huic venator insidiãs, notat arborem cui se apodiat, cùm requiescit, & illam latenter penè totam subsecat. Veniens igitur elephas ad solitam arborem incumbit, & cum arbore ruente ruit, & non valens surgere, barrit: ad cuius vocem veniunt cæteri elephantes, qui cùm eum surgere non possint, omnes simul barriunt, vsquequo veniat aliquis paruus elephas, qui cum sua promuscido, prostratum subleuat Elephantem. Mysticè fratres charissimi, elephas iste est homo, qui rigidæ naturæ est, talis creatus, vt magis sit aptus stare quàm surgere. Hunc malignus venator,

nator, per fraudem arboris vetito præcipitauit, qui per se nequiens surgere, longo tempore terræ adhærens, fleuit, & auxilium inuocauit. Cui per compassionem appropiauerunt Patriarchæ & Prophetæ, sed eum subleuare non potuerunt, sed simul fleuerunt, & auxilium inuocauerũt, quousque paruulus de progenie eorum natus aduenies Christus, sua prædicatione & gratia eum releuauit, Sicut igitur homo per se cecidit, sed per se surgere non potuit. Ita per se excæcatus est, sed per se illuminari non potuit. Hic est enim ille in Euangelio cæcus à natiuitate, cuius oculis Dominus lutum ex terra & saliua factum, superimposuit, & lauatum illuminauit. Ostendens quod ipse qui hominem de limo videntem creauerat: ipse de eadem materia ei oculos recreauerat. Saliua enim, quæ salsa & condita est, & à capite defluit, Sapientiam veram, quæ à patre descendit, significat: ex se & ex terra, id est ex diuinitate & humanitate, cataplasma & collirium fecit, quo homo cæcatus, per baptismum visum mentis recuperauit. Sic ergo anima, nec per se surgere, nec illuminari potest. Dicat ergo Deo: Domine quid est hoc, quod me surgere & illuminari iubes? Ex me, nec hoc, nec illud possum. Tu solus es qui hoc & cætera potes. Ergo si vis vt surgam, da mihi manum. Si vis vt illuminer, da mihi lumen. *Ioan. 9.*

Sequitur igitur pars secunda, in qua ostendens Dominus quare surgere debeat, ait: *Quia venit lumen tuum.* Ac si dicat: Ecce porrigitur à me tibi manus, vt surgas: Venit lumen, vt videas, quod si recipis, facis lumen tuum: si non recipis, erit quidem semper lumen, sed non tuum, imò à te alienum. Venit tibi, quia tu per te ad eam venire non poteras. Quod verò sit hoc lumen ostendit, subdens: *Et gloria Domini super te orta est*, id est Dominus gloriosus. Ortus est non tantũ carnaliter ex beata virgine, imò etiam spiritualiter per fidem in mente. Et hoc, *Super te*, quia à summo cœlo egressio eius. Et in superiore tui parte, id est in ratione, ortus est per fidem, secundum illud: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Nisi ergo surgas & illumineris, nullam habebis excusationem, cùm iam lumen tuum venerit, & iam gloria Domini super te orta sit. Hoc fratres, contra nos est, qui *Psal. 4.*

in tempore gratiæ sumus, quibus Christus lumen & gloria Domini per fidem ortus est, & gratia Dei parata est, sed nosmetipsos subtrahimus. Et gratia Dei quæ nobis oblata est, à nobis contemnitur, dum à peccatorum nostrorum tenebris surgere non curamus. Vnde hoc quod Dominus ait Iudæis, nobis nunc dici potest: Si non venissem & non loquutus eis fuissem, peccatū non haberēt. Nunc ergo excusationem non habent de peccato suo. Hic nos monet Apostolus Paulus, Contemplantes, inquit, ne quis desit gratiæ Dei. Non autem ait ne quibus desit, sed ne quis desit gratiæ Dei. Ostendens quod cum gratia Dei, ad modum solis, omnibus præstò sit, nobis tamen negligentia nostra se subtrahit, dum sensus nostros, num tēpus vitæ nostræ, dum res temporales ad bene merendum nobis collatas à Deo, vel inutiliter consumimus vel etiam abutimur.

Ioan. 15.

Heb. 12.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quæ mala sequantur surgere contemnentem, cum subditur: *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* Quasi diceret: Surge citò & illuminare, quoniam nisi citò surrexeris, tenebris operieris. Qui opertus est tenebris, fratres mei, non videt, nec videtur: Porrò, qui vel ex ignorantia, vel ex fragilitate in peccato iacet, & si ipse mundo oculo Deum nō videat, tamē nunquā à Deo per misericordiā videtur. Cæterū qui ex contēptu & contumacia à peccato suo surgere contemnit, exigente prauitate sua, intantum excæcatur, vt nec ipse Deum videat, nec à Deo per misericordiam videatur. Sunt autem hæ tenebræ, quæ terram, id est amatores terrenorum operiunt, mentis cæcitas ex diutina consuetudine peccati nata: ob quam meritò mittetur reus in tenebras exteriores. Sed & si in amatoribus terrenorum, aliqua rationis scintillula adhuc remanserit caligo ignorantiæ & infidelitatis, paulatim illam excæcabit, vt iam non solùm Deum contemnant, sed etiam eum esse non credant. Notate fratres, notate, quæ dico. Primò enim homo ex ignorantia vel ex fragilitate peccat, qui si surgere & corrigi contempserit, peccata peccatis accumulando, tandem in mentis cæcitatem cadit: Deinde caligo infidelitatis cum operit, vt Deū esse iam dubitet,

bitet, & resurrectionem siue extremum iudiciũ, futurum non credat. Hæc fratres mei, assiduè pensate, & de peccatis vestris surgere festinate, ne contemnentes, vel tenebræ peccatorum, vel caligo infidelitatis operiat.

Sequitur pars quarta in qua ostenditur, quæ bona sequantur surgentem cum subditur: *Super te autem orietur Dominus, &c.* Distinguuntur autem hic quatuor bona, Primum est quod super te orietur Dominus. Tunc dicitur Deus oriri in nobis, cùm amor eius oritur in nobis, Et econtra Deus tunc moritur in nobis, cùm amor eius moritur in nobis. Ergo fratres, magis ac magis Deum diligamus, vt ipse magis ac magis oriatur in nobis. Semper eum diligamus, vt semper eũ viuum in nobis habeamus. Secundum est, *quod gloria eius in te videbitur.* Porrò gloria Dei in nobis videtur, cum in his quę Deus operatur in nobis, gloriosus demonstratur. In nullo autem Deus plus apparet potens & gloriosus, atq; admirabilis quàm in hoc quòd facit de iniusto iustum, de carnali spiritualem, de dęmoniaco diuinum, hoc est enim spoliare infernum. Et hæc gloria Dei fratres charissimi, in nobis videtur, quando per exteriorum operum nostrorum sanctitatem, nos intus à Deo esse illuminatos demonstrat. Tertium est, *Quod ambulabunt gentes in lumine tuo: & Reges in splendore ortus tui.* Sancta enim vita iusti, est quasi lux in tenebris huius mundi. Quando ergo exẽpla Sãctorum sequimur, quid aliud quàm in lumine eorum ambulamus? Et quando bonam conuersionem & conuersationem aliorum nos bene regendo imitamur, quid aliud quàm Reges in splendore ortus eorum gradientes efficimur? Ad quam quisque fidelis sequatur viam vitæ: Vnde Dominus, Vos estis, inquit, lux mundi. Sicut enim stella præuia, duxit tres Reges hodie rectam viam vsque ad Christum: ita Sanctorum vita, quę est in hoc mundo, quasi stella nos Regit, & aliorum Reges facit, vt sequentes eã, ad Christum perueniamus. Et quid boni ex imitatione tui exempli proueniet, quod multi ad sequendum te & imitandum congregabuntur? Vnde sequitur, *leua in circuitu oculos tuos & vide, Omnes isti congregati,* in vna fide & charitate, *venerunt tibi, filij tui,* per imitationem,

4.

Quomodo Deus dicitur oriri in nobis.

In quo Deus maximè potens est & gloriosus.

Mat. 8.

de longè, id est, de remotissima vita ad te *venient*. *Et filiæ tuæ*, id est, imperfectiores, *lac fugẽt*, id est, doctrinã suam. Quartũ est quod tunc omnis Ecclesia videbit impletum quod tibi prædixi, *& afflues*, subitis filiis. *Et cor tuum* mirabitur multitudinem, *& dilatabitur*, præ gaudio, *quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*, per fidem, id est, mundi, *fortitudo gentium*, id est, Reges & Principes venerunt tibi. *Inundatio*, id est, abundantia, *camelorum*, id est, diuitum huius mundi, qui sunt gibbosi, peccatis & diuitiis onerati. *Operiet te*, muneribus, *Dromedarij Madian, et Effa*. Dromedarius velox interpretatur: Madian, iniquitas: Effa resolutus. Per Dromedarios ergo Madian & Effa, significatur conuersio velocium ingenio, qui ab iniquitate resoluti ad Ecclesiam reuertuntur. Et non solùm ipsi, sed etiam *omnes*, id est, omnium hominum genera, *de Saba*, id est, de captiuitate, *venient* ad fidem: *Aurum & thus deferentes*, id est, munditiam & orationem, *& laudem Domini*, id est, opera filij in quibus laudatur pater, *annuntiantes* & aliis prædicantes. Hæc fratres mei, non solùm spiritualiter, sed etiã historialiter hodie impleta sunt. Nam tres Reges in splendore ortus Domini venientes, aurum & thus Domino obtulerunt. Per aurum eum Regem, & per thus, verum Deum protestantes. Et per adiunctam mirrham mortalem signãtes. Quos nos quoq;, fratres, imitantes, eum verum Regem, verum Deum, verum hominem confiteamur: & ei moraliter munditiam mentis, deuotionem orationis, mortificationem carnis nostræ offeramus, quatenus ab eo recipi, & æterna benedictione benedici mereamur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

IN DIE EPIPHANIAE.

Mat. 8. *CVM natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes, &c.* Lectio sancti Euangelij, quam modò audistis fratres charissimi, exponit nobis historiã hodiernæ solennitatis. Porrò huius lectionis partes sunt quinq;. In prima ostendit nobis aduentũ Magorũ in Hierusalem, cùm dicitur: *Cùm natus esset Iesus, &c.* Ostenditur autem hìc qui, & quando, & vnde, & quò venerũt. Qui? Magi.

Non

Non autem dicti sunt hi Magi quasi malefici, sed quasi sapientes. Nam quos nos Philosophos, Chaldæi appellant Magos. Quando venerunt? *Cum natus esset Iesus in diebus Herodis Regis*. In quo & illud, fratres, nobis insinuatur, quod quando Herodes, id est, diabolus, in hoc mundo regnabat, Christus natus est. Possidebat quippè fortis armatus atrium suum in pace, sed fortior eo superueniēs Christus, cœpit paulatim vasa eius diripere. Ita vt ipsa nocte, qua natus est, ad se traxerit pastores. Tertiadecima verò die, id est, hodie, ad se adduxerit tres Reges: illos, primitias Iudæorum; istos primitias Gentium: illos de propè quasi proximos Deo per culturam: istos de longinquo quasi remotos à Deo per idololatriam: illos tanquam rationales vocauit per rationalem creaturā: istos tanquam irrationales vocauit per irrationalem creaturam, id est, per stellam. Vnde venerunt? *ab Oriente*. Sed quomodo fratres, Christum modò natum in tam remotis regionibus scire potuerunt? Illi qui propè erant, ignorabant: Et illi qui tam remoti erant, quomodo sciebant? Quis eis indicauit? Stella. Et stellam hoc significare quis eis significauit? Non caro & sanguis, sed pater cœlestis. Non humana ratio, sed spiritus cœlestis inspiratio. Sed quomodo de longinquo tam citò venerunt? Potuit esse, fratres, ante ortum Christi stellam per aliquot dies apparuisse eis, & eos tūc iter cepisse: Vel si in primo ortu Christi apparuit, eos Domino ducēte, in cursoribus Dromedariis longum iter citò peruolasse. Quò venerunt? *Hierosolymam*: Vt regali ciuitate regalem quærerent hæredem, Domino sic ordinante, vt iidem audirent legem stellæ consonante in Christi testimonium, vt ita in ore duorum vel trium testium staret omne verbum.

Sequitur pars secunda continens inquisitionem Magorum dicētium: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorū*? Quid hoc fratres? Gentiles erant. Et quare Regibus Gentium spretis, Regem quærebant Iudæorum? Vel si Regem Iudæorum quærebant, quare Herodem, filiosque eius contemnebāt? Non hoc fratres, non hoc intuitu humanæ rationis, sed dispositione diuinitatis gestum est. Spernitur Archelaus filius Regis, & quæritur filius pauperculæ mu-

lieris. Spernitur Archelaus in Palatio, & quæritur Christus in diuersorio. Spernitur Archelaus in regio lecto, & quęritur Christus in præsepio. Spernitur Archelaus inuolutus sericis, & quæritur Christus inuolutus vilibus pannis. Personas accipere nesciunt, qui illum, qui personas non accepit, quærunt. Nos quoque fratres charissimi, si Christum, qui non accipit personas, quærimus, personas non accipiamus. Non honorenus potentem ob suam potentiam, nec contemnamus pauperem ob suam paupertatem. Scriptum quippè est, Non confundas vultum pauperis, nec honores vultum potentis. Et alibi, Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis, ac si dicat: In hoc iniquitatem iudicatis, quod facies peccatorum accipiendo honoratis. Nos ergo in susceptione hominum, non pensemus conditionē, sed naturam: non potentiam, sed virtutem: non quantum habent, sed quantum valent. Quomodo autem sciunt Regem Iudæorum esse natum, ostendunt Magi, cùm subdunt: *Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Nos positi in Oriente, vidimus stellam eius, quæ nos antecedēs ad eum adduxit. Stellam, inquiunt, eius, hoc est, opus eius, ministram eius, significatiuam eius. Cauete, fratres, cauete, ab eis qui mentiuntur, quod quando quisque nascitur, stella sua secum nascitur, quæ fatum eius constituitur, sumentes in erroris sui argumētum, quod hìc dicitur, *stella eius*. Sed cùm hìc legamus quod non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit (si dici debeat) non stella fatum pueri, sed fatum stellæ puer fuit. Sed absit à fidelium cordibus, quod esse aliquid fatum dicant. Vitam enim hominum solus qui creat, administrat. Cauete fratres, nihilominus ab eis qui vnam horam dicunt fortunatā, aliam infortunatā: vnam diem bonam, aliam malā · putantes à die vel ab hora, in qua aliquid fit, causam cōtrahere aduentus sui. Quod falsum esse inde probatur, quoniam eadem hora Iacob & Esau concepti & nati sunt: & tamen vnus probus, alter reprobus fuit. Multi quoq; eadem hora concipiuntur, & tamen eorum alij diuites, alij pauperes, alij subtiles, alij hebetes, alij boni, alij mali sunt. Multi & eadem hora vel iter, vel pugnam, vel causam incipiunt, & tamen

Leui. 19. Psal. 81.

Fatum nul lum inter Christianos.

Gen. 25. Rom. 9.

tamen his succedit benè, & illis malè. Contrà autem eos loquitur Apostolus Dies, inquit, obseruatis & menses, & tempora, & annos. Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Cauete etiam ab illis fratres, qui diuinationibus, obuiationibus & auguriis intendunt, cùm lex ista prohibeat, dicens: Non auspicemini, neq; auguriis intendatis. Cauete quoq; ab illis qui dicunt quosdã oculis ventibus, alios fascinare: fascinũ enim nihil est. Sed quodam homine alium vidente, diabolus viso nocere solet, vt sic noceat, & illi, quem reddit infamem, & isti, quẽ facit detractorem. Quos omnes increpat Psalmista, dicens: Filij hominũ vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatẽ & quæritis mendacium. Et alibi: Beatus est, inquit, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Sequitur pars tertia, quæ perturbationem & fraudulentam Herodis inquisitionẽ ostendit, cùm subditur: *Audiens autẽ Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* Turbatus est Herodes timẽs successorem: Turbati sunt sui propter eius fauorem. Turbati sunt alij propter eius rumoris nouitatem. Inquisiti autem ab Herode Magistri legis, testimoniũ de loco natiuitatis Christi proferũt, vt eis fieret in testimoniũ damnationis, & nobis in adiutorium fidei. Et qui per hos fratres mei, nisi praui doctores designantur, qui dicunt, & non faciũt, & aliis prosunt, & sibi obsunt, qui sunt tanquã æs sonans & cimbalũ tinniẽs, quod alios citat & seipsum cõquassat. Qui sunt tanquã candela, quæ alios illuminat, & seipsam annihilat. Herodes verò, qui locum & tempus Christi nati diligẽter inquirẽs, malitiã cordis colore depingit humilitatis, quid fratres mei, qui nisi hypocritas designat, qui verba veritatis inquirunt & laudant, & tamen Christum in suis pauperibus corde, & quando possunt opere, persequi non cessant.

Galat. 4.

Psal. 4.

Psal. 39.

1. Cor. 13.

Sequitur pars quarta, quę per ductionem Magorũ per stellam ad Christũ demonstratur, cùm subditur: *Qui cùm audissent Regem, abierunt. Et ecce stella, &c.* Stella fratres, ista quæ Magos præcessit, & ad Christum perduxit, quid aliud significat quàm gratiam Dei, quæ nos, vt ad Christum peruẽniamus, præcedit & ducit. Sicut enim isti nec viam

Stella gratiã Dei significat.

viam inciperent, nec perficerent, nisi à Deo ducti per stellam: ita nos nec benè velle, nec bonam voluntatem perficere valemus, nisi præueniente Dei gratia & subsequente.

Rom. 9. Vnde Apostolus: Non est volentis, inquit, velle, neque currentis currere, sed miserentis Dei. Porrò sicut stella Magos ad Herodem declinantes deseruit, & recedentes reilluminat: ita fratres, quando ad malum declinamus, gratia Dei nō deserit nos, imò nos deserimus eam. Quando verò à malo recedimus per pœnitentiam, gratia Dei, nos reilluminat. Stella antecedebat Magos, donec veniēs, staret supra vbi erat puer: & gratia Dei antecedit nos, vs-

Rom. 10. quequo veniamus ad Christum, qui est finis ad iustitiam omni credenti, vltra quam non est procedendum: quia

Act. 4. non est aliud nomen in cœlo, neque in terra, in quo oporteat nos saluari. *Videntes autem eam Magi, gauisi sunt gaudio magno.* Nos quoque, fratres, cùm viderimus gratiam Dei perduxisse nos vsq; ad videndum Deum Deorum in Sion, gaudebimus gaudio magno & ineffabili, &

Ioan. 16. gaudium illud nemo tollet à nobis. Et intrantes domum æternæ beatitudinis, inueniemus puerum cum Maria matre eius, id est, hominem cum diuinitate contemplantes, adorantes, & benedicentes in sæcula.

Sequitur pars quinta, in qua adoratio & oblatio Magorum ostenditur, cùm subditur, *Et procidentes adorauerunt eum; & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, &c.* Quatuor faciunt, procidunt, adorant, thesauros aperiunt, offerunt. In quo, quid, & quo ordine facere debeamus, ostendunt. Itaque fratres, ante maiestatem Dei pro-

Procidere. cidamus, id est, nostram superbiam humiliantes, nos peccatores infirmos & indignos confiteamur. Adoremus, id

Adorare. est, Deum auctorem & Dominum nostrum recognoscamus. Thesauros cordis nostri per confessionem aperiamus, mala nostra nobis adscribentes. Et si quid boni vel

Thesauros aperire. pretij habeamus in nobis, Deo attribuentes & offerentes. Porrò trino dono trinum confitētes, aurum offerunt Regi, thus Deo: mirrham, qua corpora defuncta condiuntur mortalia. Nos quoq; fratres mei, eandem offerendam ei offeramus. Et cum verum Regem, verū Deum, verum hominem corde credamus, & ore confiteamur, atq; operibus

ribus comprobemus. Moraliter etiam fratres, aurum ei offerimus, si ei cor nostrum mundum & purum sanctificamus. Thus ei offerimus, si puræ orationis odore, eum delectamus. Vnde Psalmista: Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Mirrham ei offerimus, quando hoc mortale corpus à luxuriæ putredine, per condimentum continentiæ custodimus. Quid enim aliud est per luxuriæ fœtorem corpus defluere, quàm ipsum putrescere. Hinc de quibusdam per Prophetam dicitur: Putruerunt vt iumenta in stercore. Ne ergo per luxuriam putrescat corpus, illud mirrha abstinentiæ condiamus. *Psal.140.* *Ioel.1.*

Sequitur pars sexta, in qua ostenditur Magos in somnis monitos, per aliam viam rediisse in regionem suam. Nos quoq; fratres, horum exemplo, cognito Iesu, ad cœlestem patriam, non per viam qua descendimus, sed per aliam reuertamur, à regione enim nostra superbiendo, visibilia sequendo, cibum vetitũ gustãdo, peccata nostra excusando, discessimus: Et ad eam necesse est, vt nos humiliãdo, obediendo, visibilia cõtemnendo, appetitũ carnis refrenando, peccata nostra accusando, redeamus. A Paradisi gaudiis per delectamenta discessimus: ad hæc per lamenta oportet vt reuocemur. Scriptum quippè est: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis. Hinc Salomon ait: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Abluamus igitur gemitibus & lachrymis culparum nostrarum maculas, quoniam, vt ait Psalmista, Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, vt ita per aliam viam in nostrã reuertamur regionem, ipso ducente, qui Magos de longinquo hodie ad se adduxit, Domino nostro Iesu Christo, Amen. *Mat.5.* *Luc.6.* *Pro.14.* *Psal.30.*

DOMINICA PRIMA POST Epiphaniam Domini.

OBsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuentem, &c. In hac lectione fratres charissimi, instruit nos Apostolus quomodo viuere debeamus, docens quid debeamus nobis, quid Deo, & quid proximis. Debemus enim nobis castigationem, Deo obedientiam, proximis compassionem. Et in his tribus perfectio Christianitatis consistit. Hortans igitur nos Apostolus *Rom.12.* *Quid nobis et Deo debeamus.*

stolus primò ad nostri castigationem, obsecrat nos per mi sericordiam Dei, id est, per Deum misericordem, nos adiurat: vt si eius volumus consequi misericordiã, exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Hostia, fratres mei, in lege veteri sacerdoti offerebatur, pòst mactabatur, pelle spoliabatur, abluebatur aqua, per membra secabatur, igne cremabatur in odorem suauitatis. Quod ergo in lege fiebat carnaliter, Apostolus nos præcepit facere ipiritualiter. Præcepit enim nos non corpus nostrum, sed vitia corporis nostri immolare, vt sicut licet corpus nostrum moriatur peccato, & viuat Deo: iuxta quod idem Apostolus alibi dicit: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, auaritia, immunditia, &c. vt iuxta eundem Apostolum, destruatur corpus peccati. Hostiæ igitur membra vincimus, quando membra nostra ne amplius peccent, per propositum pœnitentiæ ligamus. Hostiam vinctam sacerdoti offerimus, quando cum proposito cessandi à peccato, per confessionem nos Sacerdoti præsentamus. Hostia mactatur, quando cultello compunctionis peccatum mortificatur. Excoriatur, quando remoto excusationis velamine, peccatum per confessionem denudatur. Aqua abluitur, quando lachrymis sordes peccatorum lauantur. Per membra secatur, quando partes peccatorum per discretionem secernuntur. Igne hostia crematur in odorem suauitatis, quando igne Sancti Spiritus omne peccatum consumitur, vt inde Deus & proximus delectetur: secundum illud Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despreies. Et illud: Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Non autem sufficit, fratres, ita corpora nostra exhibere hostiam per peccatorum mortificationem, nisi exhibeamus eam viuentem, vt scilicet ita moriamur peccato, quod viuamus Deo. Secũdum illud Apostoli, Quemadmodum exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis seruire iustitiæ in sanctificationem. Et illud Psalmistæ: Declina à malo & fac bonum. Quia verò quidam exhibent hostiam viuentem, sed non perseuerantem, addit: *sanctam*, id est, perseuerantem

Exhibere corpora nostra hostiã viuentem quid.

Colos.3.

Rom.6.

Psal.50.

Luc.15.

Rom.6.

Psal.36.

tem & firmam. Vnde & in lege caput cum cauda offerebatur. Quia rursus etiam quidam perseuerant, sed tamen per admixtionem inanis gloriæ vel temporis displicent, subiungit: *Deo placentem*, per rectam intentionem. Vnde scriptum est: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. *Mat. 6.* Quia rursus quidã indiscretè vel nimis attenuant, vel minus nutriunt corpus suum, ait, *Rationabile obsequium vestrum*. Quod est enim in se laudabile de nimietate fit culpabile. Quia rursus quidã dum vident hîc malos florere, & quod filij eorum sunt sicut nouella plantationis in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis. Boues eorũ crassæ. Non est ruina maceriæ, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. Et quod beatum dixerũt populum cui hæc sunt. E contrario vident hîc bonos affligi, penè mouentur pedes eorum à via recta. Iuxta illud, Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. adiungit, *Et nolite conformari huic seculo*, id est, per æmulationem imitari. Vnde Dauid: Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua. Sed à deformatione quę fuit facta per peccati vetustatem, *reformamini in nouitate sensus vestri*, vt sensus videlicet vestri emulentur, & imitentur, non veterem sed nouum hominem. *Psal. 143.* *Psal. 72.* *Psal. 36.* *Non imitandi quibus omnia prosperã.*

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur, quid Deo debeamus, cùm subditur: *Vt probetis quæ sit voluntas Dei*, acsi diceret: Exhibete corpora vestra hostiam viuẽtem, & reformamini in nouitate sensus vestri: *Vt ita probetis*, id est faciendo cognoscatis, *quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta*. Cùm vna sit semper Dei voluntas in se, tamẽ multa sunt eius signa in operibus: promissiones, prohibitiones, mandata, consilia. Permittit enim minora mala, prohibet maiora, præcipit bona, consulit perfecta. Hæc signa diuinæ voluntatis considerans Psalmista, dicit: Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Declinare à malo, est bona Dei voluntas. Facere bonum, est voluntas Dei benè placens. Contemnere omnia propter Deum, & dare pauperibus, est *Psal. 110.*

volun-

voluntas Dei perfecta, id est, perfectio quam Deus nobis consulit. Nos ergo, fratres, in omnibus debemus voluntatem Dei quærere, & illud quod plus ei placere cognoscimus, plus appetere. Si enim mundani homines, vt Regis mortalis mereantur habere gratiam, eius voluntatē etiam malam facere festinant. Nónne fratres mei, multò magis debemus facere voluntatem Dei semper bonam, & nobis vtilem, vt eius gratiam mereamur indeficientem?

Sequitur pars tertia in qua ostendit Apostolus quid proximis debeamus, cùm dicit: *Dico enim*, id est iubeo, *per gratiam quæ data est mihi*, id est, per auctoritatē mihi datam gratis, *non sapere plusquam oportet sapere*. Plusquam oportet sapere sapit, qui superbè sapit, vt qui in cibo, vel potu, vel huiusmodi communibus, infirmis scandalū ponit, vt qui vtilitatem proximorum quærere contemnit, dicens non alienas animas, sed solam suam animā sibi commissam, vt qui præsumens de conscientia sua, malè de se opinari permittit, & in his multū a quibusdam precatur. Propterea præcipit Apostolus sapere ad sobrietatem, vt vnusquisq; nō suā solā vtilitatē, sed etiā proximorū quærat. Et sicut Deus vnicuiq; diuisit gratiā suā, ita eā nō sibi, sed proximis administret. Noluit enim Deus omnes gratias omnibus dare, sed singulas singulis, vt nullus superbiret, vel alium cōtemneret, & vidēs se egere gratiis aliorum, aliā quam haberet, aliis subministraret. Sicut enim officiū habet aliud pes, aliud manus, aliud oculus, &c. & tamen pes non se solū portat, sed & alia membra: Et manus non sibi soli laborat, sed & aliis membris: Et oculus nō sibi soli videt, sed & aliis membris. Ita Deus ordinauit in Ecclesia, vt alius sit pes portando alios labore suo, vt agricolæ: alius sit manus defendendo alios, vt Principes: alius sit oculus, aliis per sapientiam prouidendo & consulendo, vt sapientes. Ita fratres charissimi, vnusquisque gratiam quam à Deo accepit, studeat aliis communicare, ne forte talentum commissum abscondens, illo iustè priuetur & damnetur. Qui habet diuitias, inde pauperibus subueniat. Qui habet potestatē, inde imbecilles defendat. Qui habet sapientiam, alios corrigat & instruat. Qui habet eloquentiam, viduarum & orphanorum patronum se fa-

se faciat. Qui habet artem viuendi, inde aliis valeat, vt de gratia sibi commissa, vnusquisq; Deo acquirat lucrum & sibi præmium. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM Domini.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatis q; diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & reliq Huius Euãgelicę lectionis, fratres charissimi, partes sunt quinq;. Primò enim ostenditur Iesus cum parentibus suis secundum consuetudinem diei festi Hierusalem ascendisse. Præceperat quippè Dominus in lege quòd quisq; ter in anno corã eo appareret & non vacuus. Conueniebant igitur etiam è remotis partibus, ad tres præcipuè solennitates, Pascha scilicet, Pentecosten, & Scenophegiam, quod octo diebus protelabantur: prælotisque corporibus, dealbatisque vestimentis, celebrarent in gaudio solennitates cum hostiis & muneribus. Ex hac igitur consuetudine, ascenderunt beata Virgo & Ioseph cum puero Hierusalem, dantes nobis exemplum celebrandi solennitates cum deuotione. Nam si Dominus noster Iesus Christus, cùm nõ indigeret, solennitates celebrauit, quid nos miseri peccatores, qui maximè indigemus, quid facere debemus? Cùm igitur fratres mei solennitates Domini, eiusque Sanctorum aduenium, celebremus eas cum summa deuotione, loti plus mentibus, quàm corporibus: ornati plus virtutibus, quàm vestibus, ne simus vacui coram Domino. Vacuus certè coram Deo est, non qui non habet in manu pecuniam, sed qui non habet in animo deuotionem. Non est enim manus vacua munere, si arca cordis est repleta bona voluntate. Sed & in hoc quod beata Virgo & Ioseph, puerum Iesum quotannis ad solennitates ducant Hierusalem, præstant vobis patres & matres familiàs exemplum, vt filios vestros postquam intelligere cœperunt, ad Ecclesiam ducatis, & eos Deum timere, supplicare & orare doceatis: illã enim vitam firmius tenemus, quam ab infantia sectari consuemimus. Sequitur pars secunda in qua ostenditur puer

Luc. 2.

Solennitates celebrãdæ.

Iesus in Hierusalem remansisse, & à matre & Ioseph quæsitus fuisse, cùm subditur: *Remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.* Et quomodo fratres mei, filius Dei qui cum tanta diligentia à parentibus nutriebatur, potuit obliuiſci? Quia mos erat Iudæorum, vt ad festum euntes siue redeuntes, seorsum viri, seorsum mulieres incederent: sed & in ipso templo atrium mulierum, ab atrio virorum prorsus erat sequestratum. Pueri verò teneriores cum vtroque parente indifferenter ibant. Putabat igitur beata Virgo quod puer esset cum Ioseph, & Ioseph putabat quod cum matre esset, & ita vt ei placuit, relictus est. Porrò fratres, consuetudo hæc Iudæorum optima erat, & nobis imitanda. Vt cùm sumus in Ecclesia, à mulieribus sequestrati maneamus. Nihil enim plus remouet ab oratione animum nostrum, quàm inspectio mulierum. Si enim fratres, etiam cùm solitarij oramus, vana cogitatio nos infestat, quid fit cùm vir aspicit vxorem suam, stultus stultam, peccator peccatricem?

In Ecclesia tres diuinctæ mansiones.

Nónne plus auget culpam, quàm impetret veniam? fiant itaq; fratres, in Ecclesia tres distinctæ mansiones. In prima parte, id est, in choro, oret Episcopus siue Sacerdos cum clericis: In secũda, Rex vel Dominus villę, cum subditis suis: In tertia, Domina cum mulieribus suis. Legimus enim in Ecclesiastica historia, quod cùm Theodosius Imperator vellet apud Mediolanum in chorum clericorum introire, prohibuit eum beatus Ambrosius: Distinctio, inquit, debet esse inter clericos & laicos. Ego cum clericis meis in choro debeo psallere, tu verò cum laicis tuis extra orare. Veniens autem Imperator Constantinopolim, mansit extra chorum. Cui cùm Episcopus diceret, quare solito more nõ intraret in chorum, respondit: Vnum solum Episcopum in mũdum inueni, qui quæ differentia sit inter laicos & clericos me docuit.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur Iesus post triduum in templo repertus, sedens in medio Doctorũ, audiens eos & interrogans. Porrò quòd Iesus quæritur, & post triduum reperitur, significat quod ante legem, & sub lege quæsitus fuit, sed tantùm in tempore gratiæ repertus est. Quòd verò in templo in medio Doctorũ sedet, au-

audit & interrogat, dat exemplum pueris & adolescentibus, vt Ecclesiam frequentent, Doctores audiant, & eos de doctrina animæ interrogent. Hoc etiam notandum est fratres mei, quòd Redemptor noster legitur cùm esset duodennis tantùm, audisse & interrogasse, nec vsq; in trigesimo anno publicè docuisse. Ezechieli quoq; in trigesimo anno aperti sunt cœli, & vidit visiones Dei. Canones etiã prohibent, ne aliquis nisi tricenarius ad Sacerdotiũ accedere præsumat. Hinc itaq; confunduntur qui ante præscriptam ætatem, vel ad Sacerdotium, vel ad officium prædicationis audent aspirare. Sapientia Dei patris noluit ante triginta annos, publicè prædicare. Et tu stulte, superbe, antequã noueris esse discipulus, cupis magister esse? Quod verò mirabantur omnes super prudẽtia & responsis eius, signum erat diuinæ sapientiæ, quæ quodammodo eos docebat, dum prudenter eos interrogabat.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus ostendit, quid patri cœlesti, & quid matri carnali debeamus. Nam cùm beata Virgo conquereretur: *fili quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Respondit: Et quid est quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Non autẽ in hoc quod eũ quasi filiũ quærũt, vituperat, sed quis sibi verus pater sit, insinuat: in quo fratres, nos docet, præceptũ Dei patris & matris Ecclesiæ, præcepto carnalis patris & matris præponere. Sicut idẽ alibi dicit: Qui amat patrẽ aut matrẽ plus quàm me, non est me dignus. *Mat. 10.* Quando tamen præceptũ terreni patris vel matris, non obuiat præcepto Dei, debemus ei humiliter obedire. Vnde Dominus Iesus, cùm quasi increpando matri suæ, & Ioseph priùs respondisset, mox tamen in humilitate eis paret. Sequitur enim quod *descẽdit cũ illis, & venit Nazareth, et erat subditus illis.* Erubesce superbe cinis, erubesce. Deus se subdit homini, & tu homo dedignaris subdi homini. O homo, Deus se subdit tibi, causa salutis tuæ non suæ: & tu dedignaris subdi Deo, vel homini, causa salutis tuæ non suæ: hinc fratres, hinc discamus subdi Deo, subdi parentibus, & etiam cuilibet personæ propter Deũ, quotiẽs enim alij subdi cõtemnimus, exẽplo & præcepto Christi contraimus, & diaboli superbiã imitamur. *Cuilibet obediens dũ propter Deũ.*

Discamus præcipuè subdi parentibus, & eis nutrituræ nostræ vicissitudinem reddere. Qui enim honorat propter Deum patrem vel matrē, non erit inhonorus ante Deum.

Sequitur pars quinta, in qua diligentia & prudentia beatæ virginis ostenditur, cùm subditur: *Maria autem conferuabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Non minus enim castitate oris, quàm corporis imitabilis, omnia, quæ de Domino, vel à Domino facta, dictáve cognoscebat, siue intelligeret, sub silentio in memoria recondebat: vt quando tempus adesset, vniuersa, prout gesta, dictáve fuerant, quærentibus & scribentibus explicaret. Cuius exemplum pro modulo nostro fratres charissimi sequamur, habentes labia circuncisa, modestamq; taciturnitatem, omniumq; bonorum in cordis nostri armariolo conseruantiam. Sequitur pars sexta in qua ostenditur profectus pueri Iesu, cùm subditur: *Puer autē proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deū & homines.* Quòd ætate secundùm naturam humánitatis proficiebat, apparet. Sed quomodo fratres mei, qui ab æterno sapiētia plenus erat, imò ipsa sapientia erat, sapientia & gratia proficiebat? Proficiebat quidem non sibi, sed aliis sapientia & gratia, dum eas paulatim hominibus declarabat. Vnde Deus pater glorificabatur, & homines mirabantur. Vtinam fratres mei, proficiat & in nobis, vt ipsam sapientiam, & gratiam suam, nobis clemēter donet, quatenus virtutibus & bonis operibus mereamur abundare: & ipsum de bonis donis suis in æternum benedicere: ipso largiēte qui cum Patre & Spiritusancto viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA SECVNDA POST Epiphaniam Domini.

Rom. 12. *Habentes donationes secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes, &c.* Omniscíens & prævidens Dominus Deus, noluit, omnes gratias alicui dare, ne superbiret, sicut Angelus, qui præ largitate gratiarum, superbiuit: Nec voluit alicui nullā dare, ne sicut desperatus desperaret: sicut Iudas, qui videns se propter peccatū omni gratia nudatū, desperauit. Sed voluit dare vnam vni, alteram alteri, vt quisque de habita mereri posset, de non habita humiliaretur, & habentem sibi præferret: & vt de propria gra-

gratia ministraret aliis, sicut volebat alium de suis gratiis ministrare sibi : vt more membrorum humanorum sibi inuicem subseruirent, & pro communi salute communiter laborarent. Hoc est ergo quod Apostolus ait: *Habentes donationes differentes, secundum gratiam quæ data est nobis*, id est, habentes dona diuersa secundum hoc quod Dominus vnicuiq; nostrũ gratis dedit. Et subdiuidit gratias: *Siue prophetiam habentes*, habeamus eam, *secundum rationem fidei*. Prophetiam verò vocat occultorum notiam, & scripturarum interpretationem, quam gratiam, si quis habet, habeat eam secundum intentionem fidei, vt à fidei veritate scripturas non distorqueat, sicut Arrianus, Sabellianus, & cæteri hæretici. Hoc contra illos est, qui scripturas non exponunt, sed apponunt: qui non referũt, sed afferunt: qui voluntatem suam non explicant scripturæ, sed scripturam applicant voluntati suæ. Sed quid est fratres, quod ait, *secundum rationem fidei*, cùm fides in multis contra rationem, vel supra rationem habeatur. Et fides non habeat meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Cùm enim dicitur quod immortalis mortuus est. Et quod virgo concepit & peperit, contra rationem esse videtur : sed & de ratione est fratres charissimi, vt qui rationem & naturam condidit humanã, super eam sit, & ab ea capi non possit. *Siue ministerium in ministrando*: id est, qui habet gratiam ministerij, vt sacerdotij, vel diaconatus, vel cæterorum, habeat eam in vsu ministrandi, vt scilicet in ministerio non sit piger vel negligens, sed sollicitè, deuotè & gnauiter ministret: quia, vt ait Hieremias, maledictus qui facit opus Dei fraudulenter. Hoc fratres, cõtra illos est qui malunt præesse, quàm prodesse, qui sunt solliciti ad congregandum argentum, spernentes damnum animarum, quos plus tangit perditio asinæ quàm animæ. *Siue qui docet in doctrina*, id est, qui habet officium docendi, doceat in doctrina, id est, ad doctrinam auditorum, & hoc contra illos est, qui docent ad gloriam vel ad lucrum. *Qui exhortatur in exhortando*, id est, qui habet gratiam exhortandi, sit sollicitus in exhortando, ne de absconditio talento damnetur. Hoc fratres, contra illos est qui gratiam habentes loquendi ad populum, ex

Scripturarum interpretatio quomodo habenda.

Hier. 48.

negligẽtia silent. *Qui tribuit*, tribuat *in simplicitate*, id est,
simpliciter propter Deum, non propter gloriam, vel mer-
Mat. 6. cedem temporalem, vt nesciat sinistra quid faciat dextera,
id est, rei propter Deum factæ, non se admisceat, nec in
principio, nec in medio, nec in fine, intentio temporalis.
Qui præest, præsit in sollicitudine, quia maledictus Præla-
tus negligens, vt Heli, cuius negligentia, causa eius perdi-
tionis & sui, & filiorum. Maledictus enim Pastor dormi-
tans, qui commissas oues sinit à lupis deuorari, & vacuus
redit. *Qui miseretur, misereatur in hilaritate*, hilarem enim
2. Cor. 9. datorem diligit Deus. Non enim pensat Deus quanta sit
eleemosyna, sed ex quãta deuotione fiat. Parua enim elee-
mosyna, si lætè, si citò, si deuotè detur, vincit magnã elee-
mosynam, obscurè, tardè & tepidè datam. *Dilectio sine si-
mulatione*. Simulata enim dilectio, non est dilectio, sed de-
ceptio. Qui enim fingit se aliquem diligere, ad hoc fingit
vt eum melius possit decipere. Hoc contra illos est qui
blandis salutationibus, & inuitationibus, falsis promissis
& obsequiis se fingunt amicos illorum, quos in hoc mun
1. Ioan. 3. do florere vident. Contra quos Ioannes ait, Filij, inquit,
non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate.
Odientes malum, adhærentes bono. Hoc est, omne malum
naturaliter odientes, & omne bonum naturaliter diligen-
tes. Hæc virtus dicitur benignitas: huic fratres, contraria
est malignitas, quæ de malo gaudet, & de bono dolet. *Cha
ritatem fraternitatis inuicem diligentes*. Hoc contra illos
est, qui cum fratribus viuunt tanquam cum extraneis nul
lum signum dilectionis & familiaritatis eis exhibentes.
Hos vocat Apostolus sine affectione, sine fœdere. *Honore
inuicem præuenientes*. Concedentes scilicet aliis priorem
locum, priorem honorem; primum ordinem fandi, seden-
di, bibendi, & huiusmodi: secundùm illud: Cùm inuita-
Luc. 14. tus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco. Sicut
enim superbi semper amant sibi deferri, ita humiles sem-
per amant aliis deferre. *Sollicitudine non pigri*, in spiritua-
libus scilicet studiis: in temporalibus enim negotiis solli-
Mat. 6. citudo prohibetur. Vnde Dominus: Nolite solliciti esse, di
centes quid manducetis, aut quid bibetis? *Spiritu feruen-
tes*: quoniam Deus nauseat & vomit. vnde ait, Tu neque
frigi-

frigidus neq; calidus es, vtinam frigidus aut calidus esses. Apoc. 3.
Sed quia neque frigidus, neque calidus es, incipam te euomere de ore meo. *Domino feruientes*, non mũdo, non carni, non diabolo. *Spe gaudentes*, etiam inter aduersa & tristitias huius mũdi. Inter aduersa spe gaudere spiritualium est virorum, vbi mundani homines turbantur & desperãt. *In tribulationibus patientes*, id est, tribulationes æquanimiter patientes, & inferẽtibus cõpatientes. Hoc cõtra illos est, qui lacessiti, statim reddunt malũ pro malo, maledictũ pro maledicto. *Orationi instantes*: & si semper non orãdo, tamen semper benè operando, & benè viuẽdo. Benè enim instat orationi, qui semper dum viuit, facit orationẽ suam dignam exaudiri. *Necessitatibus sanctorũ cõmunicantes*, id est, rem vestram, vel si non habetis, compassionem. Hoc contra illos est, qui quasi homines non essent, hominibus compati nesciunt. *Hospitalitatem sectantes*, id est, non vos sectemini propter hospitalitatem dandam, imò vos sitis sectantes & offerentes eam, sicut Abraham & Loth legũtur fecisse. *Benedicite* ore *persequẽtibus vos. Benedicite* etiã corde, *& nolite maledicere*. Hoc cõtra illos est qui & si ore benedicant persequutoribus, tamen corde maledicunt. Gaudere etiam studeamus cum gaudentibus, sũbaudis in Deo: nam cum gaudentibus in seculo, non est gaudendum. *Flete cum flentibus*, eis videlicet compatiendo. Hoc facimus, cùm bona & damna proximorum, nostra propter charitatem putamus. *Id ipsum*, id est, vnum idem *sapientes inuicem*: id est, non diuidentes vos per scismata & hæreses, sed per eandem fidem & spem & charitatem, idem sapientes. *Non alta sapientes de vobis*, id est, non superbè, vt scilicet vos super vos superba æstimatione non eleuetis, sed sapientes humiliter de vobis, id est, infra vestram imperfectionem vos cohibentes, & humilibus consentientes. Hoc ideò dicit, quia superbi superbis non possunt consentire, nec cum eis pacificè viuere. Humiles autem semper humilibus consentiunt, & cum eis pacificè viuunt. Has & cæteras virtutes largiatur nobis obtinere largitor gratiarum Deus, & Dominus noster, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA SECVNDA
post Epiphaniam.

NVptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, & erat mater Iesu ibi, & reliq. Fratres charissimi, tempus nunc redit nuptiarum, & de nuptiarum honestate loquitur Euangelium. Non enim damnabiles sunt nuptiæ, vt quidã hæ-
Heb. 13. retici prædicauerũt, sed vt ait Apostolus, honorabile connubiũ in omnibus, & thorus immaculatus. Quãtæ enim honestatis sit coniugiũ, ostendit eius institutor, tempus, locus, diffinitio, & bona eius, meritũ personarũ, & ipsius Domini præsentia. Quis enim constituit coniugiũ? Dominus Deus, qui nihil nisi bonũ instituit. Et quãdo? ante peccatũ. Bonum igitur est, & fuit, quod ante peccatũ fuit. Vbi? in Paradiso. Vbi Dominus de latere viri dormientis sumptã costam, operatus est in mulierẽ, quam viro cõiunxit. Vnde & dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de
Psal 8. carne mea. Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrem,
Mat. 19. & adhærebit vxori eius, & erunt duo in carne vna. Non
Ephe. 5. formauit autem Dominus mulierẽ de capite viri, ne inde
1. Cor. 6. super virũ superbiret, nec de pedibus, ne vir eam despiceret, sed de latere, vt tanquã sociã diligeret. Quid est coniugiũ. gium? Legitima cõiunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinẽ retinens. Si igitur coniugiũ legitimum
Bona cõiugij. est, vtiq; bonũ est. Quæ sunt bona coniugij? Tria: fides scilicet, sacramentũ, & proles. Coniuges enim debent esse fideles, non solũ Deo & proximo, sed etiam sibi inuicẽ, vt sicut adinuicẽ promittũt, vnio sit animorũ, & corporum,
Sacramentũ. & rerum. Sacramentũ est, quoniã est sacræ rei signũ. Sicut enim mulier de latere viri est formata & ei coniuncta: ita Christus per sanguinem & aquã de latere suo fluentẽ, formatã Ecclesiã sibi sponsam coniunxit, quæ sibi filios spi-
Proles. rituales per baptismũ gignit. Proles est etiã fructus cõiugij, propter quam coniuges debent coniungi. Meritũ etiã personarũ cõmendat coniugiũ: quoniã nisi bonũ esset, Abraham, Isaac, & Iacob, & cæteri sancti, coniuges non duxissent. Vnde legitur quod non minoris meriti fuit coniugium Abrahæ tempore suo, quàm cœlibatus Ioannis tempore suo. Præsentia etiam Christi nuptias commendat,

qui

qui vt præsens Euangeliũ testatur, sua præsentia nuptias honorauit, & miraculo decorauit. Ostendũtur igitur fratres charissimi, in hac lectione quinque : qua intentione sint nuptiæ celebrandæ: qui sint vocandi, quid debeat deficere, quid debeat adesse, & quid mutari. Qua intentione sint celebrandæ, ostenditur cũ subditur. *Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ.* Chana enim est zelus, Galilæa interpretur transmigratio. Hoc enim zelo vxorem ducere debemus, nõ vt cum ea maneamus in luxuria, sed vt cum ea euitemus luxuriam, & transmigremus ad castitatem: Fugiamus vitia, & trãsmigremus ad virtutes : spernamus terrena, & transmigremus ad cœlestia. vnde Apostolus, Propter fornicationẽ, subaudi, euitãdã, habeat vnusquisque vxorem suã. Habent enim nuptiæ castitatẽ suam. Peccant igitur fratres mei, qui non recta intentione, sed propter libidinem, propter pulchritudinem, propter pecuniam vxorem ducunt. Qui sint vocandi. ostenditur, cùm subditur: *Vocatus est autem Iesus & Discipuli eius ad nuptias.* Non ergo vocãdus est ad nuptias diabolus per carnem & magicam artem, non mimi & mimæ inimici honestatis & pudicitiæ, nõ turpes & infames personæ, sed Christus cum matre & discipulis suis. Christus verò tripli citer ad nuptias vocatur, per orationem, per munditiam, per pauperum susceptionem. Oratione quippè debemus Christum cum matre & sanctis suis vocare, non solùm ad nuptias, sed etiã ad omnia opera nostra, vt ipse actiones nostras aspirando præueniat, & adiuuando prosequatur. Vnde sapiẽs ait: In omnibus cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos. Malè enim fit, quicquid sine Deo fit. Orandus est igitur Dominus, vt ipse custodiat introitum & exitum nostrum, ex hoc nunc & vsq; in seculum. Per munditiam vocãdus est Deus, quoniam per immunditiam fugit, & in corde mundo requiescit. Si igitur in sanctitate & munditia nuptias celebratis, Deus procul dubio præsens erit. Sicut ipse testatur: Vbicunque, inquit, duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego sum in medio eorum. Accessuri igitur sponsus & sponsa ad Sacramentum nuptiarum, debent de præteritis pœnitere excessibus, & peccata sua confiteri. Non enim potest no-

Præsentia Christi nuptias commendat.

Quo zelo vxorẽ ducere debeo mus.

1. Cor. 7.

Qui non vocandi ad nuptias.

Christus ad nuptias tripliciter vocatur.

Prou. 3.

Math. 18.

nam vitam inchoare, qui veterem nō deponit hominem. Nec potest recipere benedictionem, qui in corde suo reseruat iniquitatem. Percepta igitur benedictione nuptiali, non statim debent sese cognoscere, sed dare honorem Sacramento, & prima nocte cum luminaribus in Ecclesia vigilare & orationi vacare. Legimus enim quòd Sara filia Raguelis septem sponsis nupsit, qui mox in prima nocte volentes intemperanter ad eam accedere, à diabolo suffocabantur. Quod timens Tobias, cū nollet eam ducere, Raphaël Angelus ei dixit: Noli timere, super petulantes, & Deum non timentes, potestatem habent dæmonia. Tu autem cùm acceperis eam, tribus diebus continebis ab ea, & per noctes vacabitis orationibus. Prima nocte incenso iecore piscis, precibus vestris fugabitur dæmonium. Secunda nocte orabitis, vt in societate Patriarcharum admittamini. Tertia, benedictionem consequamini, vt filij ex vobis procreentur incolumes. Quarta, accipies eā in timore Dei, amore filiorum magis quam libidine ductus, vt in filiis benedictionem consequaris. Pā pauperum etiam susceptionem, vocandus est ad nuptias Christus, quoniam in pauperibus susciptur Christus, vt ipse testatur: Qui recipit vnum de pusillis his in nomine meo, me suscipit. Vnde & in iudicio dicturus est: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Cùm itaque nuptias celebratis, facite quod veritas dicit. Cùm facis conuiuium, noli vocare diuites, sed voca pauperes, qui non habent vnde retribuant, & pater cœlestis reddet tibi. Quid debet in nuptiis deficere? vinum, id est, ebrietas, luxuria, rixa, tumultus, & omnis intemperantia. Vnde Salomon: Luxuriosa res est vinū, & tumultuosa ebrietas. Et Apostolos: Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria. Et alibi: Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Quæ in nuptiis adesse debent? Sex hydriæ, id est, sex misericordiæ, quas Dominus in Euāgelio enumerat. Prima est, dare cibum esurienti, secunda dare potum sitienti, tertia vestire nudum, quarta suscipere hospitem, quinta, visitare infirmum, sexta redimere vel consolari captiuum. Et hæc sunt hydriæ, quia contra aduersa fortes sunt, & positæ secundum purificationem Iudæorum.

Tob. 9. & 7.

Mar. 9.

Mat. 25.

Luc. 14.

Prou. 20.

Ephe. 5.

Eccle. 39.

Sicut

Sicut enim Iudæi propter quoslibet excessus se quotidie lauabant: ita coniuges, quæ frequentur excedunt, vel in amore coniugum, vel filiorum, vel in cura rei familiaris, se debent quotidie per opera misericordiæ lauare. Iuxta illud, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Sex hydrias Dominus impleri iubet in nuptiis, quia sex opera misericordiæ iubet nubentes adimplere, & per ea quotidianos excessus lauare. Eo autem præcipiente, illæ vsque ad summum implentur: quia eo iubente & auxiliante, opera sex misericordiarum, à piis coniugibus abundanter, & vsque in finem implentur. Quid debet in nuptiis mutari? aqua in vinum. Aqua hydriarum fratres mei, in vinum mutatur, quando operante Dei gratia, sic sunt coniuges purificati & virtutibus perfecti, vt aquæ misericordiarum iam non habeant timorem culpæ abluendæ, sed feruorem charitatis diuinæ. De quo Propheta: Et calix meus inebrians quàm præclarus est. Benè fratres mei, aqua mutatur in vinum, quando, qui prius erant frigidi, fiunt calidi: qui erant carnales, fiunt spirituales: qui erant seculares, fiunt religiosi. Beati sanè qui tales in coniugio viuunt, qui propter amorē coniugum & filiorum, & propter curam familiaris rei, non retardātur ab amore Dei. Beati quidem coniuges Dei huiusmodi, sed beatiores virgines vel viduæ, quæ temporalibus nuptiis spretis, superno adhærent sponso. Beatiores re vera qui liberiores & deuotiores: quia quantò minus hìc delectantur, tantò magis cœlestia quærunt. Vt enim ait Apostolus: Tempus breue est, & præterit figura huius mundi. Reliquum est, vt qui sunt nubentes, sint tāquam non nubentes: & qui vtuntur mundo, tanquā non vtentes sint. Et qui gaudent, tanquam non gaudentes. Propterea omnes siue cōiugati, siue vidui, siue virgines, non quæ super terram, sed quæ sursum sunt, sapiamus & quæramus, vbi Christus est in dextera Dei sedens, cum quo viuit & regnat in æternum. Amen.

Luc. 11.

Psal 22.

1. Cor. 7.

DOMINICA TERTIA post Epiphaniam.

Rom. 12.

NOlite prudētes esse apud vosmetipsos, etc. Tripartita est hæc lectio, fratres mei. Nam primò nos monet Apostolus

stolus ne simus prudentes apud nos, sed apud Deum. Secundò hortatur nos ad obseruandum pacem. Tertiò monet nos ne reddamus malũ pro malo, sed potius bonum pro malo. Monens igitur nos primò ne simus prudentes apud nos, ait: *Nolite prudẽtes esse apud vosmetipsos.* Sicut autẽ ex scripturis sacris colligimus, fratres charissimi, quidam sunt prudẽtes apud Deũ, & boni sunt: quidam sunt prudentes apud seculum, & mali sunt: quidam sunt prudentes apud semetipsos, & superbi sunt. Prudentes apud
Mat. 13. Deũ sunt, qui omnia vana propter ipsum contemnũt. De quibus dicitur: Simile est Regnũ cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam. Prudentes autem apud seculum sunt, qui nescientes vel spernentes cœlestia, solum mundum diligunt, de quibus
Rom. 8. dicitur: Carnalis homo non sapit ea quæ sunt Dei. Et il-
1. Cor. 3. lud: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Prudentes apud semetipsos sunt, qui cæteros quasi stultos
Esa. 5. spernentes, se solos putant sapientes, De quibus per Prophetã dicitur: Væ qui prudentes estis apud vosmetipsos, & coram vosmetipsis prudentes. De quibus etiam hic dicitur: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et quia superbi impatientes sunt, aliorum iniurias ferre non possunt: addit, *Nulli malum pro malo reddentes.* Sed potius estote sapientes apud Deum. *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Coram Deo & hominibus bona prouidet, qui ita quærit amare Deũ, quod non contemnit amare proximũ: qui ita quærit placere Deo, quod etiam quærit prodesse proximo: qui ita prouidet se coram Deo bonam conscientiam habere, quod etiam prouidet per bonorum operum opinionem proximo exemplum præbere. Vnde Dominus, Sic, inquit, lu-
Mat. 5. ceant opera vestra bona, coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Et alibi, Crudelis est qui famam negligit. Qui verò proximis prodesse contemnit, qui bonum exemplũ eis præbere spernit, & si coram Deo habet bonam conscientiam, tamen non prouidet bonum coram hominibus. Vnde Greg. Qui humanam laudẽ calcare iam sufficit, pœnaliter peccat, si bonum quod agit, occultat.

occultat. Ergo multò magis fratres mei peccat, qui & si interius rectè viuit, tamen coram populo de se malè opinari permittit, quàm qui coram fratribus scandalum ponit: cùm propter vitandum scandalum, etiam quædã minora bona sint dimittenda. De huiusmodi Dominus dicit: Qui scandalizauerit vnum ex pusillis his qui in me credunt, expedit ei vt mola asinaria suspẽdatur in collo eius, & submergatur in profundũ maris. Qui enim huiusmodi est, tot reus est animarum, quot pereunt propter malum exemplum suum. *Mat. 18.*

Sequitur pars secunda, in qua nos monet Apostolus ad pacem dicens: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hic tria consideranda sunt vobis, fratres mei, quæ sit pax, & inter quos esse possit, & cum quibus, & quomodo habenda sit. Est igitur pax quietus rerum status, cunctus sibi ordinatè concordantibus, vel saltem aliis ordinate cedentibus. Pax vera alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta pax erit in alia æterna patria, vbi erit omnimoda consonantia: vbi electi ita erũt Deo coniũcti, vt à voluntate eius dissonare non possint. Hæc est pax Dei quę exuperat omnem sensum. Quantum ad illam pacem dictũ est, quod pax est quietus rerum status cunctis adinuicem ordinatè concordantibus. Pax verò imperfecta nunc est, quoniam tanta est in mundo varietas, quod vix etiam aliquis perfectus semper possit sibi concors esse, necdum plures omnino sibi sint concordes. Sed tunc dicimus hic pacem esse inter aliquos, quando, & si non omnino concordant, tamen alij aliis acquiescunt & cedunt, & hoc ordinatè, vt scilicet minus bene volentes, meliùs volentibus cedant. *Pax quid. Pax duplex. Philip. 4.*

Quantum igitur ad hanc pacem dictum est, vel saltem aliis ordinatè cedentibus, Pax vera inter malos esse non potest, quia malus à seipso dissidet, & alter ab altero, cùm vitia vitiis contraria sint. Hinc est enim auarus, ille prodigus: hic crudelis, ille remissus: hic timidus, ille temerarius. Hinc dicitur, non est pax impiis, dicit Dominus. Et in Euangelio, Omne regnum in seipsum diuisum desolãbitur. Et cùm mali ita inuicem dissideant, tamen in persequutione bonorum conueniunt: vt Herodes & Pilatus *Pax inter malos esse non potest. Esa 57. Luc. 11. Mali in persecutione bonorũ conueniũt.*

latus in mortem Iesu: vt Pharisæi & Saducæi in persecutione Pauli. Est autem hæc pax mala, & iustis inimica. Inter bonos pax vera est, & quantò meliores sunt, tantò inter eos maior consonantia est. Virtutes enim à se dissidere nō possunt. Hinc est quod in æterna patria, vbi erit omnimoda virtutum consonātia, pax erit tranquillima. Nūc verò, quia hîc non sunt virtutes omnino temperatæ, hîc nec est pax perfecta. Inter bonos autem & malos pax esse non potest: quia hi iusti, ille iniusti: hi pij, illi crudeles: hi casti, illi incœsti: hi patientes, illi impatientes. Nec potest esse vera concordia inter quos est tanta dissidentia. Hoc sentiens Apostolus ait: *Si fieri potest cum omnibus hominibus pacem habentes*, quasi diceret: hîc nō potest fieri, quia & si vos haberetis pacem cum malis, illi non haberent vobiscum. Propter hoc subiungit: *Quod ex vobis est.* Tunc fratres charissimi, cum omnibus hominibus quantum ex nobis est, pacem habemus: quando nulli facimus, vnde debeat esse nobis inimicus: quando omnium bona volumus & quærimus: quando pro Christo eis lucrandis, à perfectione nostra non relaxamus. Cum quibus debemus habere pacem? cum Deo, cum anima nostra, cum proximis nostris, tam amicis quàm inimicis. Habeamus igitur pacem cum Deo, ei obediendo, & eius volūtati quantum possumus concordando. Habeamus pacem nobiscū, animales motus & sensus spiritui subdendo: Habeamus pacem cum amicis, illos Deo amicando. Habeamus pacem cum amicis, illos Deo reconciliando. Ad hoc enim debemus familiaritatem malorum, & amorem inimicorum captare, vt eos bono verbo & exemplo, & conuersatione, possimus Deo lucrifacere. Hinc præcepit Paulus fideli, vt habitet cum infideli, secum habitare consentienti. Et si nō cōsentit, discedat. Melius est enim quemque solum saluare animam suam, quàm cum alio perire. Inde Dominus, Non veni, inquit, pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare filium à patre, &c. cum diabolo verò & cum vitiis, non pacem, sed bellum semper habeamus, diabolo resistendo, & vitia de nobis & aliis eradicando. Nec debemus vitiis & peccatis nostris indulgere, sed plus persequi in nobis quàm in aliis: & inimicam carnem nostram

Cum quibus pacem habere debemus.

Mat. 10.

ram domare, vt spiritui, & si non concordet, saltem cedat. Quantum sit autem appetēda vera pax ostendit Dominus Beati, inquit, pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et Propheta: Et factus est in pace locus eius, id est, tranquillo animo & tranquilla congregatione: ipse enim facit solus vnanimes habitare in domo. *Mat. 18.* *Psal. 75.*

Sequitur pars tertia, in qua monet nos Apostolus non reddere malum pro malo, sed potius bonum pro malo, cùm subdit: *Non vosmetipsos defendētes charissimi*, id est vindicantes: repellere enim iniuriam sine alterius læsione licet. Sunt autem, fratres mei, quatuor retributiones, reddere malū pro malo, quod mediocriter malorū est. Reddere malum pro bono, quod malignissimorum est. Reddere bonum pro bono, quod mediocriter bonorum est. Reddere bonum pro malo, quod summæ bonitatis est. Quando verò Deus iudex infert pœnā pro peccato, non reddit malū pro malo, sed potius iustū pro iniusto. Monet igitur Apostolus nos, vt nō reddamus malū pro malo: *Sed date*, inquit, *locum iræ*, id est vindictæ diuinæ. Qui enim nō dat locum vindictæ Dei, tripliciter peccat. Tum quia præsumit quod suum non est: tum quia tēpus iudicij præuenit: tum quia de verbere, de quo melior esse deberet, deterior est. *Scriptū est enim: Mihi vindictam*, subaudis reseruate, *& ego retribuam.* Et non tantum modo non reddas malum pro malo, imò etiā reddas bonum pro malo. Et hoc est quod ait: *Sed si esurierit inimicus tuus*, vel corporaliter vel spiritualiter, *ciba illum: Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, congeres carbones ignis super caput eius.* id est ardorem charitatis in mēte eius, vt cōuertatur & tibi reconcilietur. Vel si noluerit, cōgeres carbones eterni supplicij in caput eius. Eò enim quod nec per beneficia mitigari noluerit, plus in inferno cruciabitur. *Noli vinci à malo.* A malo vincitur, qui malum pro malo reddere conatur: à malo vincitur, qui de illata iniuria deterioratur: à malo vincitur, qui malignorum prosperitati emulatur. *Sed vince*, inquit, *in bono malum.* Tunc vincis in bono malum, quando illatam iniuriam per patientiam superas: quando inimicum per beneficia tibi reconcilias: quando malos bono exemplo ad meliora inuitas.

Quatuor retributiones.

Qui nō dat locum vindictæ tripliciter peccat.

Quis à malo vincitur.

Quod

Quod nobis fratres mei, & vobis adimplere concedat, qui pro inimicis suis orauit, & animam suam posuit, Dominus noster Iesus Christus, Amen.

DOMINICA TERTIA post Epiphaniam.

Mat. 8. *Descendēte Iesu de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ*, & reliq. Duobus capitulis distinguitur hęc lectio, fratres charissimi. In primo, quatuor ostenduntur. Primò ostenditur Iesum de monte descendentem, turbas multas sequutas fuisse. Secundò accessus leprosi ad Iesum. Tertiò curatio eius. Quartò præcipitur ei ne cui dicat, sed Sacerdotibus se ostendat. Ait igitur: *Descendente Iesu de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ*. Quid est fratres mei, quod Iesum descendentem de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ? nisi quia Iesum descendentem de cœlo, multi populi, multæq; sunt nationes sequutæ? Si enim in cœlo semper maneret, nullus eum sequeretur, nullus eum cognosceret, nullus amaret. Quomodo namq; tardus sequeretur incomprehensibilem? quomodo hebes cognosceret inuisibilē? quomodo frigidus amaret incognoscibilem? Quia ergo homo ad Deum ascendere non poterat, pius & misericors Deus ad hominem descendit: descendit autem in forma hominis se exinaniendo: descendit nostræ miseriæ compatiendo: descendit infirmitates
Esa 53. nostras in se suscipiendo: Vnde Propheta: Verè languores nostros ipse tulit. Et
Hebr. 4. Apostolus, Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, per omnia autem tentatum pro similitudine absque peccato. Qui enim, fratres charissimi, consueuit pati, melius scit compati. Vnde Dido in Poëta, *Non ignara mali miseris succurrere disco* Quia igitur pius & misericors Dominus descendit & condescendit infirmitatibus omnium, *sequutæ sunt eum turbæ multæ*. Quæ? Rudes, egeni, peccatores & infirmi. Quare? quia rudes erudiebat, egenos pascebat, peccatores absoluebat, infirmos curabat. Non enim obiurgabat, non irridebat rudes, nec eis altiora secreta, vt quidam superbi magistri solent intonabat: sed eorū compatiens simplicitati, simplicibus verbis erudiebat eos: Et discipulos perfectiores, in perfectiori doctrina in monti-

bus

bus edocebat. Quem nos sequentes charissimi, discamus secundū capacitatem singulorū, doctrinam Dominicam dispensare. Vnde Apostolus: Sapientiam, inquit, loquimur inter perfectos. Vobis autem lac potum dedi, non escam. Prima enim (iuxta Philosophum) pars sapientiæ est, æstimare personam cui loquaris. Rursus non abhorrebat, non subsannabat egenos, sicut quidam diuites superbi solent: sed potius condescendens eis, euangelizabat & fouebat eos: de quibus ipse ait: Nolite prohibere paruulos venire ad me, talium est enim Regnū cœlorum. Nos quoque fratres eius exemplo discamus condescendere & compati pauperibus, secundum illud Sapientis: Fili non auertas oculos tuos à paupere. Et alibi: Congregationi pauperum affabilem te facito. Rursus nō abhorrebat, nō exufflabat peccatores, sicut quidā superbi iusti solent: De quibus Salomon dicit: Est iustus qui perit in iustitia sua. Et sicut superbus Pharisæus de Christo suscipienti Magdalenam ait: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est: Sed potius eis compatiens, veniam per misericordiā donabat, vt mulieri in adulterio deprehensæ, cui ait: Vade & amplius noli peccare. Nos quoq; fratres non prætereamus, nec ad desperationem moueamus peccatores, sed sicut Samaritanus vinum oleo, & increpationi lenitatem admiscentes, timentes simul & sperantes ad salutem trahamus: Iuxta illud Apostoli: Si præoccupatus, inquit, fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Rursus infirmos non abhorrebat, sicut quidam crudeles solent, qui infirmorum halitum, lectum, & contactum abhorrent? Sed potius eis cōpatiens, palpabat eos, & curabat, sicut in hac lectione demonstratur: Hinc discamus & nos fratres mei, compati infirmis, assiduè ministrare, vt mereamur ab ipso audire, infirmus fui, & visitastis me. Cùm autem hæc compassio cuilibet sit necessaria, maximè necessaria est Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & Patribus familiâs. Nisi enim condescendant sibi subditis, illi non diligunt, nec sequuntur eos. Vide enim nonnullos Abbates & Priores,

1. Cor. 2. 1. Cor. 3.

Mat. 19.

Eccle. 4.

Eccle. 7.

Luc. 7.

Mat. 8.

Gal. 6. Onera fratrum portanda.

Mat. 25.

qui quamuis in se essent satis Religiosi, tamen quia infirmitati singulorū nesciebant condescēdere, sed parcitatem & austeritatē suam eis indiscretè disponebāt, gregē suum dissipasse & fugasse. Nō enim sic est faciendū charissimi:

1. Cor. 7. Non enim omnia possumus omnes, & habemus donum à Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Propterea prælatus omnium infirmitati condescendat: fiat infirmis infirmus: gaudeat cum gaudentibus, fleat cum flentibus: sit omnia

2. Cor. 11. omnibus, sicut Apostolus ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur accessus Leprosi ad Iesum, cùm subditur: *Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicēs.* Quia enim nouerat Iesum omniū infirmitatibus condescendere, inde ausus est ad eum accedere. Accessit ad eū, sicut pede, ita humilitate & fide. Humulitate ad eum accessit, quādo eum sola voluntate omnia posse credidit, & confessus est dicens: *Domine, si vis, potes me mundare.* Ac si diceret: Domine sum quidē vilis & indignus quem tu tangas & sanes, sed tu non ex meritis meis, sed ex sola tua volūtate & gratia, potes me mūdare. Huius leprosi exemplo, nos quoq; fratres mei, qui lepra turpiū criminū respersi sumus, humiliemus nos in conspectu Dei, & dicamus: Nos quidē indigni sumus, sed tu solus ex tua voluntate & gratia nos potes curare.

Sequitur pars tertia, in qua curatur leprosus cùm ei à Domino dicitur: *Volo, mundare.* Vbi fratres mei ineffabilia diuinæ misericordiæ viscera pēsanda sunt, qui leprosum, quem homines abhorrebant, venientem expectat, adorantem sustinet, loquētem audit, quod postulat, imò plusquàm postulet, facit. Cùm enim leprosus dixisset: *Domine, si vis, potes me mundare.* Dominus nō tantū voluit & mundauit sed etiam tetigit. Quamobrem? Ob humilitatis compassionem, ob legis intelligentiam, ob mysterij significationem: ob humilitatis compassionem, vt infirmos non abhorrere, sed compati eis nos doceret: ob legis intelligentiam, vt per lepræ & mortui contactum in lege prohibitum, non ipsum leprosum & mortuum, sed mortalis peccati consensum, per illam significatum, fugiendum esse demōstraret. O mysterij significationem, vt malorum

lorum peccatorum lepram, indigere opere satisfactionis significaret. Veniales autem culpæ, sine operis satisfactione, sæpè dimittuntur. At lepra maioris criminis indiget manu satisfactionis.

Sequitur pars quarta, cùm dicitur: *Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* In hoc autem fratres chariſſimi, quòd præcepit Dominus curato leproſo, hoc miraculum ſilere, inſtruit nos, vt in bonis quæ facimus, non hominum, ſed ſolius Dei laudes quæramus. In hoc verò quod ille miraculum publicat, demonſtratur, quòd Dominus ſanctorũ virtutes non vult latere, ſed eis inuitis ad vtilitatem aliorum manifeſtat: iuxta quod ipſe ait. Nemo accendit lucernam, & in abſcõdito ponit, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Præcipit verò eum oſtendere ſe ſacerdoti, vt nemo de ſua pœnitentia confidat, ſed ad arbitrium ſacerdotis ſatisfaciat. Et propter inobedientiam & contemptum lepram criminis redituram timeat, niſi ſacerdoti per confeſſionem ſe oſtendat. Præcipit etiam offerre munus, vt legem ſe non ſoluere oſtendat, vt mundatum à peccato Deo agere grates edoceat, vt oblationes ſacerdotibus faciendas demonſtret, vt eis in teſtimoniũ fiat, vel fidei ſi credant, vel damnationis ſi non credant. *Cùm autem intraſſet Capharnaũ, &c.* In hoc ſecũdo capitulo fratres chariſſimi, primò conſiderandæ ſunt virtutes huius Centurionis, deinde circa eum opera Chriſti. Fuit enim hic Centurio, quatuor magnis virtutibus inſignis & nobis imitabilis. Habuit quippe miſericordiam, fidem, humilitatem & ſapientiam. Miſericordiam, qua infirmitati ſui ſerui compatitur, dum per ſeniores Iudæorum, vt alius Euangeliſta teſtatur, Dominum rogat: & vt Dominum magis ad miſericordiam commoueat, dolorem ſerui miſerabiliter exaggerat. In tribus enim eum miſerabilem demonſtrat: quòd iacet, quòd Paralyticus, quòd malè torquetur. Sicut enim iacere eſt requies ſano, ita eſt tormentum infirmo. Paralyticus, id eſt officio membrorum diſſolutus. Paralyſis enim diſſolutio interpretatur. Et quia ſic poſſent arida membra eſſe quòd ea non dolerent, ait: *Et malè torquetur.* Huius

In bonis quæ facimus Dei laudes quærẽdæ.

Lucæ. 11.

Pietas habenda in seruos.

exemplo fratres charissimi, discamus pietatem habere in seruos nostros, non eos spernere, non eos durè tractare, non infirmos statim expellere, sicut quidam superbi solent, sed diligamus eos tanquã homines & fratres, necessaria eis administremus, meritum reddamus, infirmis cõdescendamus: sufficiat nobis, quod Deo sufficit, si ab eis colimur & amamur. Cogitemus etiam nos & eos habere vnum Dominũ Deum. Et si cogitamus eos seruos hominum, cogitemus ne fortè nos, quod grauius est, simus serui peccatorum. Ne contemnamus quod non contempsit Iob, subire cum seruo nostro & ancilla nostra iudicium. Fidem fratres, habuit Centurio, qui Christum potentem dare solo verbo sanitatem credidit: credens etiam quod sicut ipse suis militibus imperabat, & per eos voluntatem suam implebat: ita Dominus poterat angelis imperare, & per eos, quod vellet, facere: Dicere ægritudini vt recedat, & recederet: & sanitati vt veniat, & veniret. Et quia sic credidit, à Domino meruit laudari, & quod postulauerat, impetrare. Discamus & nos fratres charissimi, habere

Mar. 9.

fidei feruorem, quoniã ipse Dominus ait: Omnia possibilia sunt credenti. Humilitatem magnam habuit, quoniam indignum se reputauit, quòd ad eũ accederet, quòd per se eum rogaret, quòd in suam domum Dominus intraret. Cùm enim Gentilis esset, non per se, sed per seniores Dominum rogauerat. Hoc exemplo discamus & nos fratres, de nobis humiliter sentire: in omnibus nos indignos iudicare, non esse dignos qui ore nostro polluto eum rogemus, sed per intercessionem Sanctorum eum ad nostri misericordiam inclinemus: Corpus & sanguinem suum, in fœdum hospitium corporis nostri reformidemus suscipere, non ideò quòd in fœditate manere velimus, sed vt magis mundi & digni esse desudemus. Ecce fratres & iste Centurio & Zachæus Dominum honorauerunt, sed diuerso modo. Zachæus eum lætè suscipiendo, iste se indignum reputando. Zachæum imitatur, qui Eucharistiam frequenter & lætè suscipit. Centurionem verò imitantur, qui se indignos reputando Eucharistiam suscipere metuunt & se retrahunt: Hinc Augustinus. Cotidianas, inquit missas celebrare, nec laudo nec vitupero,

id est

id est nec laudo indignis, nec vitupero dignis. Sapientiam magnam verò habuit, quia quem per humanitatem in vno loco videbat esse, intelligebat nulli locorum per diuinitatem deesse. Huius exemplo credamus fratres charissimi, Christum ita per humanitatem esse in cœlis, quod per diuinitatem adest omnibus locis. Cõsideremus econtrario fratres charissimi in Christo quatuor, dignationem fidei, Centurionis commendationem, Prophetiam de electione Gentium, & reprobatione Iudæorum: petitionis exauditionem. Magna dignatio Christi fuit, quando respondit: *Ego veniam & curabo eum.* Ad seruum fratres mei, non vocatus se iturum promittit: Ad filium verò regúli rogatus ire noluit. Vt quid hoc? Nisi vt nostram peruersitatem retundat, qui diuites honoramus & pauperes contemnimus. In honore hominum diuitias, non naturam: potentiam, non Dei imaginem attendentes. Euitemus ergo fratres, personarum acceptionem: & discamus honorare in hominibus naturam, non fortunam: virtutem, non potestatem. Fidem verò Centurionis laudat Dominus, quando admirans sequentibus se dixit: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Non autem in se miratur qui ei fidem illam dederat, sed cum in fide mirandum & imitandum demonstrat, qui sine lege & prophetia credit, cùm Israel per legem & Prophetas edoctus credere nolit. *Non inueni tantã fidem in Israel*, id est, in eis quibus tũc prædicabat. Inuenerat enim prius in Patriarchis, Prophetis, & Apostolis. Prophetabat autem de electione Gentium, & de reprobatione Iudæorum, cùm subiungit: *Dico autem vobis, quod multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob: Filij autem Regni eiicientur in tenebras exteriores.* Ecce fratres charissimi, hæc Prophetia hodie completa est. Nam electi ex Gẽtibus ex totõ orbe cùm moriuntur, ascendunt in cœlum, & glorificantur cum Patriarchis, quorum mores & fidem sequuti sunt. Iudæi verò in quibus Deus primò regnauit, & quibus promissio Regni facta fuerat, cùm moriuntur, mittuntur in tenebras exteriores, qui hic sponte incurrerunt tenebras interiores: *ibi erit fletus & stridor dentium.* Per fletum oculorum & stridorem dentium, indicatur

Honoranda in hominibus natura.

corporum vera resurrectio futura. Dentes stridٍent, qui hic de edacitate gaudebant. Oculi flent, qui illicita cupiebant. Lingua ardet, quæ detrahebat: & similiter cætera membra, secundum varietatem vitiorum incurrent varietatem pœnarum. Petitionem verò Centurionis perficit Christus, cùm dicit: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Fratres mei, magnum est meritum fidei, dum propter quod credidit Deum omnia posse, indicat eum meruisse, & pro mẽsura fidei facit ei. Vnde & subditur: *Et sanatus est puer in illa hora.* Probatur fides Domini, dum sequitur sanitas serui. In quo fratres, considerandum est quantum valeat vnicuique fides propria, cùm tantùm valeat aliena. Imitemur ergo virtutes istius Centurionis, & misericordiam, fidem, humilitatem, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

DOMINICA QVARTA
post Epiphaniam.

Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, & reliqua.* In hac lectione, fratres charissimi, tria facit Apostolus: Primò nos hortatur ad iustitiam: secundò ad dilectionem: tertiò, probat dilectionem esse legis impletionem. Exhortans igitur nos ad tenendam iustitiam, ait: *Nemini quicquam debeatis.* Est enim iustitiæ proprium, fratres mei, nemini quicquam debere, sed vnicuiq; quod suũ est, reddere: vt scilicet reddamus sicut ipse Apostolus ait superiùs, Cui honorẽ, honorẽ: cui tributũ, tributum: cui vectigal, vectigal. Hæc autẽ iustitia est cõseruatrix pacis, & societatis humanæ. Sicut econtrariò iniustitia non reddendi alicui sua, est dissipatrix pacis & cõcordiæ: vnde enim fratres mei, lis & discordia, vnde seditiones & cædes, nisi ex hoc quod vnus non facit alij quod debet. Propter hoc fratres, voluit Dominus in hoc mundo ordinari Iudices & Potestates, vt vnusquisq;, si nollet, cogeretur reddere alicui quod deberet. Qui autẽ per se iustus est, & sponte reddit vnicuique sua, Iudice non indiget, & Potestatẽ non timet. Vnde Apostolus: Vis non timere Potestatem? Bonũ fac, & habebis laudem ex illa. Si verò peccas, time: non enim sine causa gladium portat. Vos igitur fratres, vt me-

Iustitiæ propriũ.

Iustitia cõseruatrix pacis.

Rom. 13.

mereamini ab æterno & summo Iudice laudem, spontaneam iustitiã tenere: Reddite sua vnicuique. Reddite Deo quam ei debetis religionẽ: Ecclesię cultum, vobismetipsis munditiam. Maioribus reuerẽtiam, minoribus dignationem, æqualibus societatem, parẽtibus honorem, filiis disciplinam, familiaribus prouidentiam, indigentibus pietatem, amicis dilectionem, inimicis patientiam, omnibus æquitatem. Sic enim iustè apud Deum & homines viuetis, nemini quicquam debentes. *Quopacto iustè viuendum.*

Sequitur pars secunda, in qua hortatur nos ad dilectionem, sicut subiungit: *Nisi vt inuicem diligatis*: ac si diceret, Reddite vnicuique sua, vt nulli aliquid debeatis, nisi solam dilectionem. Hoc ideò fratres mei, dicit Apostolus, quia cùm cætera reddita non debeantur, dilectio semper redditur & semper debetur. Sic enim necessarium bonum est, quod in omni tempore sit necessarium eam habere, & ad omnes in omnibus. In omni tempore, quia sicut animal sine anhelitu nec dormiens, nec vigilans, viuere potest, & eo intercepto, moritur. Sic anima sine amore Dei & proximi, viuere non potest, & ea amissa moritur. Semper ergo fratres, diligere debemus, & si non semper opera dilectionis habere valemus: ad omnes quoque dilectionem habere debemus, ad Deum, ad nos, ad proximos, tam amicos quàm inimicos. Et si ad aliquẽ dilectionem non obseruamus, frustrà eam ad alios obseruamus: In omnibus etiam operibus eam habere debemus, quia sicut opus sine intentione Deo placere non potest, ita nec sine dilectione. Bonum quidem est opus fratres charissimi, dare eleemosynam, honorare parentes, diligere filios, frequentare Ecclesiam, credere Deum, prædicare Euangelium: & tamẽ nullum horum sine dilectione Dei & proximi valere potest. Vnde Apostolus, Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero omnem fidem & omnem scientiam: & si distribuero facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, nihil mihi prodest. Et econtrariò, fratres, vera dilectio cum modico opere, vel etiam sine opere non habenti facultatem, sufficit *Dilectio necessariũ bonum.* *Semper diligendũ.* 1. Cor. 13.

ad vitam æternam. Non enim pensat Deus quantum, sed ex quanta dilectione tribuatur. Hinc est quod vidua offe-
Luc. 21. rens duo minuta, præfertur diuitibus qui magna dona contulerant.

Sequitur pars tertia, in qua probat Apostolus, quod vera dilectio est legis impletio, cùm subditur: *Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Quod vt fratres melius intelligamus, videamus quid sit dilectio. Et quomodo dilectio Dei & proximi connexæ sint, & quomodo per di-
Charitas quid. lectionem Dei lex impleatur. Est ergo charitas dilectio, qua diligimus Deum propter se, & proximum propter Deum. Vna est ergo dilectio, sed duo mandata. Vnus est enim Deus, scilicet quem diligimus, vel in seipso, vel in
Quomodo diligendus proximus. proximo. Qui enim in proximo aliud quàm Deũ, vel ob aliud quàm propter Deũ eum diligit, nõ verè eũ diligit. Diligamus ergo proximũ, quia bonus est vel esse potest,
Dilectio Dei & proximi cõiunctæ. quia opus Dei est, quia Deus iubet eũ diligi. Sunt autẽ dilectio Dei & proximi sic cõiunctæ, quod Deus nõ potest verè diligi sine proximo, nec proximus sine Deo. Vnde
1. Ioan. 4. Ioannes: Qui non diligit proximum suum quem videt, Deum quem non videt quomodo diligere potest? Qui verò Deum non diligit, nec se nec alium verè diligit. Cũ ergo dicit Apostolus dilectionem proximi, intellige simul dilectionem Dei, cùm altera sine altera vera esse non
possit. Per dilectionem ergo Dei & proximi, lex impletur, id est decem mandata legis, quorum prima quatuor pertinent ad Deum: reliqua sex ad proximum. Primum
Exod. 20. Deut. 5. est: Audi Israel, vnus est Deus tuus. Si vnus est, fratres, ergo mentitur insipiens qui dixit in corde suo, non est Deus. Si vnus est, mentitur Gentilis qui dicit plures esse. Si vnus est, semper mentitur hæreticus, qui eum variabilem asserit: est enim vnus solus, indiuisus, inuariabilis. Secundum est: Non facies tibi sculptile, id est nec opinione, nec amore, aliquid Deo præferes. Tertium est, nõ accipies nomẽ Dei tui in vanum, id est in contemptum. Quod facit qui ad testimonium vanitatis vel falsitatis, vel fraudis, illud inducit. Quartum est: Memento sanctificari diem Sabbathi. Hoc Iudæus obseruauit legaliter, nunc verò nos spiritualiter obseruamus, cum per totum

Sabba-

sabbatum huius vitæ, à seruili opere, id est, peccato, feriamur, vt in futuro ab omni labore sabbatizemus. Quintũ est, Honora patrem tuum & matrem tuam, quod de honore tam deferendi, quàm benefaciendi intelligẽdum est. Sextum est, Non occides: nec voluntate, vt qui odit fratrem suum: nec opere, vt vir sanguinum: nec mala doctrina, vt hæreticus: nec malo exemplo, vt prædicator malè viuens: nec subtractione temporalium bonorum, vt auarus: nec subtractione prædicationis, vt prædicator occultans talentum. Septimum est, Non mœchaberis, nec spiritu per idololatriam: nec corpore per fornicationem, adulterium, mœchiam, incestũ, Sodomiticam libidinem, & immunditiam. Octauum est, Non furtum facies: in quo damnantur latrocinium, rapina, vsura & dolus. Nonum est, Non falsum testimonium dices: in quo prohibetur omne mendacium, periurium, detractio, susurratio, adulatio. Decimũ est, Non concupisces, id est, concupiscentiam refrenabis: & si moueatur, non consentiet, nec adimplebis. Hæc sunt fratres charissimi, decem mandata quæ per dilectionẽ adimplẽtur: quia qui verè Deum diligit, omnibus mandatis eius obedit: Et qui proximum diligit, non eum occidit, non eius vxorem mœchatus est, non eius res furatur, non ei mentitur, nec cætera mandata, quę de proximo sunt, transgreditur. Sine verò dilectione vera, impleri non possunt. Nam siue honores patrem, siue non occidas, siue nõ mœcheris, siue quod aliud mandatum facias, si sine charitate facis, nihil præmij mereris. Charitas enim est latum mandatum Domini, in quo tota lex consummatur. De quo Propheta, Omnis consummationis vidi finem, latum mandatũ tuum nimis. Est autem charitas latum mandatum, quia extenditur ab amicis vsq; ad inimicos, & quia etiam dilatat nos ad currẽdum, & ad implendum legem Dei. Cùm etiam via Dei insipientibus sit grauis & ardua, tamen quia amanti nihil est difficile, ei sit facilis & lata: iuxta illud, Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meũ. Vos itaq; fratres, si totam legem, si totum Euangelium scire non potestis, saltem tenete charitatem. Quia ille tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatẽ tenet in moribus.

Psal. 118. Charitas latũ mandatum.

Psal. 118.

Dilectio quid doceat.

Dilectio enim vos docebit reddere quod debetis Deo, quod proximo, quod amico, quod inimico. Et si in aliquo minus sapitis, illud charitas excusabit, & quicquid facitis, Deo placere faciet: ipso largiente, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum.

DOMINICA IIII. POST EPIphaniam Domini.

Mat. 8.

Ascendente Iesu in naviculã, sequuti sunt eum discipuli eius, & reliq. Hæc lectio fratres charissimi, iuxta literam instruit nos de fide mediatoris Dei & hominum Iesu Christi. Ostendit eam in eo veram diuinitatem & humanitatem esse. Quod enim vehiculo nauis cum cæteris hominibus vehitur, & quod dormit, humanitatis est. Quòd verò tempestatem sedet, & mari imperat, diuinitatis est. Iuxta verò mysticum sensum, Mare præsens seculum est, quoniam ad modum maris fœtet & tumet, falsum, & instabile est: fœtet per luxuriam, tumet per superbiam. Salsum est per amaritudinem, instabile est per vanitatẽ. Et sicut in mari maiores pisces glutiũt minores, sic in hoc seculo fortiores deuorant debiliores. Nauis est Ecclesia, in qua transnatamus tempestates huius seculi, ac tendimus ad portum patriæ cœlestis: in qua quisquis non est, non perueniet ad portũ salutis, sed demergetur in abyssum. In hac Christum sequentes nauigant & transeunt, & Christus cum eis, quia ipse ait: Vbicunque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego sum in medio eorum. Et alibi: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Motus magnus maris, tribulatio & persequutio est huius mũdi. Ventus contrarius, malignus spiritus est. Sicut enim spiritus sanctus ducit nauem Ecclesiæ ad portum salutis: ita malignus spiritus conatur eam precipitare in naufragium perditionis. Nauicula operitur fluctibus, quando Ecclesia in persequutionibus & tempestatibus penè periclitatur. Ostenduntur ergo hìc nobis quinq;. Primò ostenditur quod etiam illi qui sunt cum Christo, penè periclitantur. Secundò ostenditur quare hoc fiat. Tertiò, quomodo sit Dominus excitandus. Quartò quomodo Deus suos increpet & liberet. Quintò quomodo liberatori sint gratiæ referẽdæ.

Mare præsens seculũ notat.

Nauis ecclesiam signat.

Mat. 18.

Mat. 28.

Osten-

Ostenditur igitur quod Ecclesia in qua Christus est cum fidelibus suis, penè periclitatur, cùm dicitur, quod *Naucula operiebatur fluctibus*. Vult enim fratres mei, Christus quod sui per tribulationes transeāt per quas ipse transiit. Vnde ipse ait: Qui mihi ministrat, me sequatur. Et Apostolus: Omnes qui piè volūt viuere in Christo, persequutiones patiētur. Et hoc fratres mei, contra illos est qui per mollitiem, & per prosperitatem huius seculi volunt tendere ad præmiū regni, cùm duri & laboriosi milites, non molles & effœminati, coronantur. Secundo vero subditur causa, quare tribulationes sanctis eueniant, cùm subditur: *Ipse verò dormiebat*. Ideo Ecclesia patitur, quia Christus dormit. Sed quomodo fratres, dormit, cùm de eo scriptū sit, Non dormitat, neq; dormiet qui custodit Israel. Fratres, dormitio Christi, dissimulatio est auxilij. Tunc Christus in Ecclesia vigilat, cùm eam liberat: tunc dicitur dormire, quando differt liberare. Vnde Propheta in tribulatione positus, ad eum clamat: Exurge, quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem. Et quare fratres, Christus Ecclesiam suam differt liberare? Quia nouit tribulationem ei vtilem esse. Reddit enim tribulatio iustum emendatiorem, humiliorem, clariorem, cautiorem, fortiorem, terrestrium contemptorē, & cœlestiū desideratorem. Emendatiorē reddit, quia peccatorū maculas abluit. Vnde Dominus per Prophetam: Excoquam ad purū scoriam tuam: Quod apparet in Maria sorore Mosi, quę quia peccauerat murmurando in fratrem, punita, & abluta est per leprę passionem. Humiliorem reddit, quia eum per prosperitatem superbire non sinit. Sicut enim prosperitas solet esse causa elationis, ita aduersitas humilitatis. Vnde Paulus: Ne, inquit, magnitudo reuelationū extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet. Clariorem reddit, quoniam quantò plus iustus impugnatur, clarior efficitur: quod apparet in Iob & in Sanctis Martyribus. Cautiorē reddit, quoniā quanto plus infestatur, vigilantior efficitur: Sicut enim prosperitas parit securitatē, securitas contemptum, ita aduersitas generat timorē: timor vigilantiam. Vnde Petrus, Vigilate, inquit, in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tan-

Ioan.12.
2.Tim.3.
Dormitio Christi, dissimulatio auxilij.
Psal.43.
Esa.1.
1.Cor.12.
1.Pet.4.

tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Fortiorem reddit: quia quantò plus oppugnatur, ad resistendū exercitatior & durior efficitur. Non enim Athleta potest ad certamen magnos spiritus afferre, qui nunquā sugillatus, nunquam percussus est. Et fortior est arbor quæ agitatur à ventis in mōte, quàm quæ crescit in aprica valle. Sic fortior est qui in aduersitate nutritus est, quàm qui in prosperitate. Vasa enim figuli probat fornax, & iustos tribulatio. Terrestriū contemptorē & cœlestiū appetitorem reddit: quia qui nō habet in terrenis quo delectetur, facilius ad amorē cœlestiū inflāmatur. Hinc est quod Propheta sciens tribulationē iustis esse tam vtilē clamat: Domine, ne derelinquas me vsquequaq;. Aliquo modo se derelinqui sibi vtile esse videbatur, qui ne vsquequaq; derelinqueretur, rogabat. Idem: Da mihi, inquit, auxiliū de tribulatione. Non ait, à tribulatione, quia non rogat à se tribulationē auferri, sed de tribulatione auxiliū prouenire sibi. Hoc præuidens Dominus quasi dormitat, dum eos liberare prolongat. Tertiò ostēditur quomodo Dominus sit suscitandus, cùm subditur: *Et accesserunt, & suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos, perimus.* Nos quoq; fratres, cùm tentamur & tribulamur, accedamus ad Christum, fide per dilectionē operāte, suscitemus eum clamore precū. De sapiētia, de viribus, de diuitiis nostris, de auxilio hominū nō cōfidamus, quoniā scriptū est: Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Et maledictus qui confidit in homine, sed de solo Deo, qui nō derelinquit sperantes in se: quoniā qui cōfidūnt in Domino, sunt sicut mōs Sion. Clamemus igitur ad eum suspiriis, gemitibus, lachrymis, & precibus eum ad miserendū excitemus. Dicamus, Perimus in nobis: sed tu qui solus potes, salua nos. Si enim fratres, hęc quatuor habuerimus, fidem veram, precem mundam, diffidentiā de nobis, in eo solo salutis fiducia: ipse qui dixit, Clamabitis, & ego exaudiam vos, exaudiet. Quoniam vt ait Apostolus, Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere: & erit adiutor in oportunitatibus in tribulatione. Vnde subditur: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Est autem hæc pars quar-

Psal. 118.
Psal. 59.
Prou. 11.
Hiere. 17.
Psal. 124.
Hiere. 29.
1. Cor. 10.

quarta, in qua ostēditur quomodo Deus filios suos de modicitate fidei & timore increpat, & eos liberat. Fortè fratres mei, sæpè nos maioribus & longioribus tribulationibus Deus nos probaret, vt magis mereremur, sed quia ex modicitate fidei timemus, eū quasi ante tēpus surgere cogimus, & nos liberare. Quod benè fratres ostenditur per Petrum ambulantē super aquas, qui certè iturus esset ad Iesum, nisi timeret & dubitaret. Sed quia ventū validū veniētem timuit, cœpit mergi. Et ita quodammodo coēgit Dominū sibi ante tempus extēdere manum. Super aquas enim ad Iesum ambulamus, quando tribulationes & tentationes huius mundi contemnentes & calcantes, ad eum festinamus: Ad quē, si perseueraremus, cum maiori corona venturi eramus. Sed si ad validam tribulationem dubitamus & timemus, incipimus mergi, & Iesum manum auxilij nobis ante tempus porrigere concitamus. Propter hoc fratres mei, nos Deus increpat, & de modicitate fidei & de timore ex ea proueniente. Minus enim fidei, & nimium timoris inordinati habet, qui Domino prēsente timet: qui timet quòd Deus sperantes in se deserat: qui obliuiscitur, quòd non obliuiscitur misereri Deus. Quia tamen & si nos minus Deo fideles sumus, Deus tamē semper fidelis nobis erit. Surgit qui dormire se simulat, imperat ventis & mari, id est, malignis spiritibus & tribulationi, & fit tranquillitas magna in mente, in vita, in conuersatione. Itaq; fratres mei, quia diabolus & omnis tribulatio, & omnis pax in manu Dei est, non oportet nos timere diabolum vel mundū, nisi solum Deum, quia iuxta Sapientē: Qui timet Deum, omnia timēt eum. Et qui non timet Deum, timet omnia. Quintò ostenditur quomodo Christo liberatori sint gratiæ referendæ, cùm subditur: *Porrò homines mirati sunt, dicētes: Quis est hic? quia ventus & mare obediunt ei?* Qui liberatus non agit gratias liberatori, mereretur de cętero non liberari. Hinc Hebræi post liberationem, Deo canticum cantabant: Vt Moses post submersionem Pharaonis: Delbora post occisionem Sisaræ: Iudith post interfectionē Holofernis. Hinc dicunt Ezechiam infirmitatē incurrisse, quia de incredibili victoria, Deo gratias non egerat. Nouem quoq; leprosi à Do-

Mat. 14.

Super aquas ad Iesum ambulare quid.

Exo. 15.

Iudith. 13.

Luc. 17.

à Domino curati reprobantur, quia ad agendum gratias non redierunt. Nos ergo Christo liberatori nostro, non simus ingrati, sed eius potentiam & benignitatem admirantes, laudantes & benedicentes dicamus, quis, quantus, quam gloriosus, quàm admirabilis est hic, quia spiritus maligni & tribulationes obediunt ei. Et ita post naufragium carmen psalmodiarum cantantes, gratias agamus Christo liberatori nostro, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

1. Cor. 9. *Stadium quid. Brauium quid. Ioan. 8. 1. Pet. 2.*

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, &c. Stadium est spatium vitæ præsentis: Brauium est præmiũ æternæ beatitudinis. Via, fides. Christus dux. Vnde ipse ait, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. Ipse enim vobis reliquit exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui enim cum eo vult manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Incitamenta verò eundi hanc viam, sunt spes, & amor cœlestis brauij. Itaq; fratres charissimi, per stadium vitæ præsentis omnes currimus, quia sine intermissione omnes ad mortem festinamus. Sed tamen non omnes ad cœlestis vitæ brauium tendimus: quidam etiam non esse alteram vitam putant: Omnes igitur qui fidem non habent, vt Iudæus, Gentilis, & solo nomine Christianus, qui de illa vita dubitant, extra viam sunt. Quòd si aliquando aliqua bona opera ex naturali pietate faciunt, non plus eis valet quàm celerrimus cursus extra viam: Non enim vadunt, sed errant. Illorum verò qui in via fidei sunt, alij currunt velociter, alij tardè alij retrogradè. Velociter currunt, qui abiectis omnibus impedimentis cum toto desiderio ad cœlestia tendunt.

1. Cor. 9. 2. Tim. 2. Vnde & à Paulo dicitur, Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et alibi: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Quid enim sunt diuitiæ, honores, gloria, voluptates, & cætera secularia negotia, nisi quædam animæ impedimenta? Hæc impedimenta monebat abiicere redemptor noster, cùm dicebat: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Hæc fecerunt sancti

Mat. 19.

Apo-

Apostoli & Euangelistæ, Martyres, & Eremitæ, qui omnia relinquentes & erogantes pauperibus, nudi nudum Christū sunt sequuti. Qui benè significantur per Ioseph cuius cùm impudica mulier per lasciuiam pallium teneret, & eum turpiter agere cogere vellet, relinquēs pallium fugit. Benè quoque designantur per discipulum, qui in Christi passione tentus, reiecta syndone nudus euasit. Qui enim propter euitandam luxuriam & malitiā mūdi, omnia deserit, quasi reiecto pallio vel syndone, nudus fugit. Isti fratres mei, quia velocius currunt, cùm ad finem stadij, id est, ad mortem perueniunt, statim accipiunt, non solùm brauium, sed etiam potestatem cæteros iudicandi. Sic enim promisit eis Dominus, dicens: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Et sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Tardè verò currunt illi, quos cura vxorum, filiorum, familiariū & mundanorum negotiorum, ab appetitu paternæ patriæ retardat, nec tamen eos omninò retardat. Tendunt quippè mente, prece & opere ad cœleste brauium, sed propter curas & affectus carnales, tardiusculi sunt. Ita enim quærunt ea quæ sunt Dei, vt etiam necesse sit, eos quærere ea quę sunt seculi: & vt ait Apostolus, diuisi sunt, cùm amorem cœlestium, temporalibus præponunt. Quos benè fratres mei, illæ vaccæ significant, quæ de terra Philistinorum arcam Domini ad terram Israël portauerunt. Quæ fœtę fuisse memorantur, quare vitulos domi recluserunt: Scriptum est enim, Ibant in directum vaccæ per viā quæ ducit Betsamis. Vno itinere gradiebantur, pergentes & mugientes, nec declinabant ad dexterā, nec ad sinistram. Quid fratres mei, quid vaccæ istæ significant, nisi fideles, qui arcam mandatorum Dei semper portant? Qui quamuis carnalibus affectibus reuocentur & retardentur, tamen à recto itinere Betsamis, id est, domus Solis, non declinant. Vos igitur matres & patresfamiliâs, si ad habitationem veri Solis tēditis, propter affectus carnales à recto itinere non declinetis. Sed sicut vaccæ pergunt & gemunt, sic & vos ita compatiamini proximis, vt tamē propter hoc à via recta nō exorbitetis. Porrò isti qui propter

Mat. 19.

Luc. 22.

1. Reg. 6.

curas

curas & carnales affectus à via Dei aliquantulum retardantur, quando ad metam stadij, id est ad mortē veniunt, plerunq; non statim brauium accipiunt, sed de maculis, quas ex curis & affectibus carnalibus contraxerunt, in igne Purgatorio purgantur, & sic tandem brauium consequuntur. Retrogradè autem currunt, qui & si in via Dei sunt per fidem, tamen ad mundana desideria redeunt per concupiscentiam. Hi sunt qui affectus vxorum, liberorum, diuitiarum, honorum, & voluptatum, Deo præponunt, nec quæ Dei, sed quę mundi sunt, toto desiderio requirunt. & iuxta Apostolum, Confitētur se nósse Deum, factis autem negant. Qui benè significantur per filios Israël, quos cùm Dominus de seruitute Pharaonis per transitum maris rubri eduxisset, & eos per desertū sustentans manna, ad terram promissionis duceret, fastidientes manna, & terram promissionis obliuioni dantes, reuertebantur in Aegyptum corde, dicētes: Reuertamur ad Aegyptum, ad ollas carnium, ad pepones & allia. Nónne id ipsum faciunt hodie illi falsi Christiani, qui postquam per Christum à seruitute diaboli, & amore mundi liberati, per baptismum ei abrenuntiauerunt, & pane cœli sustentati: per religiosæ vitæ desertum ad cœlestem patriam festinare cœperunt, rursus desiderio redeunt ad amorem & seruitutem diaboli. Quid enim per ollas carnium, nisi fortis consuetudo ingluuiei? Quid per pepones, nisi dulcedo secularis? Et quid per allia, quæ calēt & fœtent, nisi luxuria denotatur? Quid verò est fratres charissimi, quod ex olla carnium fumus, & ex peponibus & alliis, credo, & fletus oculorum procreatur, nisi quod ingluuies, dulcedo, & luxuria secularis, suos amatores ad gehennæ fletus trahunt, & etiam hic cæcitatē mentis & tristitiam pariunt? Tunc enim, vt Dominus ait, amatores talium mittentur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium: & iuxta Salomonem, Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit. Itaq; fratres charissimi, post abrenuntiationem in baptismo factam, non item redeatis ad seruitutē diaboli, & ad amorē sęculi: quia nemo mittēs manū ad aratrū, & respiciēs retro, aptus est regno Dei. Sed obliuiscentes ea quę retro sunt, ad anteriora vos exten-

Purgatorium.

Exo. 14. & 16.

Num. 11.

Falsi Christiani.

Mat. 8.

Prou. 14.

Luc. 6.

extendite. Militia est vita hominis super terram, & non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Ecce omnes quidem currunt, sed vnus ille scilicet solus, qui bene curret, accipiet brauium. *Sic ergo currite, vt comprehendatis.* Et si illi qui ad temporale brauium sic se expediunt, vt corruptibilem coronam accipiant, quid nos fratres, quid facere debemus, qui ad incorruptam festinamus? Ergo fratres, si non curritis ita expeditè, vt contemplatiui, & illi qui omnia propter Deum dereliquerunt, saltem currite cum aliis qui possident tanquam non possidentes, qui nubunt tanquam non nubentes, qui gaudent tanquam non gaudentes: qui per temporalia sciunt emere cœlestia. Quia si tardiusculi estis, orate Dominum qui exultauit vt gigas ad currendam viam, & dicite ei: Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Quod ipse facere dignetur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen. *Iob 7. 2. Tim. 2.*

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Simile est regnū cœlorum homini patrifamiliàs, qui exiit primò mane cōducere operarios in vineam suam, & reliqua In hac parabola fratres charissimi, ostendit Dominus quantam curam, quantam, vt ita dixerim, sollicitudinem, ipse habet super genus humanum. In quo confutantur illi, qui dicunt Deum res humanas non curare. Ostendit hic quippè Dominus, quod sicut aliquis paterfamiliàs sollicite prouidet vineæ, ne nimis indurescat, ne inherbetur, ne amittat tempus putationis & reputationis suæ. Ita ipse est à principio, vt ita loquar, curiosus super Ecclesiam suā, ne nimis indurescat, ne vitiis occupetur, ne amittat curam prædicationis & commonitionis. Pater igitur familias, Deus intelligitur: Vinea, Ecclesia: Operarij, prædicatores, siue quilibet fideles, qui sua vel aliorū corda colunt, vt Deo fructificare possint. Horæ, ætates diuersæ. Mane enim est quasi pueritia: hora tertia, iuuētus: sexta, virilis ætas: nona, senectus: vndecima hora, decrepita ætas: Denarius, præmium beatitudinis. Conuentio fit ex denario diurno, quando promissio fit benè laborantibus de beatitudinis præmio. Sunt autem fratres mei, huius lectionis partes quinq;. Primò enim fit missio operariorum *Mat. 20.*

rariorum in vineam: secundò fit in sero remuneratio: tertiò fit à primis murmuratio: quartò fit à patrefamilias eis responsio: quintò ponitur conclusio: Igitur missio operariorum primò fit, cùm dicitur: *Conuentione autem facta ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* In quo fratres mei, pensandū est quod illis qui manè mittuntur, fit ex denario diurno. Illis verò qui mittuntur hora tertia vel sexta, vel nona, nō promittitur denarius, sed tantū eis dicitur: *Quod iustum fuerit, dabo vobis.* Illis autē qui undecima hora mittūtur, nihil promittitur, sed increpātur, & in vineā mittuntur, cùm eis dicitur: *Vt quid statis tota die otiosi? Ite & vos in vineā meam.* Et quare hoc fratres mei? quia illi qui tota vita sua in opere Dei desudāt, iuxta humanæ rationis iudiciū, integræ beatitudinis denarium promeruisse videntur. Qui verò partē vitæ suæ, in otio & vitio expēdunt, & partem in Dei seruitio, non vsquequaque integrū beatitudinis denarium videntur promeruisse. Qui autem in finem benè operari incipiunt, vel nihil promeruisse videntur vel parum. Et revera fratres, si quis totam vitam suam in bono consumat, dignior est eo qui in media vita, vel in fine benè operari inchoat: si fuerint ambo in eodem gradu charitatis & laboris. Sed sæpè fratres, contingit, vt qui tardius exierunt, priores velociori cursu præueniant. Quia, sicut Hieronymus ait, subitus feruor, longum vincit teporem. Priores quippè sæpè ex longo labore lacescunt, & ex securitate spei tepescunt: & ex meritorum magnitudine se tardioribus præponunt. Cùm econtrà posteriores multotiens ex sera conuersione fiant velociores, & ex timore fiant feruentiores, & ex breui operatione sibi vilescant, & omnes sibi præponāt: & ideò
Luc. 18. sicut Publicanus descendunt iustificati ab illis.

Sequitur pars secunda, in qua fit remuneratio, cùm subditur: *Cùm serò autem factū esset, dixit Dominus vineæ suæ procuratori: Voca operarios, & redde illis mercedem suam: incipiens à nouissimis vsq; ad primos, &c.* Per serò fratres charissimi, finis mundi significatur: quando scilicet finitis laboribus, Deus pater præcipit vineæ procuratori & redemptori, Domino scilicet nostro Iesu Christo, vt vocet operarios ad iudiciū, & reddat illis mercedē suam. Quid

est

est hoc quod ait, *Incipiens à nouissimis vsque ad primos*, præsertim cùm iudicium & retributio sit perficienda, non vni post alium, sed potius, vt ait Apostolus, in ictu oculi? Prioritas & posterioritas ista, fratres, non ad tempus, sed ad præmium referenda est. Omnes enim electi in eodem tempore, sed non eadem præmij mensura remunerandi sunt. Vnde Dominus: In domo, inquit, patris mei mãsiones multę sunt. Et Apostolus: Stella differt à stella in claritate. Alia est enim claritas Solis, altera claritas Lunæ, &c. Quamuis igitur electi singulos accipiant denarios, tamen hic accipiet clarum, ille clariorem, ille clarissimum. Redditio enim denarij, in quo imago & nomẽ Regis erat insculptum, nihil aliud est quàm reformatio in nobis imaginis & similitudinis Dei, quæ per peccata erant in nobis deformatæ. Sicut verò vnus denarius habet expressiorem in se imaginem & literaturam quàm alius: ita sanctior habebit in se expressiorem imaginem & similitudinem Dei quàm minus sanctus. Ergo remuneratio incipit à nouissimis vsque ad primos, quando nouissimi magis feruentes, primus minus feruentibus à Deo in mensura retributionis præponuntur. *Ioan. 4. 1. Cor. 15.*

Sequitur pars tertia, in qua primi arbitrãtes quod plus essent accepturi murmurant aduersus patremfamiliãs dicentes: *Hi nouissimi vna hora fecerũt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.* Hæc murmuratio fratres mei, ad statum vitæ præsentis referenda est. In cœlestem enim patriam nullus murmurãs intrabit, nec intrãs murmurare poterit. Sed in præsenti vitã multi sunt qui in opere Dei, longo tempore sibi videntur laborasse: qui si aliquos tardius incipientes scirent, sibi præponi vel æquari, murmurarent, & dicerent: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus, quasi qui in opere Dei longitudinẽ temporis & ardorem carnis sustinuimus. Peccata autem quatuor modis incurrunt, tum quia iudicium Dei reprehendunt: tum quia fratres suos despiciendo nouissimos vocant, tum quia se de operibus iactant, tum quia fratres suos sibi æquari per inuidiam dolent.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus ei qui tam per-

uerse loquitur vel meditatur, respondet per spiritum, vel per scripturam, dicens: *Amice, non facio tibi iniuriam.* Primo igitur ostendit iudicium suum rectū esse, cùm subdit, *Nonne ex denario diurno cōueniſti mecum?* Nemo fratres, ex his verbis putet Deum quasi ex conuentione astrictum esse ad reddendū promissum. Sicut enim Deus est liber ad promittendū, ita est liber ad reddendum, præsertim cùm tam merita quàm præmia sint gratia sua. Nihil enim aliud quàm gratiā suam coronat in nobis Deus, qui si vellet in nobis agere districtè, non iustificaretur in conspectu eius omnis viuēns. Vnde Apostolus qui plus omnibus laborauit, dicit: Existimo quod non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ergo hæc conuentio nihil aliud est, quàm voluntaria Dei promissio. Deinde reprehendit eos Dominus de contemptu fratrum, & de iactantia operū, dum eis æquat nouissimos, dicēs: Volo autem huic, secundum opinionem tuam nouissimo, dare, sicut & tibi in oculis tuis magno. An non licet mihi Domino facere misericordiam cui voluero? Postea eos reprehēdit, quia fratres sibi æquari, per inuidiam dolent, cùm dicit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Ecce fratres, quàm subtiliter describit malum inuidiæ, quæ tam dolet, quàm ipsa parū accipiat, quàm quod alius aliquid accipiat. Nec tam desiderat se plus accipere, quàm alios nihil accipere, & de alterius bono tabescit. Hanc fratres, inuidiam omni intentione deuitate, cum qua ad cœlum nullus potest ascēdere. Nam inuidus qui flet cum gaudētibus, & gaudet cum flentibus, quàm remotus est à charitate quæ dicit: Flete cum flentibus, & gaudete cum gaudentibus.

Gratiam suā in nobis coronat Deus. Rom. 8.

Inuidiæ malum.

Sequitur pars quinta, in qua Dominus concludit & adaptat similitudinē, dicens: *Sic erūt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi.* Non est enim fratres, hæc propositio vniuersalis, sed indefinita: Quoniam nec omnes nouissimi erūt primi, nec omnes primi nouissimi: Sed quidam qui videntur apud se, vel apud homines esse nouissimi, erunt apud Deū primi: Et quidā, qui videtur apud se vel apud homines esse primi, erūt apud Deum in ordine iustorū nouissimi, vel etiam reprobati. Quare? Quia *multi sunt vocati, pauci*

pauci verò electi. Ecce fratres, omnes ad vitam vocati sumus, Ecclesię parietes replemus, solus Deus tamen nouit qui sunt eius. Alij enim per exteriorem operationē nobis videntur esse electi, sed tamē à Deo interiora conspiciente, reprobantur, vt Pharisæus. Alij per exteriora mala nobis putantur essè reprobi, sed tamen per humilitatem & pœnitentiam interiorem, Deo sunt accepti, vt Publicanus. Alij benè incipiunt, sed finis eorū tepescit & deficit, vt Iudas. Alij malè incipiunt, sed in finem conuersi à Deo recipiuntur, vt latro: qui penè in eadem hora & pœnituit & exalauit. Nemo itaq; fratres, de operibus suis bonis præsumat. Nemo alium propter exteriora mala iudicet vel condemnet. Nemo in longanimitate bonæ vitæ confidat. Nemo serò pœnitentem despiciat. Sed qui benè vixit, timeat ne cadat, ne tepescat, ne propter præsumptionē corruat, ne propter contemptum fratris tardioris, displiceat. Qui verò huc vsque malè vixit, audiat quod hìc dicitur: *Quid hìc statis tota die otiosi?* Timeat ergo talis ne morte præueniatur, nec tamen desperet, sed de immensa misericordia confidens, festinet, ploret, satagat, vt quod amisit in tepore, recuperet in feruore. Nemo dicat in vndecima hora, id est, in senectute incipiam laborare, & tantundem præmij recipiam, quantū primi. Nemo hoc dicat, fratres, quia nemo de vespertina, necdum de præsenti hora certus est, quia nec vita, nec conuersio in manu hominis est. Hora in qua quis moritur, est senectus sua. Omnes igitur in vinea Dei laborare festinemus. Duritiam cordium timore de recordatione peccatorū nostrorum & consideratione gehennæ nato, quasi ligone commoueamus, sacramenta vitiorum, sarpa correctionis à nobis & ab aliis auferamus. Caueamus ne ventus Aquilonis, flores virtutum in nobis, ne feruor persequutionis fructus iam maturos in nobis ardeat: sed semper solliciti de animabus nostris, nunquam nos dignos, nunquā nos securos æstimemus, quousq; præmia percipiamus repromissa, quod nobis concedat pater & filius & spiritus sanctus, Amen.

Luc.18.

Iudas.

Latro.

Non præsumendū de bonis operibus.

1.Cor.10.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Libenter sufferti insipientes, cùm sitis ipsi sapiētes, &c. 2.Cor.11.

Libertita est hæc lectio fratres charissimi. Primò enim

reprehendit Corinthios, quibus hæc scribit, de hoc quod pseudoprædicatores recipiebant. Secundò se comparat & præfert illis prædicatoribus. Reprehendens ergo Corinthios de susceptione falsorum prædicatorum, ait: *Libenter sufferτis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.* Ideò enim insipiens est insipiens, quia putat se esse sapientem: & ideò non alienum, sed suum vult semper face-

Primus accessus ad sapientiam. re consilium. Primus enim accessus est ad sapientiam, intelligere se insipientem esse, & saniori consilio acquiescere. Porrò sapientiores, insipientes sufferre & recipere hoc intuitu debent, vt eos corrigant & doceant, vt non erroribus eorum consentiant, vt faciebant Corinthij, qui falsos prædicatores, legem tenendam esse cum Euangelio, & alios errores prædicantes, suscipiebāt, & eorum erroribus acquiescebant. Quorum, vnde dolendum est, sunt etiam hodie similes in Ecclesia, qui quosdam girouagos & falsos prædicatores, libentius quàm proprios prædicatores recipiunt, audientes libentius adulantes, quàm corripientes: loquentes placita, quàm lo-

Prou. 9. Ioan. 10. quentes vera. Et iuxta quod Salomon ait: Furtiuæ eis aquæ dulciores sunt: sed secundum Euangelium, veræ oues proprij pastoris vocem cognoscunt & sequuntur, alienum autem non sequuntur: quia non nouerunt vo-

Quatuor species prædicatorum. cem alienorum. Sunt autem fratres mei, quatuor species prædicatorum: Alij autē mala prædicant, & malè viuunt: & hæretici sunt, qui nec audiendi, nec imitandi sunt, sed prohibendi. Alij malè prædicant per ignorantiam, & in cæteris benè viuunt, & insipientes sunt. Qui & si in moribus imitandi sunt, tamen audiendi non sunt. Alij bona prædicant & benè viuunt, & veri prædicatores sunt, qui & audiendi & imitandi sunt. Alij bona prædicant & malè viuunt, qui audiendi sunt, sed non imitandi, de quibus

Mat. 23. dicitur: Quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Tanta quippè est auctoritas veræ doctrinæ, quod per quemcunque perσersum, & quocunque fine prædicetur, audienda est.

Philip. 1. Vnde Apostolus: Siue per veritatem, siue per occasionem Christus prædicetur, gaudeo: & contrà, à quocunque honesto, & quocunque fine praua doctrina prædi-

cetur,

cetur, audienda non est. Vnde Apostolus: Et si Angelus de cœlo aliud vobis prædicauerit, anathema sit. Quos autem insipientes sustinent Corinthij, exponit Apostolus, cùm subdit: *Sustinetis enim si quis vobis in seruitutem redigit.* Quibus sunt etiam hodie similes, qui simplices à libertate virtutum, in seruitutem voluptatum & carnalium illecebrarum redigunt, dicentes cuncta ad vsum hominum fuisse creata. Quibus, fratres mei, nolite consentire, quoniam qui intemperanter sequuntur licita, cadunt in illicita: Et ille solus in illicita non cadit, qui à licitis cautè se restringit. *Sustinetis*, inquit, *si quis accipit* vestra, *si quis deuoret* cibos vestros: *si quis extollitur* de sanctitate, vel nobilitate: *si quis in faciem vos cædit, quod dico secundum ignobilitatem.* Quia namque tanquam facie, ita nobilitate homo cognoscitur rectè, in faciem cædi, est per ignobilitatem contemni. Multi quoque sunt hodie fratres mei, quibus & si falsi prædicatores prædicant non vera, sed grata & placita, sustinent eos sua deuorantes, & de sanctitate se gloriantes, & cæteros negligentes. *Gal. 1.* *In seruitutē redigere quid.*

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus se comparat & præfert pseudoprædicatoribus, cùm subdit: subaudis, *In quo quis audet*: se commendare. *Et ego.* Sed quomodo fratres mei, hìc seipsum commendat Apostolus, cùm idem alibi dicat: Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Et Salomon, Laudet, inquit, te alienus, & non os tuum. Et reuera, fratres, si quis ad iactantiam seipsum laudat, non venialiter peccat. Nō enim laudabilis est, qui seipsum laudat. Sed Sancti cùm sua bona numerant, non ob iactantiam hoc faciunt, sed ob necessitatem. Tres enim causas inuenimus quibus Sancti sua bona enumerare coguntur. Quando enim premuntur vehementi aduersitate, ad augmentum spei & solatij sua bona coguntur enumerare, vt Iob: Oculus, inquit, fui cæco, & pes claudo: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quando etiam volunt Deum Iudicem ad misericordiam sui inclinare, solent bona sua enarrare, vt Ezechias: Memento, inquit, quomodo ambulauerim coram te in *2. Cor. 10.* *Prou. 27.* *Tres causæ quibus sancti sua bona enumerare coguntur.* *Iob. 29.* *Esa. 38.*

veritate. Quando etiam sancti Prædicatores volunt persuadere, vt sibi magis acquiescant quam pseudoprædicatoribus, solent se commendare & illis præferre, vt Apostolus in hoc loco. Commendat autem se Apostolus in quatuor, in genere, in ministerio, in reuelationibus, in humilitate. In primo se æquat aliis: in secundo & tertio se præfert eis: in quarto se humiliat aliis & sibi. De genere se commendat, & aliis æquat, cùm dicit: *Hebræi sunt & ego, &c.* Nobilitas & probitas parentum ad nihil aliud valent sequacibus, fratres mei, nisi ad æmulationem imitationis. Hinc est quod antiqui imagines & probitates parentũ solent depingere ad incitamentũ filiorũ & nepotũ, vt eos ad patrisandũ incitarẽt. Si tu verò degeneras, quare parentũ tuorũ nobilitatẽ iactas: Non te iuuat, sed damnat. Non enim ex probis parentibus nasci, sed probos parentes imitari, laudabile est. Hinc est quod Dominus Iudæis incredulis in patre Abraham gloriãtibus, ait: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. De ministerio se aliis præfert, cùm dicit: *Ministri Christi sunt & ego, vt minus sapiens dicã, plus ego.* Ac si diceret, in hoc quod me aliis præfero, loquor vt minus sapiens, quoniã minus sapiens sapientiũ, est se aliis præferre. Vnde & postea dicit; *Factus sum incipiens, vos me coẽgistis.* Non tamen in hoc quod se aliis præferebat, insipiens erat, quia nõ ad iactantiam, sed ob vtilitatẽ subditorũ hoc verè & sapiẽter faciebat. In duobus autẽ probat se plus cæteris ministrũ Christi esse: quia plus sequitur & imitatur eũ in exteriori passione, vt in laboribus, in afflictionibus, in periculis: & in interiori compassione, vt in solicitudine omniũ Ecclesiarum. Et quia infirmatur cum infirmo, vtitur cum scandalizato. Hæc pensent Prælati Ecclesiæ, qui extolluntur & gloriãtur de ministerio Christi, quia sunt Sacerdotes, Episcopi, & populorum magistri: Si sunt verè ministri Christi, imitentur eum, non in diuitiis & delitiis, non in pompa & ambitione seculari, quæ Christus semper detestatus est: Sed in eis in quibus imitatur eum Paulus, in passione exteriori, in laboribus, in afflictionibus in ieiunijs, in Ecclesiæ persequutionibus. Sint solliciti pro Ecclesiis, vt non

Probitas & nobilitas parentũ ad quid valet.

Ioan. 8.

Quid ministri Christi agere debeant.

vt non eas expolient, sed vt eas instruant & supportent. Lugeant cum lugentibus, gaudeant cum gaudentibus, infirmentur cum infirmantibus: fiant omnia omnibus. De reuelationibus se commendat Apostolus, cùm ait se raptum vsque ad tertium cœlum. Hinc discant Pastores Ecclesiæ rapi desiderio ad cœlestia, & ea per lectionem & contemplationem meditari, vt sint digni vocari viri desideriorum cum Daniele, quatenus Dominus aperiat eis secreta sapientiæ suæ, ad suam & aliorum vtilitatem. Quod verò Apostolus fatetur se nescire, an fuerit raptus in corpore & anima simul, an extra corpus anima scilicet assumpta: Hoc fratres, contra illos erroneos est, qui affirmant se in vna nocte corporaliter, multas regiones transmeare, manducare, & bibere, & post remeare. Cùm Apostolus Spiritu sancto plenus dicat se nescire quomodo in cœlum raptus fuerit. Idem de humilitate se commẽdat, cùm ait: *Et ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. &c.* Ecce fratres mei, cum tot & tantis virtutibus sublimatus esset Apostolus, ad conseruationem humilitatis, datus est ei à Deo stimulus carnis, & angelus satanæ ad inquietandum & humiliandum eum. Et cùm rogaret illum à se remoueri, dictum est ei à Domino: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Magnitudo enim virtutis solet superbire, nisi temperetur ex humilitate. Quæ humilitas tanta fuit in Paulo, vt contra morem hominum secularium, bona sua vix & coactus enarraret: infirmitates verò suas gaudens aperiret. *Libenter gloriabor*, inquit, *in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Nemo igitur fratres mei, nemo nostrũ infirmitates, labores, & afflictiones fugiat, vel à se remoueri deposcat: quia quod caminus auro, quod lima ferro, quod gelu sato, hoc confert tribulatio iusto. Quid? Illum purgat, elimat, splendificat. Vnde Dauid: Da mihi, inquit auxilium de tribulatione, id est, tribulationem fac mihi in auxilium prouenire. Oremus itaque fidelem animarum purificatorem, vt hîc nos purget, nos purificet, ne in futuro, in furore suo arguat nos: ne in ira sua corripiat nos; sed statim exeuntes de corporali miseria, nos in

Afflictiones non sunt fugiendæ. Psal. 59.

thesaurum suum recipiat Deus & Dominus noster, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Luc. 8. *CVm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum*, & reliqua. Dominus & redēptor noster, fratres charissimi, per omnia nos instruens, vt se persepè figuratè loqui demonstraret, exposuit parabolam istam, vt in parabolis, quas per se non exponebat, significaret spiritualem intelligentiam similiter esse quærendam. Est igitur (vt ipse ait) Semen verbum Dei: Ager mundus: Seminator Christus, qui de sinu patris exiit, vt semen verbum Dei, hoc in mundo seminaret: Et etiam quilibet prædicator, qui secundum suum modulum de secreto contemplationis suæ ad eruiendum homines debet exire. Sed hominum, quibus semen verbum Dei proponitur, multę species sunt. Nam quidam sunt, qui nec &
Ioan. 8. illud audire volunt, vt illi quibus Dominus ait: Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia
Psal. 57. ex Deo non estis. Et Propheta, furor illius secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Aspis serpens est incurabilis veneni, quæ ne audiat incantationes, alteram aurem allidere terræ, reliquam obturare cauda perhibetur. Tales sunt homines quidam incurabilis malitiæ, qui aures intellectus sui obturant: Hinc amore terrenorum, hinc amore posterioris partis suæ, id est carnis, ne verbum Dei audire velint. Illorum verò qui audiunt quatuor species sunt. Nam alij in tantum audiunt verbum Dei, vt nec eius sapore vel opere delectentur, qui bene significantur per terram secus viam nulla sepe clausam, vbi semen conculcatur, & ab auibus auferetur. Corda enim talium clausa non sunt, sed omnium tentationibus spirituum patent. Venit spiritus luxuriæ, non prohibetur, sed intrat: Venite spiritus auaritiæ, non prohibetur, sed intrat: Venit spiritus vanæ gloriæ, non prohibetur, sed intrat: & similiter cæteri veniunt, nec prohibentur. Quia verò corda talium, frequentia malarum cogita-

Hominū qui verbū Dei audiunt quatuor species.

cogitationum trita & conculcata sunt, auditum verbum Dei in eis adhærere nequit, sed à spiritibus malignis, qui tanquam aues aerij & agiles sunt, à memoria remouentur. Alij verò audiunt verbum Dei, & cum desiderio percipiunt, & etiam aliquid boni agere incipiunt, sed à solicitudinibus & voluptatibus diuitiarum occupati, desistunt. Qui benè, fratres mei, significantur per terram spinis occupatam. Per spinas quippè dicit Dominus diuitias significari, quia & si videantur delectare corpus, tamen animam aculeis curarum pungunt, & peccatis cruciant, & voluptatibus aggrauant & extingunt. Cùm enim diuitiæ cum labore acquirantur, cum timore seruentur, cum cupiditate augeantur, cum dolore perdantur, quid aliud sunt labor, timor, cupiditas, & dolor, nisi punctiones verè cruciantes animam? Hinc & de illis qui inter huiusmodi spinas delectantur, scriptum est. Et esse sub sentibus diuitias computabunt. Alij quoque audiunt verbum Dei, & cum gaudio suscipiunt, & aliquid boni agere incipiunt, sed tribulationibus & persequutionibus pressi desistunt. Qui benè significantur per petram, quia altitudinem terræ & humoris, id est, fidem & charitatem profundam non habent: & ideò feruescente Sole persequutionis, arescunt, & non referũt fructum. Tales erant illi, quibus Dominus per Prophetã promittit: Auferam, inquit, cor lapideum à vobis, & dabo vobis cor carneum. Omnes supradicti non reddunt fructum, quia agrum cordis sui non benè colunt. De quibus per Salomonem dicitur: Per agrum pigri hominis transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem spinæ, & maceries lapidum destructa erat. Alij verò audientes verbum Dei, retinent corde optimo, & fructum afferunt in patientia. Qui rectè significantur per terram bonam: Quia sicut terra bona commendatũ semen reddit multiplicatũ: ita bonus homo auditum verbum, cogitando, operando, & docendo, sibi & aliis proficiendo, multiplicare non desistit. Afferet autem fructum in patientia: quia nisi bona terra patiatur extirpationes, arationes, frigus & calores, fructificare non potest. Ita nisi homo patienter extirpet à se spinas & tribulos vitiorum, nisi duritiam cordis arẽt, vomere pœ-

Iob. 30.

Ezech. 36.

Prou. 24.

re pœnitentiæ & compunctionis: nisi maceries carnis afflictiones & persecutiones patienter portet, verbum Dei in eo fructificare non potest. Seminato autem agro, cura non est remouenda: quoniam nisi circunsepiatur satum, nisi satiatur, nisi aues exterreantur, nisi temporum opportunitas à Deo postuletur: non veniet ad debitam maturitatis vbertatem. Suscepto quoque in corde verbo Dei, nisi vigili cautela cor à tentationibus custodiatur, nisi renascentia vitia diligenter extirpentur, nisi dæmones psalmodiis & orationibus abigantur, nisi assiduis votis incepti boni incremẽtum & multiplicatio à Deo postuletur, non
Mar. 4. veniet ad fructus perfectionem. Reddit autẽ teste Euangelista alio, semen in bona terra fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. Tres enim ordines sunt in Ecclesia, Coniugati, Vidui, & Virgines. Coniugati tricesimum: Vidui sexagesimum: Virgines cẽtesimum percipiẽt fructum, si perseuerauerint bene in sui ordinis puritate. Et secundũ gradum meritorum, erit or-
Coniuges. do præmiorum. Vos igitur coniuges, si gradus vestri ordinem bene seruetis, si amorem Dei vxoribus, filiis, & cęteris omnibus pręponatis: si cõiuges cum freno modestię diligatis: si filios & familiam secundam Deũ doceatis: si excessus vestros eleemosynis redimatis: si in mandatis Dei
Vidui & Viduæ. perseueretis, magni estis ante Deum. Vos autem vidui viduæque, si gradus vestri religionem custoditis: Si estis tanto Deo deuotiores, quanto liberiores: si mente & corpore sanctimoniam habetis: si ieiuniis, orationibus & elee-
Virgines. mosynis vacatis, maiores estis. Vos quoque virgines viri vel fœminę, si estis virgines voluntate, nõ necessitate, vel timore: si toto desiderio cœlesti sponso placere desideratis, si vos virtutibus potius quàm vestibus exornatis, si vt prudentes non fatuæ virgines gloriam Dei, non mundi quæritis, maximi estis. Veruntamen, fratres mei, sicut aliquod argentum plus valet, quàm aliquod aurum, ita aliquis coniugatus, aliquam viduam vel virginem meritò potest superare. Melior quippe est coniugatus in Deo seruiens, quàm viduus vel virgo tepens. Itaque, fratres mei, omnes conuersemur honestè, vnusquisque in ordine suo. Diligamus Deum toto desiderio: mundum spernamus,

carnem

carnem castigemus, vitia de nobis extirpemus: verba Dei deuoto corde suscipiamus. Operãdo & docendo illa multiplicemus, vt fructum æternitatis recipere mereamur. Quod nobis præstare dignetur qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Excellentiorem viam vobis ostendo. Si linguis hominum 1. Cor. 13.
loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cimbalum tinniẽs, &c. Inter omnes gratias, quas fratres mei, largitur hic nobis omnipotens & misericors Deus, ad præmium æternæ beatitudinis promerendum, obtinet principatum vera charitas, Dei videlicet amor, & proximi. Hanc cõmendat Apostolus quinq; modis: Primò, quod excellentior via est: secundò quod sine ea nihil cætera valent: tertiò quod omnia vitia exeludit: quartò, quod qui hanc habet, omnia habet: quintò, quod nunquam excidit. Ostendit igitur hic quod charitas est excellentior via, cùm ait: *Excellentiorem viam vobis demonstro*. Est autẽ charitas excellentior via, quia magis excellẽs, magis expedita, magis propria. Magis extollens est, quia nihil plus extollit quam charitas, quæ de seruis facit filios, de hostibus amicos, de hominibus deos. Vnde Dominus iam non dicã vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Et alibi: Dedit autem eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et Propheta: Ego inquit dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Sicut enim charitas via est, qua Deus venit ad hominem: ita est via qua homo vadit ad Deum. Quia enim non bene conueniunt maiestas & amor, ideo Deus amans hominem se coæquauit ei, vt eum secum sublimaret. Charitas est oleũ quod in imo premi non potest, sed superenatat. Charitas etiam magis expedita via est, quoniam per eam compendiosius & facilius ad Deum ascendimus. Si enim magnã sapientiam, si magnam eloquentiam, si multa eleemosynas facere, si martyrium sustinere nequis, sufficit tibi, si Deum & proximum verè diligis. Amor enim seipso contentus est ad merendum Deum, nec tantum Deum expe- Ioan. 15. Ioan. 1. Psal. 18.

ctat,

ctat, sed eum iam habet, dum veraciter eum amat. Charitas etiam magis propria est Dei, suorumq; electorũ: quoniam cùm cætera bona possint etiam habere reprobi, charitatem soli possident electi. Hinc est enim fons proprius, cui non communicat alienus. Alieni enim sunt, quicunque audituri sunt hanc vocem: Non noui vos. Hæc est tunica nuptialis, qua induti securi recumbũt. De hac Do-

Mat. 7. minus, hoc est, inquit, præceptum meum vt diligatis inuicem. Acsi diceret: Hoc est excellens & proprium mandatum meum, quo mei à non meis separantur. Itaque, fratres mei, vt filij & amici Dei esse mereamur, charitatem semper custodiamus.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus ostendit nulla quantumcunq; bona sine charitate prodesse, cùm subdit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* Magnum quippè bonum est fœcunda & eloquens prædicatio, sed sine charitate, nihil prodest prædicanti, prodest quidem auditoribus. Sed prędicator qui non ex charitate, sed propter nummum vel gloriam prædicat, est quasi æs sonans aut cimbalum tinniens, id est, alios ad Deum vocat, sed se sua voce conquassat & condemnat. Magnum bonum est Prophetia de futuris, sed sine charitate nihil prodest. Nihil quippè profuit Balaam, nihil Sybillę, nihil Caiphæ, quòd futura Dei Sacramenta prædixerunt. Magnum bonum est scire mysteria & Sacramenta veteris & noui testamenti, & omnem scientiam diuinam & humanam, sed sine charitate nihil prodest. Nihil quippè Iudæ profuere Sacramenta, quæ cum cęteris Apostolis habuit communia. Nihil prodest diabolo, quod, vt ait Ezechiel, cœlestia nouit mysteria. Nihil Scribis & Pharisæis, falsisque Doctoribus, profuit habere scientiam sanctarum literarum. Magnum bonum est habere omnium fidem ita perfectam, vt per eam transferantur montes ad literam, vel dæmones à patientibus: sed sine charitate nihil prodest. Nihil enim proderit quibusdam, qui hæc & alia bona sine charitate fecerunt: Qui in iudicio hoc se confitebuntur

Non prædicandum ad bonum vel gloriã.

Mat. 7. fecisse. Nónne in nomine tuo prophetauimus? Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? Quibus non dicetur, Non habuissetis hæc dona, sed, Non noui vos: quia sine cha-

charitate nihil habuerunt. Nihil enim prosunt hypocritis, qui ob vanam gloriam ea faciunt. Vnde Iacobus, Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Ergo charissimi, charitatem super omnia studeamus habere, sine qua cætera bona, nil possunt valere. *Iacob.2.*

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus quod charitas omnia vitia excludit, cùm subdit: *Charitas non æmulatur*, per inuidiam, imò gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus. *Non agit perperã*, id est, peruersè, imò omnia facit bono fine. *Non est ambitiosa*, non contendit de honore, sed de humilitate. *Non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Christi: Christi enim voluntatẽ & gloriam quærit, non suam. *Non iritatur* per iram, *non cogitat malum*: fortis scilicet, non solùm ad non retribuendas iniurias, sed etiam ad non curandas. *Non gaudet super iniquitate*, imò deflet, sic & cætera vitia charitas excludit. Vnde & legitur: Qui charitatẽ habet, non peccat: non quia non peccet, sed quia nõ peccat ad mortem. Peccatum enim in feruore charitatis, est quasi gutta aquæ in ignẽ, quæ eum non extinquit, sed inflammat. Feruidam igitur fratres, charitatem habeamus, vt in eius feruore sordes peccatorum nostrorum excoquantur. *1. Ioan. 4.*

Sequitur pars quarta, in qua ostendit Apostolus, quod qui habet charitatem, omnes virtutes habet, cùm dicit: *Charitas patiens est* inter aduersa, scilicet benigna est inimicis, eos etiam à quibus patitur, amans. *Congaudet veritati*, id est, bono iustitiæ. Vnde & dicitur: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. *Omnia credit*, quæ scilicet de futura vita in scripturis sacris leguntur. *Omnia sperat*, quæ scilicet à Deo sunt promissa. Quæ etsi differantur, *Omnia sustinet*. Cæteras quoque virtutes habet, qui veram charitatem habet: Quarum quasdam & si non habet in vsu, habet tamen in affectu. Quanuis enim non habet in se, habet tamen in aliis, de quibus gaudet tanquam de se. Teneamus itaque fratres, charitatem, per quam omnia bona habentur, per quam lex adimpletur. Vnde Propheta: Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Et Dominus: In hac tota lex pendet & Prophetæ. *Mat. 5.* *Psal. 118.* *Mat. 22.*

Sequi-

Sequitur pars quinta, in qua ostendit Apostolus, quod Charitas nunquã excidit. Propterea nunquam cadet qui charitati adhæret. Vita enim futura nõ auferet, imò perficiet charitatem. Quæ enim nunc data est ad bene merendum, tunc dabitur in præmium. Cætera verò bona, quæ nunc habent locum, tunc cessãbunt: Cessãbunt prophetiæ, quia non erit tunc absens vel occultum quod de Deo videbitur. Cessãbunt linguæ, quia res & cogitatio aperta, manifestari significationibus nõ egebunt. Cessãbit scientia, quia tunc nõ erit specularis & vmbratilis scientia, sed aperta Dei visio. Cessãbit enim fides: Ea enim quæ modò inuisibilia credimus, tunc præsentialiter videbimus. Cessãbit spes, quando obtinebimus quod sperabamus. Cæteris itaque cessantibus, tunc charitas augebitur & perficietur. Tunc enim ita, diligemus Deũ, quod ab eius amore nullatenus poterimus separari vel tepescere. Pensemus ergo fratres mei, pensemus toto corde, quanta, quàm admirabilis erit beatitudo illa, vbi sancti illud, quod semper in hac peregrinatione desiderauerãt, sperauerant, exquisierant, contemplabuntur, amplexabuntur, fruentur sine metu, sine defectu, sine inuidia. Vbi & si par non erit Sanctorum claritas, tamen par erit gaudium. Omnia enim faciet communia amor vnus, & voluntas vna. Itaque fratres mei, dilectionem Dei & proximi, quæ nobis erit præmium in patria, toto corde teneamus in via. Super omnia diligamus Deum, qui super nos est. In bono diligamus animam nostram, quæ intra nos est: Sicut nos, diligamus proximum nostrum, qui iuxta nos est. Cum discretione nutriamus carnem nostram, quæ infra nos est, quatinus pariter peruenire mereamur ad videndum Deum Deorum in Sion, vbi est Regnum sine termino, satietas sine fastidio, sanitas sine morbo, iuuentus sine senio, festum sine mœrore, gaudium sine fine, largiente Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Cessabunt Prophetiæ.
Linguæ.
Scientia.
Fides.
Spes.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Luc. 18. *ASsumpsit Iesus duodecim Discipulos suos, & ait illis: Ecce ascẽdimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia*

omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis, &c. Duobus capitulis distinguitur lectio ista, fratres charissimi: Porrò in primo considerandũ est secundum literam, quare Dominus passionẽ & resurrectionẽ suã prædicere voluerit, & quare duodecim Discipulis tantũ, & quare secretò. Quare se passurũ & resurrecturũ prædixt: Ob tres causas vt se Deu omniscientem demonstraret, vt se spontaneè passurum probaret, vt Discipulos suos contra mortis suæ desperationẽ præmuniret. Quare duodecim tantũ? Vt demonstraret tantum apostolicæ doctrinæ sequaces esse dignos, humanæ redẽptionis agnoscere & participare Sacramentũ. Quare secretò? Vt sanctum nõ debere dari canibus, nec margaritas porcis, demonstraret. Vnde idẽ ait: Vobis, inquit, datũ est nosse mysteria Regni Dei, cæteris autem in parabolis. Moraliter autem fratres mei, instruit nos Dominus exemplo sui, quomodo supernã Hierusalẽ adire debeamus. Sicut enim ipse ascendendo Hierosolymam, patiendo, moriendo, resurgendo, ascendit in cœlum ad patrem: ita nos fratres charissimi, ima vitiorũ vitando, tribulationes patiendo, mundo moriendo, anima & corpore resurgendo, ad cœlestem patriam ascendere oportet. Acsi diceret Dominus: Qui mihi ministrat, me sequatur. Et vbi sum ego, illic & minister meus erit. Itaque fratres totis viribus nitendum est. Nam si cum tanto sudore culmina montium ascendimus, quanto labore opus est grauitati nostræ nitenti ad cœlum? Teste enim Domino, lata & spatiosa est via, quę ducit ad perditionem, & multi currunt per eam: Sed angusta & ardua est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ascendunt per eam. *Facilis est enim* (teste Poeta) *descensus auerni.* Facilè est quippè descẽdere de ingluuie ad libidinem, de libidine ad cupiditatem, de cupiditate ad auaritiam: & ita de vitio in vitium, vsque in æternam damnationem. Sed valdè laborioſum est fratres mei, ascendere ad abstinentiam: de abstinentia ad continentiam: de continentia ad mundi contemptum: & ita de virtute in virtutem, vsque ad patriam cœlestem. Hanc ascensionem fratres, non potest facere per se homo, nisi adiutus à Deo. Vnde Dominus, Nemo potest, inquit, venire ad me, nisi pater meis cœlestis

Mat. 7.
Mar. 4.
Luc. 8.
Ioan. 12.
Mat. 7.
Vergilius 6. Aeneid.
Ioan. 6.

traxerit eum. Clamemus igitur ad eum fratres, clamemus
Cant.1. & dicamus ei: Trahe me post te, curremus in odore vn-
Psal.83. guentorum tuorū. Nam iuxta Prophetam: Beatus est vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit existens in valle lachrymarum in loco quem posuit. Et proculdubio fidelibus nihil de se, sed de Deo tantum præsumentibus, benedictiones gratiarū dabit legislator: & ita ibunt de virtute in virtutem: & tandem videbitur Deus Deorum in Sion. Tribulationes etiam fratres charissimi, necesse est nos pati, dum ascendimus ad patriam.
2.Tim.3. Iuxta illud Apostoli: per multas tribulationes oportet
Luc.23. nos intrare in regnum cœlorum. Et alibi: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Nam si in viridi ligno hoc fuit, id est in Christo, in arido quid fiet? Has tribulationes oportet iustum pati. Necesse est illum pati, tradi, illudi, flagellari, cōspui. Tradi iustum oportet: & hæc multitudo exemplorum te doçet. A principio, Abel iustus traditus est, in manibus
Gen.4. Cain. Ioseph iustus traditus & venditus est Hismaëlitis:
Gen.37. Iob iustus traditus est in manu diaboli: & vt magis miseris, ab ipso Deo. Ecce, inquit, caro eius in manu tua est:
Iob 1. veruntamē animam eius serua. Dominus iustus traditus est gentibus per manus Iudæ & Iudæorum: & hoc illi nō possent, nisi pater, & etiam ipse seipsum traderet: Di-
Ephe.5. cit enim de eo Apostolus, qui tradidit semetipsum pro nobis. Quia ergo fratres mei, nō est discipulus supra magistrum, si nos veri discipuli Christi sumus, si verè iusti sumus, nos quoque necesse est tradi in manus impiorum, diaboli scilicet, & malignorum hominum. Sed nos respiciamus ad Christum traditum, & in eo consolabimur.
Gen.9. Necesse etiam est iustum illudi. Illusus est Noë iustus à fi-
&.27. lio. Ioseph à fratribus dicentibus: Ecce somniator venit.
4.Reg.2. Helisæus à pueris dicentibus: Ascende calue. Christus à militibus indutus veste coccinea, spinis coronatus, & arūdine sceptratus, & dictum est ei derisorie: Aue Rex Iudæorum. Nos fratres si ascendere ad cœlum volumus, necesse est nos illudi, vel à diabolo per phantasticas illusiones, vel à falsis fratribus, nostram simplicitatem irridentibus, & hypocritas nos vocantibus. Sed nos respiciamus

ad

ad Christum illusum, & in eo consolabimur. Necesse est etiam iustum flagellari. Flagellatus est Iob, flagellatus est Tobias, flagellatus est Dominus, & ligatus ad columnã, in qua vsque hodie apparent vestigia sanguinis. Apostoli quoque flagellati sunt. Nos similiter, fratres, oportet flagellari, vel infirmitatibus, vel persequutionibus, vel iniuriis, vel damnis. Sed nos fratres, semper respiciamus ad Christum flagellatum, & in eo consolabimur. Necesse est etiam iustum conspui & respui. Spretus & contemptus fuit Ioseph inter fratres: Spretus quoq; Dauid à suis dicentibus: Quid nobis & filio Isai? Spretus & Iob à suis inter aduersa: Spretus & Dominus, & vocatus filius fabri, & consputus, & inter iniquos proiectus. Apostoli similiter spreti & facti tanquam purgamentum & omnium peripsema. Nos quoq; fratres si iusti sumus, necesse est nos à mundanis conspui & expui. Sed nos fratres contemnamus nos contemni, & respicientes ad Christum consputum, in eo consolabimur. Necesse est quoque iustum ad cœlos tendentem crucifigi & mori. Abel iustus ab impio fratre occisus est: Esaias serratus est: Hieremias lapidatus est: Christus crucifixus est: Apostoli & Sancti martyres, variis tormentis passi sunt. Nos quoq; fratres, si ad cœlum ascendere volumus, necesse est crucifigi mũdo, & si non materiali supplicio, tamen voluntario, vt scilicet mortificemus mẽbra nostra quæ sunt super terram, secundũ illud Apostoli: Mortui estis, & vita vestra abscõdita est cum Christo in Deo. Sed etiam fratres, mors corporalis benignè à nobis expectanda & excipienda est. Necesse est etiam fratres mei, iustũ resurgere de vitiis ad virtutem, de morte ad vitã, de tenebris ad lucem, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Oremus igitur fratres charissimi Dominum, vt ipse trahat nos post se, faciat ab imis ad alta consurgere: Det nobis suarum benedictiones gratiarum, vt eius passionem, resurrectionem, & ascensionem, quantum possumus, imitemur.

2. Cor. 4.

Col. 3.

Rom. 6.

Sequitur: *At illi nihil horum intellexerũt. Erat enim verbum absconditũ ab eis.* Idem hodie contingit fratres charissimi: Nam cùm prædicamus carnalibus hominibus

quod iustos oporteat in hoc mundo tradi, illudi, flagellari, conspui, mori, & resurgere: vel non intelligũt, vel contemnunt. Est enim diuinum iudicium eis absconditũ. Et quando vident hic iustum pati, putant eum vel non curari, vel reprobari. *Cùm autem appropinquaret Ierico, quidam cæcus sedebat secus viam mendicans.* Hoc est secundũ Capitulum, in quo Dominus postquã prædixit Discipulis suis passionem & mortem suã, illuminat cæcum. In quo fratres charissimi, ostendit se mori sponte, qui cæcos poterat illuminare. Appropinquans verò Ierico, illuminat cæcũ. Porrò Ierico luna interpretatur, per quam defectus nostræ mortalitatis intelligitur. Dum ergo Deus ad defectus nostræ mortalitatis accedit, humanũ genus propter primam præuaricationem excæcat, vel ad Dei lucem intelligendam reddit. Fuit autem non parui meriti iste cæcus, fratres mei. Habuit enim patiẽtiam, fidem, orationis instantiam, petitionis electionem, impetrationem, obedientiam, gratiarum actionem. Patientiam quippè habuit, quia quamuis dupliei miseria, paupertate scilicet, & cæcitate premeretur, non desperat, sed innocentiam seruans mauult mendicare, quàm furari, quàm rapere, quã fœnerari. Et hoc contra quosdam qui flagellis Domini abutũtur: Et de quibus debuerunt fieri meliores, fiunt peiores. Et cum exigentibus meritis suis, aporiantur, vel excæcantur exterius, non corriguntur, sed excæcantur, & aporiantur interius, & fiunt vsurarij, periuri, rapaces, & fures. De qualibus dicitur: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Et alibi: Omnes isti æs & stannum, in medio fornacis. Dominus enim, quantum in se est, eos per flagella sanat, sed ipsi non sanantur, sed sunt tanquam æs & stannum, cum rubigine sua in medio tribulationis. Sicut autem abundans, si Eleemosynã comedat, dicitur comedere peccata populi, ita pauper viuẽs de eleesymona, viuit de gratia. Fidẽ verò (teste Domino) cæcus habuit, quia eum, quẽ tam instanter vt sui misereretur, vt se illuminaret, rogauit, hoc eum posse nõ dubitauit: Et hoc cõtra illos est, qui dubiè & hęsitãdo petunt. Vnde Iacobus: Si quis indiget sapientia, postulet à Domino nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vẽto mouetur,

Luc. 12.

Ierico luna interpretatur.

Cæci patientia.

Flagellis Domini non abutendum.

Hier. 51.

Ezech. 22

Cæci fides.

Iaco. 1.

mouetur, & circunfertur. Non autem æstimet homo talis, quod accipiat aliquid à Deo. Quantum autem vera fides ad impetrandum valeat, ostendit Dominus dicens: *Mat.17. Luc.17.* Si habueritis fidem quantũ granum sinapis, dicetis monti huic, transfer te, & iacta te in mare, & fiet. Cùm ergo fratres postulamus, cum magna fiducia fidei, quod postulandum est, postulemus. Orationis quoq; instantiam habuit, quia quanto magis à turbis præeuntibus increpabatur, vt taceret, tanto magis clamabat. Fili Dauid miserere mei. Vsquequo & tumultum turbarũ vinceret, & Iesum transeuntem, ad standum & ad miserandum cõmoueret. Quem nos imitantes, fratres charissimi, clamemus totis visceribus cordis ad eum, Fili Dauid miserere nobis. *Cæci orationis instantia.*

Et si turbæ, & tumultus vanarum cogitationum, vel malignorum spirituum, vt frequẽtur contingit, nos orantes disturbant & impediunt, vt ab oratione cessemus, Iesus propter teporem mentis nostrę nobis transit. Sed nos fratres, turbas & phantasmata cogitationum, à nobis totis viribus repellamus: Et quanto plus nos infestant, tanto magis clamemus: Fili Dauid miserere nobis. Et tunc profectò Christus in cordibus nostris stabit, & nos per gratiam suam illuminabit. Petitionis electionẽ habuit, quia interrogatus à Domino quid vis, vt faciã tibi? Non pẽtiit à Domino sicut à puris hominibus solebat panem temporalem vel argentum, vel aliquid tale: sed lucem, & puto quòd vtrumque petiit, sicut vtrumque accepit. Quem nos fratres imitantes, petamus à Deo patre luminũ, non aliquid trãsitorium, sed lucẽm: nec lucem quę loco clauditur, & tempore terminatur, sed lucem diuinæ visionis. *Petitionis cæci electio.*

Impetrationẽ habuit, quia sicut postulauerat, & exterius & interius illuminatus fuit, quãdo dictum est ei: *Respice, fides tua te saluum fecit, & confestim vidit.* Quem nos fratres imitantes, nos illuminationem æternam impetraturos confidamus, si in feruenti postulatione perseueraueri- *Impetratio cæci.*

mus. Obedientiam habuit, quia postquam vidit, eum sequutus est. Videt enim & sequitur qui bonum quod intelligit, operatur. Quod nos indignos prædicatores rẽdarguit, qui per scientiam videmus, & tamen per operationem Christum non sequimur. Viam aliis demonstramus, *Obedientia cæci.*

& tamen nos pergere non curamus. Moneamus igitur nosmet fratres charissimi, ad faciendum quod scimus, & quod prædicamus: quoniam seruus sciens voluntatem
Luc.12. Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Gratiarum quoque actionem cæcus illuminatori suo egit, & alios exemplo suo agere fecit, quoniam subiungitur: *Et sequebatur eum magnificans Deum: Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.* Nos quoque fratres mei, de immensis beneficiis non simus ingrati, sed ex toto corde, verbo & opere gratias agamus, eius laudibus quantum possimus, in hoc seculo insistamus, vt in æternum eum videre & laudare mereamur: Per Dominũ nostrum Iesum Christũ, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

FERIA QVARTA IN capite Ieiunij.

Ioel.2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, &c.* His verbis, fratres charissimi, olim hortabatur Dominus per Prophetam populum suum, qui peccando recesserat à se, conuerti ad se. Porrò quæ olim dixit Iudæis, nunc quoque dicit nobis. Sunt autem huius lectionis quatuor partes: Primò enim monet populum suum, qui peccando recesserat à se, conuerti ad se. Porrò quæ olim dixit Iudæis, nunc quoque dicit nobis. Sunt autem huius lectionis quatuor partes. Primò enim monet populum suum peccatorum ad se conuerti: Secundò ponit causam quare debeat conuerti: Tertiò ostendit qui debeant conuerti. Quartò qua vtilitate. Primò igitur fratres, monet nos Dominus ad se conuerti, cùm dicit: *Conuertimini ad me.* Ecce fratres mei, quanta sunt viscera pietatis diuinæ. Rogat nos qui rogari debuit. Offensus Dominus, rogat seruum fugitiuum. Offensus sponsus, rogat redire sponsam adulterantem. Vnde ipse per Ieremiam Prophetam Iudeæ cum dæmonibus adulteranti clamat: Si recedens vxor à viro, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem
Ierem.3. fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad

me

me dicit Dominus. Quotiens enim, fratres mei, anima criminaliter transgreditur, totiens legitimum sponsum dimittit, & cũ diabolo mœchatur. Hãc tamen hanc, infinitæ misericordiæ Dominus hortatur, vt recedat: Et iuxta Prophetam rogat, vt audiat vocem post tergũ monentis. *Conuertimini*, inquit, *ad me*. Et quasi quæremus, quomodo ad te conuertemur? Modum adiungit: *In toto cordo vestro*. Quidam, sunt qui conuertuntur ad Deũ, sed non in toto corde. Non enim in toto corde ad Deum conuertitur, qui quoddam vitium propter Deum deserit, & in alio adhuc moratur. Quod fratres mei, omnino caueamus. Nam impietas est, à Deo qui summa iustitia est, veniam sperare dimidiatam. Deus enim aut omnia dimittit, aut nihil. Propterea quid prodest fratres mei, sauciato omnia vulnera curasse, si vnum restat mortiferum? Quid prodest etiã omnes aditus castri obseruasse, si vnus restat apertus per quem irruat inimicus? Itaque fratres mei, omnia peccata à nobis auertamus, vt toto corde ad Deum conuertamur. Sed nec hoc sufficit, nisi perpetrata etiam peccata in nobis puniamus. Vnde & subdit, *in ieiunio, & fletu & planctu*. In duobus enim vera consistit pœnitentia: in euitatione peccati, & satisfactione commissi. Pœnitentia enim est perpetrata mala plangere, & plangenda non committere. Ad vtrumque hic monet nos ne committamus plangenda, cùm ait: *Conuertimini in toto corde*. Et plangamus perpetrata, cùm ait: *In ieiunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimẽta vestra*. Per hoc enim satisfactio de cõmissis peccatis nobis demonstratur, quæ consistit in tribus, in satisfactione operis, in compunctione mentis, in confessione oris. Porrò ad satisfactionem operis nos hortatur cùm dicit: *In ieiunio* Et quia non sufficit sine cordis pœnitudine & compunctione, subsequenter ad compunctionem mentis nos hortatur cùm dicit: *in fletu, & planctu*. Per fletum quippè & planctum, interior compunctio Sacerdoti propalatur. Sed quia nec operis satisfactio, nec mentis compunctio sufficit sine oris confessione, habenti tempus & locum, ad confessionẽ nos hortatur, cùm subdit, *Et scindite corda vestra*. Quidã etenim sunt qui peccata sua tenent

Quomodo anima mœchatur.

Pœnitentia quid.

Satisfactio in tribus consistit.

Confessio.

abscondita in corde, tanquam putredinem in vlcere. Sed scitis fratres mei, quia vicus non sanatur, nisi putredo prius eiiciatur Vt ergo vlcera cordis nostri sanentur, putredo peccatorum per confessionem propaletur. Ad hoc fratres mei, nos hortatur exẽplo sui & alius Propheta ad
Psal. 108. ieiuniũ, cùm ait: Genua mea infirmata sunt à ieiunio Et
Psal. 101. alibi: Quia sicut cinerem tanquã panẽ manducabam. Et ad cõpunctionem, cùm subdit. Et poculum meũ cum fletu miscebã. Et alibi: A voce gemitus mei adhæsit os meũ carni meæ. Quasi diceret: Tãtus erat dolor gemitus mei, quod ossa adhæserũt meæ carni. Et quis nostrũm miserrimorũ peccatorũ facit hodie, quæ ille tam magnus & tam sanctus Rex dicit se fecisse? Idem rursus exemplo sui ad confessionem nos hortatur, cùm dicit: Delictũ meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meã non abscondi: Dixi
Psal. 31. confitebor iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Porrò in hoc quod postquàm ait: *Scindite corda vestra*, adiungit, *Et non vestimenta vestra*, morẽ reprehẽdit Iudæorum, qui in afflictionibus scindebant vestimẽta sua, magis quàm corda sua. Quorũ etiam hodie similes sunt, qui pœnitentiam magis in exterioribus volunt ostentare, quàm in interioribus habere.

Sequitur pars secunda, in qua ponit causam quare debeamus conuerti. *Quia benignus*, inquit, *& misericors est, patiẽs & multũ misericors præstabilis super malitia.* Quasi diceret: Conuertimini ad Deum, quia ille facilis est ad recipiẽdum, quia benignus est naturaliter, & omne bonũ diligens. Et misericors etiam erga peccatores, qui non si statim conuertantur, ipse tamen est patiens, eos ad pœnitentiam expectans. Qui si abutantur Dei patientia, crimina criminibus addentes, ipse tamen super peccata multa est multum misericors: Intantum vt etiam sit præstabilis super malitia, id est eius misericordia præstat & præualet omni malitiæ: quoniam nulla quantacunque malitia, diuinam potest vincere misericordiam. Ecce fratres mei, quid sufficit pensare viscera diuinæ misericordiæ. Ergo fratres nullus quantumcunq; flagitiosus, quantumcunque facinorosus desperet, sed currat ad fontem Dauid, qui iuxta Prophetam, est patens in ablutione menstruatæ,

struatæ, quoniam omni conuerso, Deus conuertitur: Et illi soli venia denegatur, qui ad Deum conuerti dedignatur. *Qui scit, inquit, si cõuertatur, & ignoscat Deus. Et relinquat post se benedictionem? Sacrificiũ & Libamẽ Domino Deo nostro?* Quasi nullus. Ponitur autem hæc coniunctio, si, pro quòd non: sicut & ibi: Quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiẽ meam. Ac si dicatur: Nullus nouit quod Deus non cõuertatur, imò semper ad nos eum conuerti sperare potius debemus, quia piger ad pœnas, Princeps ad præmia, velox nec obliuiscetur misereri Deus: nec continebit in ira sua misericordias suas, sed relinquent post se, id est, cõuersis, benedictionẽ, sacrificium & libamen. Benedictio dicitur donum siue gratia realiter, quia propter eam donans benedicitur. Sacrificium verò fiebat olim de carnibus: Libamẽ de liquidis. Porrò fratres mei, dum peccator perseuerat in peccato, Deo nec benedicere, nec sacrificare, nec libare potest: quia nec est speciosa laus in ore peccatoris. Et iuxta Sapiẽtem, victimæ impiorum abominabiles. Sed Deus conuersus dat peccatori gratiam, aperiens eius labia, prius in vita, vt iam eum benedicere possit: dat & ei sacrificium, id est, mẽtis deuotionem igne Sanctispiritus concrematam, vnde Deo sacrificare & placere possit, dat quoque ei libamen, id est, lachrymosam contemplationẽ, qua hic cœlestia desiderare, & quodammodo prælibare possit. Oremus ergo eum, fratres mei, vt secundùm infinitam suam misericordiam cõuertatur, & ignoscat Deus nobis, & relinquat nobis post se conuersis benedictionem gratiæ suæ, vnde ipsum benedicere valeamus. Et sacrificium cordis deuoti & compuncti amore suo concremati, vnde ipsum delectare possimus. Et libamen lachrymarum contemplari, vnde gloriam bonitatis suæ in hac valle lachrymarum prælibare, præsuspirare, & prædesiderare queamus.

Zach. 13. *Quibus venia denegatur.* *Ioël. 2.* *Psal. 94.* *Benedictio quid.* *Prouer. 15.*

Sequitur pars tertia, in qua qui conuerti debeant, ostendit: *Canite tuba in Sion, &c.* Fratres mei, plaga generalis, generali indiget medicina. Si enim vnus peccasset, singulari remedio cũrari potuisset. Sed sicut olim in tempore Iudæorum, ita & nunc in tempore Christianorum. Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat

Plaga generalis generali indiget medicina. *Psal. 13.*

Esa.1. ciat bonum; non est vsq; ad vnum. Et sicut ait Esaias, Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas. Ferè nullum in toto corpore Ecclesiæ membrũ est, quod sit sanum. Nos enim Sacerdotes, & Doctores Ecclesiæ, qui deberemus esse lux mundi, quod sine gemitu nequeo dicere, potius sumus fu-
Psal.13. mantes quam flammantes. Et si lumen quod in Ecclesia est, tenebræ sunt, ipsę, inquit, tenebræ quãtæ erunt? Qua-
Miche.7. Oseæ 4. Peccata populi. les sunt Principes terrarũ & iudices? Raptores sunt, vt ait Propheta, impiis vespertinis & tributis, & exactionibus deuorãt plebem, sicut escam panis. Et qualis est populus? Omnes in sanguine insidiantur, & vir fratrem suum venatur ad mortem. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Quia ergo omnes declinauerunt, omnes hortatur Propheta ad pœnitentiam: vt cum generali edicto omnes ad Ecclesiam conuocentur, cùm ait: *Canite tuba in Sion.* Quod nos fratres mei, hodie fecimus, quando cum campanis ad Ecclesiam nos vocati sumus. *Sanctificate*, inquit, *ieiunium.* Ieiunium fratres, per sè nullius meriti habetur, nisi bonis operibus sanctificetur. Monet ergo nos, vt per euitationẽ mali, & operationẽ boni, ieiunium nostrum sanctificemus. Et tunc præcipuè orationi, eleemosynæ, vigiliis & cęteris bonis studiis insistamus. Deinde omnem gradum, omnem ætatem, omnem sexum præcipit conuocari: Maiores cùm ait, *Conuocate cœtum*: qui quasi irrationabiles conuocantur: Minores, cùm ait: *Congregate populum*, qui quasi irrationabiles & bruti congregari debent & cogi. Aetatem, cùm ait: *Coadunate senes et sugentes vbera*, quoniam nemo mũdus à sorde, nec etiam
Iob 25. infans cuius vita est vnius diei super terram, qui & si non actualiter, tamen originaliter maculatur. Sexum cùm ait, *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo:*
Quomodo Ecclesia sanctificatur. Quos ideò diuidit, quoniam in tempore ieiuniorũ à complexibus est abstinendum. Interponit etiam sanctificare Ecclesiam. Ecclesia autem sanctificatur, quãdo omne malum de ea aufertur. Sæpè enim peccatum vnius personæ in totam redundat Ecclesiam: Nec solùm peccatum Prin-

cipis,

cipis, vt Dauid: vel Sacerdotis, vt filiorum Heli: sed priuatæ personæ, vt peccatum Achor, qui furatus est laminam auream de anathemate Hierico, ob cuius peccatum multi de populo ceciderunt. Hæc itaq; fratres mei, formidantes, de medio Ecclesiæ propellamus sacrilegos, & præcipuè excommunicatos & contumaces, ne ob contagium vnius scelerati, pereant multi. Quod contra illos est qui excommunicatis communicare non timent, non attendentes quoniam qui tangit immundum, immundus est: & qui communicat excommunicato, excommunicatus est. *Iosue 7.*

Cùm autem omnes moneat Propheta ad pœnitentiam & emendationē, præcipuè monet Sacerdotes. Quoniam sicut ruina Sacerdotum, est ruina populi, ita eorum profectus, est profectus populi. Qui non solùm pro suis, imò pro aliorum peccatis tenentur plorare & orare, vnde & subdit: *Inter vestibulū & altare plorabant Sacerdotes ministri Domini, & dicebant: Parce Domine, parce populo tuo, &c.* Porrò tria iubet eos fratres, stare inter vestibulum & altare, plorare, & pro populo orare. Inter vestibulum & altare, id est, inter Deū & populū debent stare Sacerdotes medij, ordine, familiaritate, & mediatione. Medij ordine debent esse, vt sicut sunt maiores quantum ad Deum, ita sint maiores quantum ad populum. Non enim debet esse Sacerdos vt populus. Medij familiaritate, vt scilicet cum Deo & cum hominibus sint familiares per dilectionem. Medij meditatione, vt scilicet per intercessionem suam possint reconciliare & populum Deo, & Deum populo. Plorare etiam eos iubet, non solùm sua, sed etiam aliorum peccata. Sicut enim Sacerdotes viuunt de oblationibus & eleemosynis fidelium, ita plorando, ieiunando, & cætera bona faciendo, debent portare peccata eorum, vt sicut populus portat laborem pro Sacerdote in temporalibus, ita Sacerdos portat onus pro populo in spiritualibus. Sic plorabat Samuël Saul, cùm audiuit à Domino, Vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum? Orare etiam eos iubet, non solùm pro suis, sed etiam pro aliorum peccatis. Vnde tam pura & munda debet esse eorum oratio, vt Deum iratum possint placare, & populo reconciliare. *Ruina Sacerdotum, est ruina populi.* *1. Reg. 16.*

Sequitur

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quę vtilitas sequitur ex pœnitentia, cùm subdit. *Et zelatus est Dominus populum suum, & pepercit populo suo.* Quasi diceret, quem auersum minatus fuerat, conuersum zelatur & recipit. *Ecce ego*, inquit, *mittam vobis frumentum, vinũ & oleum, & lætabimini in eis.* Olim Iudæi carnales, qui ob carnalia seruiebant, carnalibus promissis gaudebant. Vt nos fratres, si spirituales sumus, non promittit nobis ad se conuersis temporale frumentũ, vinum, aut oleum, quę etiam infidelibus largitur, sed potius promittit nobis spirituale frumentum, vinum & oleum. Per frumentũ quippè quod prius ornat mensam, & cor hominis confortat, significatur prima virtutum fides, quæ mentem hominis confirmat. Per vinum, quod lætificat & inebriat mentem hominis, significatur spes cœlestium, quæ mentem nostram exhilarat, & desiderio vitæ cœlestis inebriat. Per oleum quod superfertur omnibus liquoribus, significatur charitas, quæ omnibus virtutibus superfertur. Has igitur magnarum carismata virtutum promittit nobis conuersis Dominus, vt in eis, & hîc inter aduersa huius seculi, & in futuro in æterna beatitudine lætemur contemplantes & benedicentes Deum in secula, Amen.

Per frumentũ fides significatur.

Per vinũ spes cœlestium.

FERIA QVARTA IN CAPITE Ieiuniorum.

Mat. 6. *CVm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Quomodo fratres charissimi, nobis sit ieiunandum, Dominus in hac lectione nobis ostẽdit, præcipit enim nobis quatuor: videlicet vt habeamus rectam intentionẽ in ieiunio, in mente, misericordię compassionem, in conscientia munditiam, in cœlo thesauri repositionem. Præcipit igitur primò nobis, vt in ieiunio habeamus rectam intentionem, non simulationem, cùm ait: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, id est, nolite ad modum hypocritarum tristitiam simulare. *Exterminãt enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Non autem fratres charissimi, prohibet Dominus ieiunantibus tristitiã, nec pallorem vultus, nec candorem vestis, nec cætera huiusmodi, quæ sunt signa pœnitentiæ, quæ iustè coram Deo à multis habentur religiosis. Non prohibet siquidem ne

habeant

habeantur, sed ne habere appetantur. Vnde non ait: Nolite fieri tristes, sed nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Qui enim tristatur de suorum recordatione peccatorū, vel de alieno malo, vel de dilatione patriæ cœlestis, benè contristatur. Vnde Propheta, Cor cōtritum & humiliatū Deus non despicies. *Psal. 50.* Et alibi: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Qui verò tristatur de amissione rerum temporalium, vel de aliqua re vana vel mala, malè tristatur. Hypocritæ verò vel non tristātur, sed tristitiam simulant, vel si tristātur, simulant intentionem: quia simulant se ex bona intentione contristari: cùm ipsi de dilatione vanæ gloriæ, quam desiderant, contristantur. Quod vt melius possint simulare, à naturali colore, exterminant faciē suā, & artificiosè eam pallere faciunt, sed quæ eius vtilitas? *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Laudem scilicet humanam, propter quam totū illud faciebant. Cùm igitur fratres mei, ieiunatis, cùm eleemosynam datis, vel cùm aliquid aliud bonum facitis, non faciatis illud ad laudem hominum, sed ad amorem Dei promerēdum. Nam quæ vita miserabilior est vitæ hypocritæ, qui ob vanos hominum rumusculos & præsentem vitam perdet & futuram. Porrò fratres mei, perfectis, qui gloriam hominum non appetunt, & oblatam contemnunt, non est necesse pallorem vultus, & squallorem vestis euitare, vel sua bona opera abscondere, imò & peccarent, si absconderent. *Vita hypocritæ miserabilis.* Quoniam talibus dictum est: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Mat. 5.* Imperfectis verò, qui gloriam hominum nondum penitus cōtemnunt, & laudem oblatam respuere nesciunt, euitandus est pallor, tristitia & squallor vestis, & bona sua occultè facienda. Vnde & iuxta literam huiusmodi imperfecto subdit Dominus, dicens: *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput oleo,* quod scilicet Palæstini in solennitatibus faciebant. *Et faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui videt in abscondito: Et pater tuus qui videt in abscondito,* id est in conscientia, *reddet tibi.* Spiritualiter verò præcipit Dominus in his verbis ieiunantem habere in mente misericordiam. Oleo namque quod supernatat omnib⁹ liquoribus, misericordia significatur,

quæ

quæ superexaltat iudicium. Vnde & oleos Græcè, misericordia dicitur Latinè. Per caput verò mens significatur, quæ in toto homine principatur. Præcipit ergo Dominus ieiunantem oleo caput vngere, id est, gratia misericordiæ mentem impinguare. Est enim mens arida, quæ oleo non est impinguata. Quales sunt (vnde dolendum est) hodie multi, qui miserorum dolore, miseria & anxietate, non magis mouentur, quam si non homines,

Rom.1. sed lapides essent. Sunt enim, vt ait Apostolus, sine affectione, sine misericordia, sine fœdere. Qui sicut immisericordes sunt, ita summum Iudicem sibi sentient immiseri-

Iacob.2. cordem. Scriptum est enim, Iudicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam. Et Dominus in Euangelio: Nisi remiseritis ex corde fratribus vestris, nec pater vester cœlestis remittet vobis. Econtrariò verò de piis

Mat.5. & misericordibus Dominus dicit: Beati misericordes, quoniam ipsi consequentur misericordiam. Itaque fratres mei, excludamus à nobis omnem duritiam & inhumanitatem, & induamus viscera misericordiæ. Et cùm in omni tempore debeamus pinguescere oleo misericor-

Eccle.9. diæ, iuxta illud: Oleum à capite tuo non deficiat, tamen præcipuè in diebus ieiuniorum misericordia debemus superfluere, quando de peccatis nostris misericordiam ex-

Oseæ 6. pectamus. Scriptum est enim, Misericordiam volo & non sacrificium. Misericordia sine ieiunio valet. Ieiunium sine misericordia valere non potest. Cùm igitur ieiunamus fratres mei, primò misericordiam habeamus in nos, iuxta

Eccle.30. illud, Miserere animæ tuæ placens Deo. Animæ nostræ tunc miseremur, quādo à seruitute vitiorum eam per pœnitentiam reuocamus. Misereamur & proximorū nostrorum in nos peccantiū, eis dimittendo. Misereamur & malorū hominū, pro eis supplicando. Misereamur afflictorū

Esa.58. & pauperū, eis subueniēdo, iuxta quod Esaias dicit: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domū tuā. Cùm videris nudū, operi eum, & carnē tuā ne despexeris. Præcipit quoq; Dominus ieiunantem habere munditiā in conscientia, si spiritualiter intelligamus hoc quod dicit, faciē tuam laua. Facies quippè per quam nos cognoscit Deus, conscientia est. Hanc ergo præcipit per

pœ-

pœnitentiã lauari: iuxta illud: Lauamini, mundi estote, auferte mala cogtiationũ vestrarum, &c. Et illud Psalmiste: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Porrò sine munda conscientia, nec ieiunium, nec aliud bonũ opus valet. Vnde Dominus per Esaiam: Nunquid hoc est ieiuniũ, dicit Dominus? quasi circulum contorquere caput suum, & saccum, & cinere sternere? nónne hoc est maius ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, depone fasciculos deprimentes. Lauemus ergo fratres mei, maculas conscientiæ nostræ, singultibus, suspiriis, & lachrymis veræ pœnitentiæ: quoniam lachrymæ lauant delictum, quod pudor est ori confiteri. Non quod lachrymæ sine confessione sufficiant, sed quia pudor ex crimine auget lachrymas in confitente. Faciamus fratres, quod Psalmista exemplo sui nos facere monet: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meũ rigabo. Præcipit etiam Dominus ieiunantem habere in cœlo thesauri sui repositionem, cùm subdit, *Nolite thesaurizare vobis in terra.* In terra thesaurizat, qui vel ad literam diuitias suas in terra, & ob terrenam intentionem abscondit, vel qui spem suam in terrenis ponit. In cœlo verò thesaurizat, qui ad literam per opera misericordiæ & iustitiæ, diuitias suas in cœlum transfert: vel mysticè qui totam spem suã in cœlestibus confert. Quare autẽ in terra non sit thesaurizandum, ostendit cùm subdit: *Vbi erugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur.* Porrò erugo corrodit metalla, tinea vestes: quod ab his non tangitur, fures furantur. Per hæc ergo tria, omnis auarorum thesaurus perdendus esse significatur, aut enim relinquent diuitias suas, aut relinquentur ab illis. Vnde scriptum est: Qui congregauit diuitias, misit eas in saculum pertusum. Et alibi: Thesaurizat & ignorat, cui congregauit ea. Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque cum eo condescendit gloria eius. Mysticè verò erugo, id est, superbia, & tinea, id est, inuidia: & fures, id est, dæmones, thesauros sperantium in terrenis dissipant & perdunt. Spem verò thesaurizantium in cœlo, nec superbia, nec inuidia, nec dæmones corrumpere

Esa.1. *Psal.30.* *Esa.58.* *Psal.6.* *Aggæ.1.* *Psal.38.* *Erugo superbiã significat, & tinea inuidiam.*

pere possunt. Aliam enim causam, ob quam non in terra, sed in cœlo thesaurizandum est, ponit cùm subdit: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Ac si diceret: quoniam cor nostrum in cœlestibus, non in terrenis figere debemus, ideò thesaurum spei nostrę semper in cœlo collocare debemus, vt multa antequam moriamur per eleemosynas ad cœlũ transmittamus. Nam si recolligamus quot quotidie in vsibus corporis, quot in vanis, quot in malis expendamus: ferè nulla videbuntur, quæ pro salute animæ nostræ fecerimus: cùm omnia pro salute eius facere deberemus. Ploremus ergo fratres, nihil vel parum nos in cœlo thesaurisasse: & quod minus fecimus, facere festinemus. Cogitemus quanta quotidie pro corpore expendimus, & plura pro salute animæ expendere satagamus. Illa quæ pro corpore expendimus, perdita reputemus. Illa quæ pro anima expendimus, benè collata gaudeamus: quatenus tam thesaurus, quàm cor nostrum sit in cœlo. Et cùm illuc in resurrectione ascenderimus, indeficientem thesaurum inueniamus: per Dominũ nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE.

2. Cor. 6. *HOrtamur vos ne in vacuum gratiã Dei recipiatis, &c.* Duobus capitulis distinguitur hæc lectio, fratres charissimi: In primo duo facit Apostolus. Primò hortatur ne gratiam Dei vacuam in nobis habeamus: secundò ostendit quam gratiam præcipuè in vacuum non debeamus habere. Hortans igitur nos primò ne vacua sit in nobis gratia Dei, ait: Hortamur vos, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Gratia fratres charissimi, dicitur, quicquid gratis datur. Nos autem nihil boni habemus, quod à Deo gratis non acceperimus. Vnde idem Apostolus ait alibi: 1. Cor. 7. Quid habes quod non accepisti? Itaque fratres, quicquid sumus, quicquid possumus, quicquid possidemus, Dei donum & Dei gratia est. Hortatur igitur nos Apostolus, vt quamcunque à Deo acceptam gratiam non in vacuum habeamus. Sunt autem quatuor modi quibus gratia Dei in vacuum habetur. Primus est, quando de accepta gratia aliquis Deo ingratus existit: de quo Dominus arguit no-

Modi quatuor quibus gratia Dei in vacuum habetur.

uem

uem leprosos, nónne, inquit, decē mundati sunt, & nouē vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Porrò qui de accepta gratia Deo ingratus exiſtit, meretur non solùm non accipere gratiam accipiendam, sed etiam perdere perceptam. Hinc est quod sæpè videmus nonnullos qui cùm acceperint à Deo bonum ingenium, vel magnam scientiam, quia tamen superbiunt, & Deo auctori ingrati exiſtunt, accepta gratia in eis non augmentatur, sed potius minoratur. Quidam verò sunt, qui etsi in prosperis gratias agant, secundùm illum: Confitebūtur tibi cùm benefeceris eis, tamē in aduersis tacent, vel murmurant, vel etiā, quod peius est, flagellis, tempori & ordinationi Dei, & ita gratiæ Dei, malè dicunt. Sunt quippè flagella quibus nos Deus corripit, gratia magna, & misericordiæ suæ magnæ signa. Flagellat enim pater filium quem diligit. Sicut ecōtrariò, nō flagellare delinquentē, diuinæ iræ signum est, ipso attestante per Prophetam: Iam, inquit, non irascar tibi, zelus meus recessit à te. Hoc intelligens Sapiens, de illatis flagellis Deum benedicit, & ei gratias agit. Hinc est quod sanctus Iob, vxore sibi imperante, vt benediceret Deo, & moreretur, ait: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Nos itaq; fratres charissimi, huius exemplo, tam in prosperis quàm in aduersis, Deo gratias agamus. In aduersis enim lætari & Deum benedicere tantùm est bonorum, cùm in prosperis benedicere, possit esse etiam malorum. Porrò parum placet Deo vox confessionis, quam format exultatio prosperitatis. Sed in die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius, vt scilicet in prosperis eleemosynam faciamus, & in aduersis Deo psallamus. Secundus modus est, quando quis acceptam gratiam inutiliter abscondit, de quo damnatur iuxta Euangelicam parabolam, piger ille seruus, qui acceptum abscondit in terra talentum. Quod enim ibi talentum, hic gratia nuncupatur. Damnatur igitur fratres, quicunq; acceptā gratiam à Deo, siue sapientiam, siue diuitias, siue potestatem, siue ministeriū, siue quam-

Luc.17.

Psal.48.

Flagella, signa misericordiæ Dei.

Heb.12.

Ezech.16.

Iob.1.et 2.

Psal.14.

Mat.25.

libet aliam rem, non vtitur & distribuit, ad profectum animarum. In quo & illud pensandum est, quoniam talentum quod pigro aufertur, alij qui perceptis benè egerat, cõfertur. Quod quotidie fratres charissimi, videmus, quoniam gratia pigro aufertur, & ei qui in cæteris probus fuerat, confertur. Itaq; fratres, gratiam à Deo acceptam non inutiliter abscondamus, sed eam aliis cõmunicemus, vt inde & nobis & aliis proficiamus. Scriptum est enim, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Et alibi: Non retineas verbum in tempore salutis. Et alibi: Thesaurus absconditus & sapientia abscondita, quæ vtilitas in vtrisq;. Sapientia enim nobilis possessio, distributa susceptum incrementum, & auarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Tertius modus est, quando aliquis accepta gratia abutitur: vt ille qui scientia, vel diuitiis, vel potestate, vel qualibet alia re, malè vtitur, inde persequendo Deum & proximum, vnde Deo & proximo debuit seruire. Vnde Dominus per Oseam arguit Israëlitas, quod aurum, quod argentũ, frumentum & vinum, lanã & linum, à Deo sibi prestita, Baal Deo suo offerebant. Quod etiam hodie faciunt qui sapientiam, vel eloquentiam, vt abundantiam, vel cætera bona sibi à Deo collata, contra Deum in vsu criminum & diaboli seruitio expendunt. Nos ergo fratres, Deo de donis suis seruiamus, & ad eum, à quo solo habemus, omnia referamus, qui solus est Alpha & ω, omnium scilicet bonorum initium & finis. Quartus modus est, quando aliquis acceptam gratiam perseueranter non custodit. Nullũ enim bonum, quod perseuerantia caret, Deo placere valet. Vnde in lege præcipitur, vt caput animalis cum cauda in sacrificiis offeratur. Quoniam ille benè sacrificat, qui benè incipit & benè consummat. Hinc etiam Dominus per Ioannem dicit, Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi cororam vitæ. Ac si diceret, aliàs non dabo. Hinc per Ezechielem dicitur, Si auersus fuerit iustus, & fecerit iniquitatem, in iniquitate sua morietur: & omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. Vos ergo fratres mei, qui per peccata à Deo auersi estis, per pœnitentiam citò conuertimini. Vos verò qui in bono proposito estis, per-

Prou.11. *Eccle.4.* *Eccle.20*

Qui Dei gratia abutuntur.

Oseæ 8.13.

Apoc.1. & 22.

Gratia custodienda.

Apoc.2.

Ezech.3.

perseuerate, de bono in melius, in finem vsque perseuerantes. Secundo ostendit Apostolus quam gratiam nos hortetur nō in vacuum habere cùm subdit: *Ait enim Dominus*, scilicet per Esaiam Prophetam, de tempore gratiæ: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te*, gratiam scilicet cooperantem conferendo. Quod Apostolus exponēs subdit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis*, scilicet promerendæ. Ergo fratres mei, gratia quam hortatur nos Apostolus, non in vacuum recipere, est gratia operās, qua Deus operatur primò in nobis sine nobis, cordis contritionem dando & peccata dimittendo. Est gratia cooperans, qua Deus pòst operatur in nobis & cum nobis, dans nobis facultatem vt faciamus bonum. Ipsum etiam tempus gratiæ, in quo Deus non solùm gratias, sed etiam proprij sanguine dedit in redemptionem generis humani, gratia potest appellari, in quo Deus plus quam in cæteris temporibus propitius est peccatori, gratis impium iustificando, & gratias adiutrices conferendo. Itaq; fratres mei, qui primam gratiam, id est, peccatorum remissionem iam percepit, ingratus vel inutilis existendo, caueat ne in vacuum eam perceperit, qui verò neutram adhuc in peccato perdurans accepit, timeat ne tempus acceptabile, & diem salutis transeat otiosè, sed potius tempore accepto clamet, vt Deus exaudiat eum, & trahat eum de lacu miseriæ & de luto fœcis. Clamet, inquā, dum licet, & pœniteat dum tempus habet. Quoniam pœnitentia in hac vita tantùm valere potest, & salus promereri potest. In alia vita verò, non erit tempus seminandi, sed metendi: non promerendi, sed accipiendi. Propterea fratres charissimi, omni vigilantia caueamus, ne tempus nobis præstitum ad salutē promerendam, in vacuum expendamus. Sed heu fratres, quod sine gemitu dicere nequeo, spatium temporis datum ad pœnitentiam negligimus, & quando deberemus flere peccata, ea augemus. Magnā temporis partē transimus dormiendo, magnam otio vacando, magnam malè agendo. Ecce fratres, præteriit dies hesterna nō amplius reditura, & præsens hora iam non erit. Omne tempus more fluuij irremeabiliter transit. Itaque fratres, illud modicum temporis, quod nobis à

Gratia operans.

Gratia cooperās.

Clamandū et pœnitendum dum licet.

Spatium temporis datum ad pœnitentiā nō negligendum.

Tempus perditū quando.

Deo datur, non inutiliter transeamus. Perdimus enim omne tempus illud, in quo de Deo, & de anima nostra non cogitamus. Videamus igitur ne diem, ne horam amittamus. Sed sicut solebant antiqui Patres, in sero omnem diurnum laborum, & in mane nocturnam cogitationem, vel delectationem ad memoriam reuocemus. Et si quid mali contraximus, pœnitentia tergamus: si quid boni magis augeamus, & tempus in quo nihil boni fecimus, nos amisisse ploremus: & in tempore quod superest nobis, amissi damnum temporis recōpensare satagamus. Cùm autem vniuersum tempus obseruandum sit nobis, maximè quadragesimale tempus obseruare debemus. Hoc enim quasi decima totius anni Deo consecrandum est, vt in hoc emēdemus quod in cæteris tēporibus transgressi sumus. Celebrate itaque fratres mei, inchoata ieiunia, non qualicunq; modo, sed sicut ait Propheta Ioël:

Ioël.2.

Quomodo sanctificatur ieiunium.

Sanctificate ieiunium. Sanctificatur enim ieiunium per pœnitentiam, per eleemosynam, & per orationē. Sic maceretur corpus per ieiunij abstinentiam, quòd humilietur & purificetur anima per pœnitentiam, Dei misericordia imploretur per eleemosynam, mala repellantur & bona impetrātur per orationē. Considerate ieiunium vestrum, quia propter vos ieiunauit Dominus noster Iesus Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE.

2.Cor.6.

NEmini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, &c. In hoc secundo capitulo fratres charissimi, hortatur nos Apostolus, vt irreprehēsibiles tanquàm Dei ministros nos exhibeamus. Cùm autem ministri Dei vniuersaliter possint dici, quicunque gratiam à Deo sibi datam rectè administrant, tamen ad ministros sanctæ Ecclesiæ specialiter refertur. Nos ergo fratres mei, qui sumus ministri altaris, & dispensatores verbi Dei, monet Apostolus, vt in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros. Sicut enim iuxta Salomonem, malus Princeps impios habet ministros: ita contrariò conueniens est, vt sanctus Dominus sanctos habeat ministros,

Ministri vniuersaliter, qui.

Prou.29.

Leuit.19. 20.

stros. Vnde ipse ait, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Multum enim Deū exacerbat minister fœdus. Peccatori autem dicit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuū. Enumerat igitur Apostolus sex, in quibus præcipuè nos tanquam Dei ministros debemus exhibere: In euitatione offensionis, in patientia afflictionis, in operibus bonis, in virtutibus, in verbo rectæ prædicationis, in iusto vsu prosperitatis & aduersitatis. Primo igitur monet vt exhibeamus nos sicut Dei ministros in euitatione offensionis, cùm dicit, *Nemini dantes vllam offensionē, vt non vituperetur ministerium nostrum*: Videlicet, vt nec per inobediētiam, nec per negligentiam offendamus Deum, nec læsione, nec malo verbo, nec malo exemplo proximum. Porrò cùm omnes debeant cauere, ne Deū per inobedientiam offendant, præcipuè nos ministri Christi, qui etiam pro aliorum offensis intercedere debemus. Nam si aliquis de populo offendit, orabit pro eo Sacerdos. Si autem Sacerdos offenderit, quis orabit pro eo. Et si incantator percussus a serpente fuerit, quis medebitur ei? Caueamus etiam fratres, ne per negligentiam Deum offendamus, quoniam iuxta Hieremiam, maledictus qui opus Dei negligenter agit. Corripiebat quidem Heli filios suos, sed quia tepidè & negligenter hoc fecit, quod perditionem cum eis incurrit. Hoc contra quosdam nostrūm est fratres, qui in diuino officio, in prædicatione & correctione, in oratione, & lectione, & in cæteris tepidi & negligentes sumus, cùm iuxta Ioannem, Christus tepidos euomat. Et iuxta Sapientem, Homo dissolutus in operibus suis, sit super opera sua dissipantis. Læsione quoque, proximum nos ministri Christi offendere non debemus, quin potius lædentes prohibere debemus & arcere. Nam percussorem Episcopum esse Apostolus prohibet, & ille eum condemnat, qui dorsum suum exposuit ad flagella, & maledictus non remaledixit. Cauere etiam nos ministri Christi debemus, ne dicto proximum offendamus: vt scilicet non simus maledici, nec iuratores, nec detractores, nec scurræ, nec turpiloqui, sed magis sermo noster sale sapientiæ conditus sit, vt præstet gratiam audientibus. Caueamus etiam ne malo

Psal. 49. In quibus Dei ministri se debent exhibere.

Eccl. 12.

Iere. 48. 2. Reg. 2.

Apoc. 3.

Mores ministrorum Ecclesiæ quales esse debent.

exemplo alios errare faciamus. Offensionem quoq; suo exemplo aliis ponit, qui vel malè vel indiscretè agit. Propterea minister Christi caueat, ne penitus mala faciat, nec etiam bona indiscretè. Quod facit qui vel per cibum, vel per aliquod mediocre bonum scandalum ponit. Vnde

Rom.14. Apostolus: Si cibo fratrem tuum offendis, iam non secundùm charitatem ambulas. Propter offensionem enim fratrum, non solùm mala, sed etiam bona omnia illa, sine quibus haberi potest salus, euitanda sunt. Secundò præcipit, vt exhibeamus nos sicut Dei ministros, in patientia. Quæ in quibus necessaria sit, subiungit: *in tribulationibus*, scilicet persequutionum. Iuxta illud, Fili, ac-

Eccle.2. cedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Et hoc contra illos est, qui volunt esse Episcopi, Sacerdotes & ministri Christi, vt hic pacem & tranquillitatem habeant, cùm Dominus mittens discipulos

Mat.19. suos ad prædicandum, eis dixerit: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. *In necessitatibus*, subaudi famis, frigoris & paupertatis. Et hoc contra illos, qui Episcopi,

Episcopi, Sacerdotes Sacerdotes, & ministri Christi volunt fieri, vt hic abundant diuitiis & delicijs: cùm econtra Magister noster, qui hîc fuit pauper, non habens vbi caput reclinaret, dicat:

Ioan.12. Qui mihi ministrat, me sequatur. Sed quomodo fratres, diuitiis oneratus discipulus nudum & expeditum Magistrum potest sequi? *In angustijs*, scilicet periculorum. Et hoc cõtra illos est qui prælati & ministri Ecclesiarum,

Qui plurium est custos, plus habet vnde timeat. ad hoc volunt fieri, vt sint securi. Qui enim plurium est custos, plus vnde timeat, habet. Persona quippè priuata de se sola timet. At pastor, & si de se securus est, tamen

Pastoris est de ouibus timere eum de ouibus semper timere necesse est: qui totiens periclitatur, quotiens aliqua ouium suarum periclitatur. *In plagis*, scilicet verberũ. *In carceribus*, scilicet vinculorum. *In seditionibus*, populorum scilicet contra se commotionibus. Et hoc contra illos, qui ideò volunt fieri primates & doctores Ecclesiarum, vt sine iniuria, sine contumelia, sine inquietatione viuant. Verùm si veri discipuli Christi sunt, injurias & contumelias patientur: Cùm ipse Magister dicat, Non est discipulus super magistrum. Si me per-

Luc.6. secuti sunt, & vos persequentur. Et alibi: Amen dico vo-

vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Qui autem in seculo nescit pati vel plorare, probat seipsum discipulum Christi non esse. Tertiò præcipit vt exhibeamus nos sicut Dei ministros, in bonis operibus. In quibus? *In laboribus.* Et hoc contra illos est, qui magistri Ecclesiarum ad hoc volunt esse, vt otiosi & desides fiant. Cùm ipse, qui hoc dicit Apostolus, propriis manibus laborauerit, & alios laborare fecerit: & dixerit: Qui non laborat, non manducet. Et Psalmista: Labores manuum tuarum quia manducabis, Beatus es & benè tibi erit. Et Hieronymus: Semper, inquit, aliquid operis age, vt diabolus inueniat te occupatum. Otiositas enim inimica est animæ. Et hoc contra illos Ecclesiarum magistros, qui relictis laboribus necessariis, venationibus, aleis, ludis & cæteris vanitatibus intendunt. In vigiliis debent esse ministri Christi, vigiles semper esse, non solùm in orationibus, sed etiam in regimine subditorum. Et hoc contra illos, qui vix etiam orto Sole ad Ecclesiam surgere volunt, qui in cura salsamentorum & voluptatum plus vigilant, quàm in custodia animarum. *In ieiuniis*, ieiunare debet minister Christi, & vt desideria carnis mortificet in se, & vt alios exemplo sui doceat ieiunare. Nam Sacerdos præpinguis & rubeus, qua fronte aliis abstinentiam & carnis macerationem audebit prædicare? Quartò præcepit, vt exhibeamus nos sicut Dei ministros, in virtutibus. In quibus? *In castitate.* Cùm castitas omnem deceat personam, præcipuè decet Sacerdotem. Vnde & in lege quando Sacerdotes ministrabant in templo, separare iubebantur, & ab vxoribus, & à vino. Ipsi etiam gentiles, non nisi castos constituebant Sacerdotes. Quorum si aliquis vel aliqua de fornicatione conuinceretur, viuens interficiebatur. Qualis ergo debet esse Sacerdos Euãgelicus, qui assiduè tenetur nõ animal non incensum, sed Dei filiũ immolare? Heu quo animo, qua audacia Sacerdos concubinarius, corde & corpore pollutus, audet cõtingere virginitatis filiũ, mundatorem animarum? *In scientia*, diuinarũ scilicet & mundanarum rerum, quæ si cum charitate habeatur, vtique virtus est. Et hoc contra illos qui dicunt paruam scientiam sufficere

Ioan. 16.

Magistri Ecclesiarũ desides.

2. Thes. 3. Psal. 127. Hieron.

Minister Christi ieiunare debet.

Castitas decet omnem personam.

Sacerdos Euangelicus.

sacerdoti. Quem enim plus est necesse sapere, quàm Iudicem animarũ? Debet igitur vtrumq; scire testamentũ, vt vtroq; cornu ventilet inimicos crucis Christi: Et sit semper paratus reddere rationẽ de illa fide & spe, quæ in nobis est. Et sit similis patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & vetera. *In longanimitate*, patientiæ scilicet & spei, vt nulla grauedine, vel longitudine aduersitatũ à virtute patientię & spei fatiscat. Et hoc contra illos, qui quolibet damno etiã temporali mouentur & muliebriter plorant: cùm ministrũ Christi, tãta deceat fortitudo, vt omnia temporalia ridens amittat. *In suauitate*, scilicet vt minister Christi non execretur, non irrideat peccatores, sed potius suauitate verbi, & exempli & veniæ, illos alat & alliciat. Et hoc contra illos, qui arroganter intonant & execrantur in populũ sibi cõmissum, calamũ conquassatum conterentes, & lignum fumigans extinguẽtes. *In Spiritu sancto.* Ac si diceret: Non solùm habeat minister Christi hanc vel illã virtutẽ, sed etiã ipsum fontẽ gratiarũ, Spiritũ sanctum: *In charitate non ficta*, vt scilicet non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate. Ficta est charitas cùm quis diligit in prosperis, & deficit in aduersis. Hoc contra illos qui blãdis verbis, liberalibus promissis, & fictis obsequiis diuites venerantur, quam non habent interius, exterius dilectionẽ simulantes. Quintò, præcipit vt exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in verbo veritatis, secundũ illud Esaię, Clama ne cesses, quasi tuba exta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Et alibi: Væ mihi, quia tacui. Et Apostolus, Prædica, inquit, verbũ Dei, insta opportunè, importunè. Debet autem verbum prædicator prædicare non suum, sed veritatis, quia scriptum est: Annuntiabis eis ex me. Et Petrus, Si quis loquitur, inquit, quasi sermones Dei. *In virtute Dei*, subaudis verbo veritatis proficiente: Quia nisi sit intus qui doceat, in vanum lingua laborat doctoris. Quia nec qui plantat, nec qui rigat, aliquis est, sed qui incrementum dat Deus. Et hoc contra illos est, qui sunt stulti & superbi: & qui se iactant in verbis suis, & in virtute sua, & in sapientia sua, non vt proficiant, sed vt glorioſi appareant.

Sacerdos debet scire vtrumque testamentum.

1. Ioan. 3.

Charitas ficta.

Esa. 58.

Esa. 6.

2. Tim. 4.

Ezech. 3.

2. Pet. 4.

2. Cor. 3.

Sextò

Sextò præcipit, *Vt exhibeamus nos sicut Dei ministros*, in recto vsu prosperitatis & aduersitatis. Quod fiet, si muniti fuerimus, *per arma iustitiæ à dextris & à sinistris*: Vt videlicet iustitia armemur, contra prospera, & contra aduersa, vt illa valeamus iustè moderari, & ista æquanimiter pati. Exponensque dexteræ partes & sinistræ subiungit: *Per gloriam & ignobilitatem*, subaudis exhibeamus nos sicut Dei ministros: vt scilicet nec per vanam gloriam nobilitatis vel virtutis extollamur, nec per ignobilitatem huius vel illius deiiciamur. Quod certè contra illos est, qui nobilitatem parentum suorum iactitant, vel ignobilitatem illorum erubescũt, *Per infamiam & bonam famã*, Vt videlicet infamiam, bonorum operum splendore superemus. Vel si ora detractorum, nec per bona opera obstrui possunt, æquanimiter feramus, scientes quia Christus dictus fuit seductor, verax, potator vini, & amator meretricum, vt Mariæ Magdalene: & Publicanorum, vt Matthæi. Bonam verò famam & operibus probemus, & per eam non nostram, sed Dei gloriam quęramus, & profectum proximorum. Iuxta illud: Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Quod verò dixerat per infamiam & bonam famam, exponens subdit. *Vt seductores & veraces*. A quibusdam enim habemur vt seductores, & tamen habemur ab aliis & sumus veraces. Sicut qui ignoti & reprobati habemur à quibusdam, & tamen sumus cogniti Deo, *Quasi morientes*, id est digni morte dicimur à quibusdam: *Et ecce viuimus*, & hîc vita virtutũ, & in futuro vita æterna. *Vt castigati*, propter peccata nostra dicimur à quibusdam, & tamen non sumus mortificati. Notandum verò est fratres mei, quod ait Apostolus: *Vt seductores, sicut qui ignoti: quasi morientes*: Et econtrario dixit, sine, vt sine, sicut sine, quasi veraces, noti viuimus: quoniam tanta debet esse in prædicatore sanctitas, quod non possit aliquis male dicere de eo, nisi mentiẽdo. *Quasi tristes*, subaudi sumus inter miserias huius seculi: & tamẽ in spe vitæ cœlestis sumus gaudentes. *Sicut egentes*, rebus scilicet temporalibus, tamen multos diuitiis cœlestibus locupletantes. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*.

Partes dexteræ & sinistræ.

Mat. 11.

Mat. 5.

dentes. Pensandum quoque est hic fratres mei, quoniam sicut tristes, sicut egentes, tanquam nihil possidentes dicit Apostolus: Et absolutè dicit gaudentes, locupletãtes, omnia possidentes. Ostendens quod omnia temporalia non verè sunt, sed quasi in somnio apparent. Sicut enim loquitur qui in somno aliquid vidit, quasi equitabã, quasi currebam, & huiusmodi. Spiritualia verò & cœlestia bona, verè sunt, quoniam sempiterna. Diuitiæ quippe fratres mei, & gloriæ & honores huius mundi, ita citò euanescunt, quod post mortem, nec etiam fuisse videantur.

Temporalia non verè sunt.

Psal. 75. Vnde Psalmista: Dormierunt, inquit somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. Econtra verò tristitia, egestas, & ignobilitas, quas patiuntur Sancti in hoc seculo, sic citò transibũt, vt post quasi somnum fuisse videantur. In futuro verò dabitur econtrario diuitibus pro vanis diuitiis vera & æterna paupertas: pro vana lætitia, vera & æterna tristitia: pro vanis honoribus, vera & æterna ignominia. Sanctis verò dabitur, pro vana huius seculi tristitia, vera & æterna lætitia: pro vana egestate, veræ & æternæ diuitiæ: Pro vana ignobilitate verus & æternus honor. Quibus nos adiungat Deus & Dominus noster, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA PRIMA
Quadragesimæ.

Mat. 4. *Dvctus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Quoniam quadragesimale Christi ieiunium hodie fratres charissimi inchoamus, conuenienter euangelica lectio historiam huius ieiunij continens hodie recitatur. In qua lectione hic primum nobis quærẽdum videtur, quare Christus Deus & Dominus noster, qui in sua sanctissima carne nullam penitus sensit rebellionẽ, ieiunare voluit & tentari. Ieiunare igitur & tentari voluit ob tres causas: ob ministeriũ, ob triũphum, ob exemplum. Ob ministeriũ, quoniam voluit demonstrare se & suum ieiuniũ per legem & Prophetas fuisse præfiguratũ. Ieiunauit quippe Legislator Moyses quadraginta diebus: ieiunauit quoq; & Helias eximius Prophetarum,

Quare Christus ieiunare & tentari voluit.

phetarum, totidem diebus. Ieiunauit etiam & Christus legis & Prophetarum Dominus, totidem diebus. In quibus & præmia ieiunantium pariter fratres attendamus. Ieiunauit Moyses quadraginta diebus, & loquutus est cum Deo, & accepit legem. Ieiunat quoq; & Helias, & cũ Deo loquitur, & flammeo rapitur curru. Ieiunat etiam Christus, & accedentes Angeli, ei ministrant. Sed cum Moyses & Helias homines vtiq; puri, post quadraginta dierũ ieiunium, non leguntur esuriisse, quare Christus verus Deus voluit esurire? Triplici de causa, vt scilicet se verum hominem demonstraret: vt sua esurie voluntaria, nostram necessariam redimeret, vt esuriendo, tentandi occasionem diabolo præberet. Ob triumphum quoque voluit Dominus ieiunare & tentari, vt scilicet nobis de carne, de diabolo, & de mundo triumpharet. Vicerat quippe diabolus primum hominem parentem nostrum, tentando eum de tribus, de gula, de cupiditate, de vana gloria. De gula eum tentauit & vicit, quando eum ambire scientiam boni & mali persuasit. De vana gloria siue superbia eum tentauit & vicit, quando vt ambiret, vt Deus esset, ei persuasit. In his tribus fratres charissimi, tota mundi malitia continetur, à quibus nos dehortatur Ioannes, dicens: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt: quoniam quicquid in mundo est, est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est ex Deo patre. His tribus victus homo, fuit subiectus omni malitiæ carnis, mũdi, & diaboli. Ieiunare igitur & tentari voluit Christus, vt nobis triumpharet de diabolo, carne simul & mundo. Diabolus quidem in iisdem tribus tentauerat & vicerat Adam. Tentauit & Christum, sed ab eo deuictus est. De gula quippe tentauit eum, cùm dixit. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Sed in tentatione sua Christus eum succumbit, cùm ei dicit: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei.* Ac si diceret: In tentando, de solo pane corporali mentionem facis, cũ homini magis sit necessarius spiritualis. De cupiditate tentauit Christũ, cùm ei dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me* Sed in ipsa tẽtatione à Christo superatur, cùm ei dicitur: *Scriptum est, Dominum*

Post ieiunium Moysis accepit legem.

Quare Christus esurüit.

1. Ioan. 2.

Deum

Nulla creatura eo cultu quo Deus adoranda est.

Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Acsi diceret: Nulla creatura eo cultu quo Deus, adoranda est. De vana gloria siue de superbia tentauit eum, cùm dixit ei: *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed in ipsa sua tentatione à Christo superatur, cùm ei dicitur: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Acsi diceret: Non est Deus tentandus, cum de ratione habemus quid faciamus. Porrò cum diabolus hac præcipuè intentione, Christum tentaret, vt tentando an filius Dei esset, (quod maximè scire cupiebat) exploraret, Dominus ita eius tentationes respondendo superat, vt eum semper dubium relinquat. Nõ enim ait me adorabis, vel me non tentabis, sed tantum in tertia persona testimonia legis induxit. Sic igitur diabolus victus & confusus fugit. *Et ecce Angeli accedẽtes ad Christũ, ministrabant ei.* Quod victoriæ signum est simul & deitatis.

Christus ieiunauit ob exemplum.

Ob exemplum etiam ieiunare & tentare voluit Christus, vt videlicet exemplo suo quomodo ieiunare, & quomodo tentationibus resistere debemus, demonstraret. Nec in faciendis solum instruxit nos, sed & in ordine faciendorũ. Primò quippe baptizatur in spiritu, & mox à spiritu ducitur in desertum.

Christus in faciendis & in ordine faciẽdorum nos instruxit.

Ieiunat, esurit, tentatur, superat, & ministratur ei. Nos quoque fratres charissimi, sequentes exemplum saluatoris nostri, si purè ieiunare volumus, prius in spiritu baptizemur. Sed quoniam nos post baptismum lapsi, iterum rebaptizari non possumus, saltem vel per pœnitentiam, quæ est in Ecclesia, lauachrum, emundemur: iuxta illud

Esa 1.

Esaiæ, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: Quiescite agere peruerse, & discite benefacere. Pœnitẽtia enim præcedere debet ieiunium, sine qua, nec ieiunium, nec aliquod bonum placere potest. Vt ergo Deo nostrum possit placere ieiunium mox in principio quadragesimæ, festinemus ad lauachrũ pœnitentiæ. Mundati verò per pœnitentiæ spiritum, non per nos, sed in seipso duce spiritu ducamur in desertũ, id est in vitam religionis. Quæ bene fratres dicitur desertum tum quia à multis deseritur, & à paucis colitur; tum quia

Pœnitẽtia præcedere debet ieiunium.

non

non habet luxus & luxurias voluptatũ, sed sequitur asperitatem virtutum, tendens sursum per arduam viam & angustam. In hoc igitur fratres charissimi deserto, ieiunemus quadraginta diebus, id est per totam hanc vitã præsentem, quæ per quatuor tempora protelatur. Ieiunium autem est tam spirituale quàm corporale. Spirituale ieiunium est ieiunare à peccato: Corporale ieiunium, est abstinere à cibo. Porrò spirituale ieiuniũ sine corporali semper valet: Corporale verò sine spirituali, nunquam valet, Vnde Dominus per Esaiam: Quod est inquit ieiunium quod elegi? nunquid tanquam circulum contorquere caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nonne hoc est ieiunium quod elegi dicit Dominus? Dissolue colligationes impietatis, pone faiculos deprimentes. Ieiunemus igitur fratres dupliciter, & à peccato in mente, & à cibo in corpore. Verum fratres, nobis qui per multa illicita offendimus, non sufficit, nisi etiam à quibusdam licitis abstineamus. Itaque vt per abstinentiam, à licitis expiemus, ea quæ commisimus in illicitis omnibus, sed etiam à licitis quibusdam ieiunemus, vt cum liceat nobis edere pisces, bibere vinum, molliter indui & iacere, abstineamus. Et quod ita facere debeamus, ostendit Dominus, qui ieiunãtes Israelitas, non solum de illicitis, sed etiam de quibusdam licitis reprehendit per Esaiam dicens: In diebus ieiuniorum vestrorum inueniuntur voluntates vestræ. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis, pugno impiè, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce arguit eos de hoc quod debitores suos repetebant: non quod hoc non sit licitũ, sed quia qui vult bene ieiunare, debet etiam à licito, & à quibusdam aliis abstinere. Debemus etiam fratres mei secundũ Ioëlem, sanctificare ieiunium, quod vtique fit per opera pietatis & misericordiæ. Eleemosyna verò sine ieiunio valet: ieiuniũ verò sine eleemosyna non valet. Vnde Dominus per Prophetã, Cùm ieiunatis, nunquid mihi ieiunatis? Et cum manducauistis & bibistis, nonne vobismet mãducauistis & bibistis? Sibi & nõ Deo ieiunat, & sibi & non Deo manducat & bibit, qui quod ieiunando sibi subtrahit, non pauperibus erogat, sed sibi percipiendum reseruat. Nos ergo fratres mei, cum ieiunamus,

Duplex ieiunium.

Esa. 58.

Sanctificandũ ieiunium.

Zach. 7.

Quomodo ieiunandū

mus, Deo non nobis ieiunemus: Quæ nobis subtrahimus, pauperibus tribuamus: ad mensam nostram Christum in pauperibus recipiamus, nudos vestiamus, infirmos visitemus, captiuos redimamus, sicut Dominus monet per Esaiam: Dimitte inquit eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Esuriendū ad exemplum Domini.

Esurire quoque ad exemplum Domini debemus fratres charissimi & corporaliter & spiritualiter. Corporaliter esurire debemus, vt videlicet non præueniamus esuriem, nec in fastidium vertamus, nec vltra modum extendamus. Esuriem fratres mei, præuenire non debemus, quod faciunt, qui comedunt antequam esuriant, qui horam canonicam comedendi non expectant. De quo vitio reprobatur Esau: qui modicum esurici ferre non valens, ob modicum lenticulæ suam vendidit primogenituram. Nos verò fratres, esuriem viriliter portemus, nec nisi in nona vel post nonam panem manducemus. Rursus nec esuriem in fastidium vertamus, quod faciunt qui viles cibos fugientes, delitiosis & exquisitis cibis, vel si hos non inuenerint, vilioribus accuratè & delitiosè paratis, gulæ plus satisfaciunt quàm naturæ. Ob primum vitium reprobantur Israëlitæ, qui fastidientes manna, carnes malo suo postulauerunt. Ob secundum verò vitium, damnantur filij Heli, qui communes carnes sacrificij fastidientes, accurate sibi deorsum procurabant. At nos fratres semper ita esuriamus, vt viles cibos non fastidiamus: sed cibos viles & viliter paratos, quasi delitias comedamus. Rursus nec esuriem nostrā vltra modum protendamus: quod faciunt illi qui duos vel tres dies sine cibo manentes, tandem nimium esurientes nimiam rapiunt refectionem: in vtraque nimietate peccantes pariter. Quod nos charissimi, deuitantes quotidie parum comedamus: quia melius est quotidie parum, quàm raro nimium manducare. Ita igitur comedamus, vt semper esuriamus: & ita semper esuriamus, quod quotidie parum comedamus. Quod vtique ieiunium tanto est sanctius, quanto habet magis temperantiæ, & vanæ gloriæ minus. Spiritualiter

Israëlitæ

Filij Heli.

ter etiam esurire debemus, illa vtique fame, quam Dominus promisit se missurũ in terram: famem scilicet non panis, non vini, sed famem verbi Dei: de qua Dominus in Euangelio · Beati, inquit, qui esuriunt & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Itaque fratres mei, esuriamus verbum Dei lectioni, orationi, & sacræ scripturæ meditationi assidè insistentes: esuriamus & sitiamus iustitiam, & hic eam auidè sectantes, & ad eius futuram in alia vita perfectionem toto desiderio festinantes. Tentari etiam exemplo Christi nos oportet, fratres charissimi, à diabolo, qui bene incipientibus inuidet & obsistit. Contra quem Sapiens nos hortatur: filij, inquit, accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Quippe quandiu diabolo non resistis, obsistere non curat: sed cùm resistere incipis, statim obsistit. Quãdiu enim filij Israel, fuerunt in Ægypto sub Pharaone, non leguntur tentati fuisse: sed ex quo inceperunt iter per mare turbum, tentantur de gula, cum quærunt carnes in deserto: in terra promissionis, de luxuria, cùm fornicantur cum Madianitis: de idololatria cum fabricant vitulum: De gloria, cũ petunt Sacerdotiũ & principatũ. Hæc omnia fratres mei, in figura contingebant illis. Nos quoque fratres mei, dum diabolo seruimus, nos non tentat, sed cùm incipimus ab eo discedere, & per baptismum pœnitentiæ, & ieiunium deserti ad æternã patriam tendere, statim nos tentat. Sed nos sequentes Christum, qui non per potentiã, sed per humilem responsionẽ eum deuicit: per humilitatem ei resistamus. Si nos suadet comedere, vel ante tempus, vel delitiosè, vel intemperanter, ei respondamus. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Si suadet vt sibi, vel pecuniæ, vel luxuriæ seruiamus, respondeamus: Scriptum est: Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Si tentat nos de gloria, vt in apertum nos præcipitet periculum, cũ habeamus de ratione quid sit faciendum, respondeamus: Non tentabis Dominum Deum tuum. Si tentat nos de luxuria, respondeamus, scriptum est, Adulteros & fornicatores iudicabit Deus. Si de mendacio, respondeamus: Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ.

Mat. 5.

Eccle. 2.

Quando diabolus nos tentat.

Mat. 4.

Hebr. 13.

Psal. 5.

1. Ioan. 2.

Si de

Si de odio: respondeamus, scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est: Et ad similes tentationes, similia inducamus de scripturis testimonia. Si sic fratres, si sic fecerimus, Deo auxiliãte vincemus & fugabimus diabolum, & aderunt nobis tanquam victoribus angeli & administratorij spiritus, conciues & coadiutores nostri, quibus gaudium est in cœlis coram Domino super vno peccatore pœnitentiam agente, quam nos purè agere concedat, qui pro nobis ieiunauit Iesus Christus Dominus noster qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Amẽ.

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE.

Philip. 3. 1. Thes. 4. *Fratres rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis qualiter vos oporteat ambulare & placere Deo, sic & ambuletis vt abundetis magis, &c.* In prima huius lectionis parte, fratres charissimi, rogat nos Apostolus, & obsecrat in Domino Iesu: id est, per Dominum Iesum adiurat. De quo? non vt mũdani homines de salute sua, sed de nostra. In quo ostendit se vt verum magistrum, & verũ patrem paterno affectu de nostra salute sollicitum esse. Quem nos quoque charissimi fratres, filiali affectu debemus audire & imitari. Non autem sufficit vero patri semel filium admonere, sed paterna sollicitudine, eadem ei reiterat sæpe. Sicut ipse alibi dicit: Eadem fratres, repetere vobis, mihi quidẽ non Philip. 3. pigrum, vobis autem necessariũ. Hinc est ergo quod admonitionem, quam prius fecerat, repetit cum subdit: *Vt quemadmodũ accepistis à nobis qualiter oporteat vos ambulare & placere*, id est ambulando placere Deo, *sic & ambuletis, vt abundetis magis* Comparat autem hic Apostolus vitam ambulationi. Qui enim rectè ambulat, tria facit: proponit sibi metam ad quam festinet, viam intrat, mouet se addendo passum passui, leugam leugæ, dietam dietæ, quousque ad propriam metam perueniat. Sic fratres mei, sic quicunque vult rectè viuere, metam sibi statuat Deum, viam intret, id est fidem teneat. Proficiendo addat bonum opus bono operi, bonum studium, bono studio: bonam dietam, bonæ dietæ: vt sic ad Deũ valeat peruenire. Non enim sufficit fides sine operibus habenti locum & tempus, sicut nec via sine progressu. Quia, vt

ait

ait Iacobus, fides sine operibus mortua est: & item, dicis quia credis, & dæmones credunt & contremiscunt. Sed nec sufficiunt opera sine fide, sicut nec celerrimus cursus extra viam. Itaque fratres mei, si rectè vultis ire, proponite vobis in omnibus finem Deum. Qui enim vadit & nescit quò, nō ambulat, sed errat. Tenete fidei viam, quia sine fide impossibile est quisquam placere Deo. Proficite etiam in operibus, sine quibus non est promouere, sed remanere. Quæ autem sit recta ambulatio & placita Deo exponit cùm subdit: *Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra.* In quibus verò consistat sanctificatio, ostendit cùm subdit: *vt abstineatis à fornicatione, vt sciat vnusquisque possidere vas suū in sanctificatione & honore, &c.* Consistit autē sanctificatio in duobus: in euitatione passionum desiderij per munditiam, & in euitatione offensionis proximi, per innocentiā. Porrò spiritualem fornicationē ostendit euitandā cùm ait: *Vt abstineatis à fornicatione.* Dicitur autem idololatria rectè fornicatio, quia sicut per temporalē fornicationem sponsa à sponso separatur, ita per idololatriam anima à spirituali sponso Deo seiungitur. Ideoque fratres semper firmā fide Deo adhæreamus, cùm nullorum malorum, sed bonorū auctorem credamus. Credamus nos omnia bona quæ habemus ab eo accipere: sola verò mala à nobis esse. Credamus eum quoq; remuneratorē omniū bonorum, vltorem verò malorum. Credamus & cætera quæ fides tradidit Catholica. Passiones quoq; desiderij monet per munditiā excludendas, cū subdit: *Vt sciat vnusquisque possidere vas suum in sanctificatione & honore, non in passionibus desiderij, sicut Gentes quæ ignorant Deū.* Vocat autem cor siue corpus nostrū vas: eo quod in ministeriū Dei creatū est. De quo alibi idem Apostolus: Nónne licet figulo facere de eadem massa aliud quidē vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Et quidē fratres mei, Deus omnia corda & corpora nostra, quantum in ipso est, fecit in honorem. Ille verò corpus & cor suum, vas contumeliosum facit, qui per turpitudinē & fœditatem vitiorum, se turpem & immūdum reddit. Monet ergo nos Apostolus, vt sciat vnusquisque possidere vas suum: *in sanctificatione*, id est, emunda-

Fides non sufficit sine operibus.

Heb. 11.

Sanctificatio in duobus consistit.

Idololatria.

Rom. 9.

Corda & corpora nostra facta in honorem.

tione: vt scilicet omnis turpis cogitatio à mẽte, & omnis turpis actio à corpore tollatur. Sciat etiam possidere vas suum in honore: vt scilicet cor corpusq; nostrũ vitutibus ornetur, vt ita habitatore Spiritu sancto honoretur. *Non in passionibus*, inquit, *desiderij*. Passiones desiderij vocat omnes turpes voluntates, quibus gentes Deum ignorantes inuoluũtur ignari Dei & vitæ æternæ, more ferino ad omnes carnis voluptates tanquã ad magna bona absque freno currunt. Sed si sunt passiones, quomodo sunt desiderij, vel si sunt desiderij, quomodo sunt passiones. Passiones quidẽ fratres mei, quantũ ad spiritum sunt, qui per eas patitur, excæcatur & à Deo seperatur. Desiderij verò sunt, quantũ ad carnem, quæ in eis temporaliter delectatur. Contra hoc orat Psalmista: Non tradas, inquit, me à desiderio meo peccatori. A desiderio suo peccatori traditur, qui per impletionem desiderati peccati diabolo mancipatur. Hinc etiam per eundem Prophetam Dominus dicit: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis. Hoc fratres mei, est signum magnæ iræ Dei, quando peccatoris desideriũ non impedit, sed eum in desiderata peccata cadere permittit. Itaque fratres hæc mala desideria fugiamus, & munditiam mentis, (quæ sola videbit Deum) omni vigilãtia custodiamus: vt vas cordis & corporis nostri possideamus, & non ab eis possideamur, sed eorum prauos motus retundamus, vt inhabitatore Deo, honorari mereamur. Offensionem quoque proximi euitandam nobis, monet Apostolus, cùm subdit: *Ne quis supergrediatur, vel circumueniat in negotio fratrem suum*, id est, nec per violentiam, nec per fraudem, nec apertè, nec occultè ei noceat. Hoc præcipuè negotiatores & mercatores confutat, & omnes qui faciunt lucrum sibi cum damno proximi, cum lex dicat naturalis, Non facias alij quod tibi non vis fieri. Qui habent apud se pondus & põdus, mensuram & mensuram, vlnam & vlnam. Cùm dicat Salomõ: pondus & pondus, statera & statera, vtrunq; est abominatio apud Deũ: Qui iurant vt fallant, iuxta quod idem Salomon dicit: Malum malum est dicit omnis Emptor, cùm autem recesserit, tunc gloriabitur. Confutat etiam nihilominus illos, qui

Passiones desiderij.

Psal.139.

Psal,8.

Signum iræ Dei.

Negotiatores & mercatores.

Prou.20.

qui in iudicio opprimunt pauperem prece vel pretio, iura subuertentes, vt iungant domum ad domum, viniam ad viniam, agrum ad agrũ. Quod fratres mei, omni modo cauete, quoniam vt subiũgit Apostolus, Deus vindex est talium. Puniet videlicet qui prędicta operantur, vel tẽporaliter ad purgationem, vel æternaliter ad damnationẽ. Nos ergo fratres, dum licet peccata nostra lachrymis abstergamus, fide & obedientia Deo adhæreamus, vas nostrum per munditiam sanctificemus, & innocentiam proximis exhibeamus: quoniã, vt subiungit Apostolus: *Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem & honorem, vt simus sancti, sicut & ipse sanctus est*: Misericordes, sicut ipse misericors est. Iusti sicut ipse iustus est: Et in futuro glorioſi, sicut & ipse glorioſus est: dij, sicut ipse Deus est. Quam sanctificationẽ, & quem honorem det nobis qui inhonorari voluit propter nos Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Amen.

In iudicio pauperes nõ opprimendi.

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE.

Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa, rogabat eũ dicens, & reliqua In hac sancti Euangelij lectione fratres chariſſimi, primò quæ ad literã, secũdò quæ ad allegoriã, tertiò quæ ad tropologiam pertinent, videamus. Primò igitur iuxta literam cõmendantur nobis magnæ virtutes istius mulieris. Cuius eò magis admiranda est deuotio, quia cùm esset gentilis & expers legis & Prophetarum, tamen sanctarum, quę in eis continentur, non fuit expers virtutum, habuit, quippè fidem, feruorem & humilitatem, fidem habuit, quãdo Christum vt Deum adorauit, & eum absentem filiam sola voluntate sanare posse credidit. Feruorem mentis habuit, quę tam deuotè non minus mente quã voce clamauit, quod Apostolos ad interpellãdum pro se cõmouerit. Perseuerantiã habuit, quando primo & secundo quasi spreta, tamẽ à precibus non destitit, donec petitum impetrauit. Humilitatẽ habuit, quæ non solùm canibus, sed etiam catulis sese cõparauit, & se indignam iudicans pane, micas cadentes postulauit: Et quia talis tantaque fuit, ideò à Domino in fide laudari, & in

Mat. 15.

Fides Chananæ.

Feruor.

Perseuerantia.

Humilitas.

Mulier Chananea quid significat.

postulato meruit exaudiri. Mysticè verò mulier ista collectam de gentibus significat Ecclesiã, quę de errore idololatriæ & sorde vitiorum egressa, rogat Dominũ pro qualibet suæ congregationis persona à diabolo dementata. Qui enim laborat inglubie vel luxuria, vel auaritia, vel ira, vel inuidia, cæterisve vitiis, à diabolo vexatur: Et tantò peius, quantò scienter & spõtaneè ei famulatur. Quod si sancta Ecclesia pro huiusmodi persona, Dominũ cum firma fide, cum magna deuotione, cum perseuerantia, & humilitate rogauerit, per intercessionem Apostolorum, aliorumq; sanctorum exaudiet Dominus, & personã pro qua rogatus fuerat, à potestate diaboli liberabit. Propterea fratres charissimi, quãdo videmus in Ecclesia personã diabolicæ seruituti mancipatam, nõ cessemus à precibus, sed clamemus corde, clamemus voce, clamemus communiter, clamemus singulariter, clamemus perseueranter.

Iaco. 5.

Sed si teste Iacobo multũ valet deprecatio iusti assidua, multò magis plus valebit multorum assidua deprecatio iustorum. Nec simus fratres de numero illorum, qui malis Christianis, & falsis fratribus, non solùm non compatiuntur, sed etiam execrantur. Et non solùm eorum conuersionem non rogant, sed etiam timent, & quasi peccatores nunquam fuerint, peccatores inuenire veniam nolunt. Et quare hoc? Quoniam viscera charitatis non habent: non attendentes quoniam iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam. Nos ergo fratres, viscera charitatis & misericordiæ semper habeamus, præcipuè peccatores, ad emendationem precibus & admonitionibus reuocare satagamus. Si enim fratres mei, magis compatiendum est misero, magis compatiendum est iniquo, quàm egeno. Et si Deus non venit vocare iustos sed peccatores, nos exemplo eius peccatores ad conuersionem vocemus. Scientes quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum, non solùm alienorum, sed etiam propriorum. Tropologicè etiam hæc mulier docet nos, quid vnaquæque persona pro filia sua, id est anima sua, à diabolo malè vexata Dominum rogatura facere debeat, quid petere, & quomodo, &

Mat. 9.

Iaco. 5.

do, & per quos impetrare valeat. Rogatura enim hæc mulier pro filia sua a dæmonio vexata, exiit de finibus suis, & ad Deum accesit. Exeamus primo de veteri & mala conuersatione nostra per pœnitentiam, & mente accedamus ad Dominum, deseramus mente vitia & peccata nostra, & fide, spe, & amore sequamur Dominum. Hinc ipse dixit ad Abraham: Egredere de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui, &c. id est, Egredere de amore terrenorum, & de cogitatione carnalium vitiorum, & de potestate diaboli: & bonis spiritualibus te ditabo. Et Psalmista: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tuis. Qui enim adhuc mente in peccato habitat, in vanum laborat. Vnde dicitur: Cùm leuaueritis ad me manus vestras, non exaudiam vos: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Petiit autem mulier non aurum, non argentum, non honores, sed tantùm filiæ suæ salutem. Petamus & nos fratres à Domino non transitoria, sed æterna: Non terrenam substantiam, sed tantum animæ nostræ salutem. Sic enim Dominus in Euangelio iubet, Nolite, inquit, solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? sed primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Qui enim vana postulabat & vanè, vanus est. Vanè autem ideò dico, quoniam cùm Ecclesia rogat pro fructibus terræ, & pro cæteris temporalibus bonis, quoniam non vana intentione, sed in Deo & ad Deū hoc postulat, non ideò vana est. Sed qui vana, & vana intentione postulat, ille vtique vanus est. Qui autem mortem vel damnum vel vltionem inimici sui petit, malus est. De qualibus Iacobus ait: Petitis enim & non accipitis, eò quod malè petatis, Ostendit quoque hæc mulier quomodo petendum sit, quæ cum fide, cum desiderio, cum perseuerantia, cum humilitate postulauit. Petamus & nos fratres cum firma fide, vt bonū æternum quod poscimus, Deum potentem dare credamus, & nos consequuturos cum certa spe præstolemur. Qui enim in aliquo istorum dubitat, vel de se desperat, vel non bene credit, vel non bene sperat, & ideò non consequetur quod rogat. Vnde Iacobus: Si quis, inquit, indi-

Gen. 12.

Psal. 44.

Esa. 1.

Aeterna, non transitoria petēda.

Mat. 6.

Iaco. 4.

Petendum cum bona fide.

Iaco. 1.

get sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans, nam qui hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur. Non ergo æstimet ille se acceptu-
rum aliquid à Deo. Petamus & cum desiderio fratres
mei, clamantes plus corde quàm voce. Sicut Moyses &
Susanna tacentes clamabant, non oremus solis labiis, si-
Mat.15. cut illi quos accusat Dominus dicens: Populus hic labiis
me honorat, cor autem eorum longè est à me Non ore-
mus tepidè, quoniam tepidos vanæ cogitationes infe-
Eccle.10. stant. Et iuxta Salomonem, muscæ morientes perdũt suauitatem vnguenti. Etsi nos infestauerint vanarum phantasmata cogitationum, nos magno feruore, eas à nobis repellamus, sicut scriptum est: Quoniam descenderũt vo-
Gen.15. lucres cœli super sacrificia, & abigebat eas Abraham.
Non oremus multiloquio sicut hypocritæ, sed sicut Do-
Mat.6. minus ait: Cùm oraueris intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio, ora patrem tuum. Ad literam fratres, secretũ sacratumq; locum eligere debemus ad orãdum. Sed & mysticè intra secretum cordis nostri nos debemus concludere, tam intentione quàm cogitatione, ne ad exteriora pervagemur, & ostiũ sensualitatis nostræ obserere debemus, ne vanæ cogitationes & diabolicæ tentationes, quæ maximè orantes infestare solent, ab orationis contemplatione nos valeãt perturbare. Petamus & cum perseuerantia: Nam & si Deus postulata differt, non tamen aufert. Deus enim non spernit preces pauperũ, sed ideò differt vt plus rogemus, & plus rogantes, plus mereamur. Vnde ipse in
Luc.11. Euangelio iubet nos perseueranter postulare. Petite, inquit, & accipietis: quærite, & inuenietis. Quærite operando, pulsate perseuerando. Omnis enim qui petit perseuerãter, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.
Petendum cum humilitate. Petamus & cũ humilitate fratres charissimi, reputãtes nos immundos canes, & ad vomitum sordium nostrarum sæpè reuersos: pane filiorum, Apostolorum scilicet & Martyrum, & aliorum sanctorum gratia indignos: Sed flagitemus aliquãtulas largitatis suę minutias nobis immeritis impertiri. Per quorũ verò intercessiones à domino mereamur audiri, demonstratur nobis in muliere ista, quæ

per

per intercessionem Apostolorum à Domino postulatum impetrauit, dicentium: *Dimitte illã, quia clamat post nos.* Clamemus & nos fratres mei post Dominũ & post Apostolos, cæterosq; sanctos: Clamemus suspiriis, clamemus & lachrymis: quatenus deuotione cordis eorũ viscera cõmoueamus, vt pro nobis sancti apud Deum intercedant. Quod vtiq; fratres fiet, si Deum in sanctis suis honorauerimus: si eorum altaria donis & luminaribus illustrauerimus, si solemnitates eorũ deuotè celebrauerimus, si eorum memorias in letaniis & orationibus frequentaueri-mus, vt tandem nostra deuotione promoti clamẽt & ipsi pro nobis: Domine dimitte illos, quia clamant post nos, Dimitte illos exaudiendo, quia precibus pulsant nos. At illorum proculdubio interuentione propitiabitur Dominus, animã nostram liberans à dæmonio. Et hic vt tentationes eius superemus, & in futuro ne amplius ab eo tentari valeamus. Ipso præstãte qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA TERTIA Quadragesimæ.

Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, &c. Bipertita est lectio ista fratres charissimi: Primò enim nobis præcipit Apostolus, vt dominũ imitemur. Secũdò ostẽdit, in quibus eũ imitari debemus. Præcipiẽs igitur primò nos imitari Dominũ ait: *Estote imitatores Dei.* Sed quia quidã peruersè voluerũt imitari Deũ, attribuendo sibi diuinitatem, auctoritatem, & ea quæ solius Dei sunt: vt Iupiter, Simõ, & Cosdroë. Et adhuc quidam faciunt, qui putant se aliquid boni vel posse vel habere ex se, ideò adiungit Apostolus, *sicut filij charissimi.* Filius quippè charissimus imitatur bonũ patrem, non vt vsurpet eius dominium & auctoritatẽ, sed vt respondeat ei in moribus, vt scilicet diligat patrem suum, sicut diligitur ab eo: vt sit prudens, honestus, iustus, & moribꝰ ornatus sicut pater. Quis fratres charissimi, quis potuit, melius imitari Deũ patrẽ in æqualitate, & potentia, & auctoritate, quã eius vnicus & cõsubstantialis filius, Dominus

Ephe. 5.

Filius charissimus imitatur bonũ patrem.

Phil.2. noster Iesus Christus? Tamē ille, vt ait Apostolus, nō rapinam arbitratus est esse se æqualē Deo. Non enim dixit se esse à se, sed à patre: Nō dixit se venisse à se, sed à patre. Non dixit se quærere gloriam suam, sed gloriam patris. Non dixit suam doctrinam esse suam, sed patris: Quia pater, inquit, maior me est. Ergo tu superbe puluis, quomodo audes vel potētiam, vel dominium, vel auctoritatem tibi arrogare? Quomodo potes sentire aliquid boni ex te habere? Quomodo præsumis non Dei, sed tuam gloriam vel voluntatē quærere? Hanc igitur chariſſimi peruersam imitationē & idololatriā fugiamus, & Deū bona imitatione imitemur. Imitemur eum virtutibus & moribus. Virtutibus quippè, non auctoritate sibi similē creauit hominē, sed homo peccando se malè à Deo dissimilauit, & se malè ei similauit. Sed & nos fratres peruersam euitemus imitationem, & ad bonam redeamus imitationem.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus in quibus Deum imitari debeamus, cùm subdit: *Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, &c.* Porrò in tribus præcepit Deū imitari. Videlicet vt faciamus pro eo, quod ipse fecit pro nobis: vt ea quæ ipse odio habet, odio habeamus: Vt ea quæ ipse diligit, diligamus. Primò igitur nos hortatur Apostolus, vt faciamus pro Christo quę ipse fecit pro nobis, cū dixit: *Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* In dilectione ambulat, qui diligit, & opera dilectionis facit. Hortatur ergo nos vt quēadmodum Christus dilexit nos, & hoc opere probans tradidit semetipsum pro nobis, ita & nos eum diligamus, & tradamus nosmetipsos pro eo. *Tradidit*, inquit, *seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Oblationem, quando obtulit se ad obediendum patri pro nobis. Hostiam, quando se ad patiendū, & hoc in odorem suauitatis, quoniam in hoc sacrificio plusquam in cæteris delectatus est pater. Vnde & de eodem dixit: In quo mihi bene com-

Deū in tribus imitādum.

Mat.17. placui. Nos quoque fratres offeramus nosmetipsos patri pro ipso, ad obediendum & compatiendum pro ipso. Et si deest persequutor qui nos pro ipso mactet, nos tamen mactemus in nobis carnales concupiscentias, & cru-

Gal.5. cifigamus membra nostra cum vitiis & concupiscentiis,

vt

vt scilicet manus crucifigantur, ne extendantur vltrà ad agendum malè. Pedes crucifigantur, ne de cætero malè ambulent. Crucifigamus corpus nostrum, ne de cætero malè delectetur, & similiter cætera membra. Secundò monet nos Apostolus, vt ea quæ Deus odio habet, odio etiã habeamus, cùm subdit: *Fornicatio autẽ & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Fornicatio fratres, dicitur, omnis complexus maris & fœminæ præter legitimum matrimonium, comprehendens simplicem fornicationẽ, adulteriũ & mœchiam. Immunditiam verò vocat Apostolus omnem incœstum Sodomiticum, & bestialem coitum. Auaritiam verò vocat omnem inordinatam concupiscentiam acquirendi vel retinendi vltra modum: quę vt posteà subiungit, *est idolorũ seruitus*, quia quod quis plus diligit, & plus colit Deus eius est. Ergo qui plus diligit nummum quàm Deum, nummum sibi constituit Deum. Qui plus colit ventrem quàm Deum, ventrem sibi constituit Deum. Qui plus colit meretricem quàm Deum, meretricem sibi cõstituit dominam. Hæc autem fratres mei, ita cuitare debetis, vt nec nominentur in vobis, necdum in vobis sint, sicut decet sanctos. Sic sanctè, sic castè, sic iustè viuere debetis, vt nullus audeat aliquam infamiam fingere de vobis: Et non solùm hęc maiora crimina vitentur à nobis, sed etiam hęc minora: *Turpitudo, stultiloquium, & scurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Turpitudinem etiam loquendi fratres, caueamus, quia non possumus turpiloquium amare, & ipsam turpitudinem horrere. Paulatim enim per turpiloquia pudor excutitur, & econtrario transit sermo in effectum, si honesta loquamur. Stultiloquium verò dicitur, quicquid nec oportuno tempore, nec oportuno loco, nec iusta causa dicitur. Scurrilitas dicitur, quicquid cum quadam vrbanitate profertur, causa mouendi risum. Porrò hæc & similia fratres, cauere debemus, quoniam si (teste Domino) de omni verbo otioso reddituri sumus rationem, quid ergo erit de scurrilitate? quid de detractione? quid de adulatione? quid de mendacio? quid de periurio? Perdes, inquit Propheta, omnes qui loquũtur mendaciũ. Et, Os quod mentitur, occidit animam. Quæ ergo loquu-

Immunditia.

Fornicatio quid.

Auaritia.

Turpitudo.

Stultiloquium.

Scurrilitas.

Mat. 12.

Psal. 5.

Sap. 1.

tio debet esse in nobis? Gratiarum, inquit, actio, benedictio, oratio, & cætera bona verba. Sunt ne supradicta cauenda? Vtique: Quia vt de cæteris minoribus taceam. *Hoc scitote, quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorũ seruitus, non habet hæreditatẽ in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis*, dicẽs: vel hęc esse venialia, vel impios non esse iudicandos. *Propter hoc enim venit ira*, excæcationis scilicet & reprobationis, *in filios diffidentiæ*, id est, perfidię. Sed vos fratres, *Nolite fieri* per imitationẽ, vel per consensum *participes* eorũ. *Eratis enim aliquando tenebræ*, id est, tenebrosi vitiis scilicet sicut prædixi: *nunc autem lux in Domino*, id est, nunc estis illuminati in Domino. Tertiò monet Apostolus, vt ea quæ Deus diligit, diligamus & faciamus, cùm subdit: *vt filij lucis ambulate*. Quia filij Dei estis qui est lux, opera lucis facite. Mala opera, dicuntur opera tenebrarum, tum quia ad æternas tenebras ducunt, tum quia mentem excæcant, tum quia faciens ea vult latere: iuxta illud, Qui malè agit, odit lucem. Econtrariò verò bona opera dicuntur opera lucis, tum quia æternam lucem ducũt, tum quoniam hominem intus illuminant, tum quia diligunt lucem. Porrò in quibus opera lucis consistant, ostendit cùm subdit: *Fructus autem lucis est in omni bonitate, iustitia & veritate*. Bonitas est in mente, iustitia in opere, veritas in ore. In his ergo tribus, tota perfectio sanctitatis comprehenditur. Hoc est quod Psalmista dicit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: Qui loquitur veritatem in corde suo, &c. Itaque fratres mei, cum omni desiderio studeamus imitari verum Deum & Patrem nostrũ Iesum Christum. Diligamus eum, sicut ipse dilexit nos, odeo habeamus turpitudines & vitia, quæ ipse odit. Amemus bonitatem, iustitiam, & veritatem, quas ipse amat. Satagemus eius vias & exẽpla sequi, vt eo duce & adiutore ad ipsum peruenire mereamur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

Mala opera dicũtur opera tenebrarum.

Ioan. 1.

Bona opera dicũtur opera lucis.

Psal. 14.

DOMINICA TERTIA IN Quadragesima.

Erat

ERat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, etc. Luc. 11.
Hæc lectio fratres charissimi, tantò nobis auidius est audienda, quantò magis necessariam animabus nostris continet medicinam. Nos ergo fratres, primò quæ ad historiam, secundò quæ ad moralitatem, tertiò quæ ad allegoriam pertinent, inquiramus. Considerandа sunt igitur iuxta historiam quatuor: primò namq; Dominus dæmoniacum curat: secundò detractores confutat: tertiò quid contemptoribus contingat, ostendit: quartò mulierem se laudantem corrigit. Primò igitur Dominus compatiens dæmoniaco, expellit ab eo dæmonium, quod ab effectu dicebatur mutum, quia hominẽ mutum efficiebat. Porrò iste dæmoniacus, non solùm mutus, sed etiam (teste Euangelista alio) surdus erat. Tria ergo miracula in vno homine à Domino facta sunt. Surdus audit, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur, & diuinã in Christo potentiam admirantur turbæ. Secundò detractores confutat & erudit. Detrahebant quippè ei & illi qui dicebant: *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Quoniã quę Dei erant, diabolo ascribebant: & illi qui tentantes signum de cœlo quærebant. Quoniã hæc quę Dominus operabatur parua vel nulla esse putãtes, eum impotentẽ dare signũ de cœlo dicebãt. In quo fratres mei, pensandũ est, quanta sit malitia detractorũ, qui cùm semper sint suspitiosi, & ad omnia mala creduli, tamen ad bona aliorũ semper sunt increduli: semper ea negantes. Vel si negare nõ possunt, parua vel nulla esse dicẽtes, vel finẽ vel modũ facti peruertentes. Sed qui, quod solius spiritus sancti est, diabolo adscribit, teste alio Euãgelista, in spiritũsanctum, peccat, vel vix, vel nunquã inde veniã consequuturus est. Propterea fratres, omni sollicitudine, vitiũ inuidiæ & detractionis studeamus euitare. Porrò cùm Dominus cordium inspector, malas detrahentium cogitationes inspexisset, eos tamen secundũ misericordiã suam cõfutare & erudire nõ dedignatus est. Confutat autẽ eos cùm probat illud quod dicebant falsum esse, & eos illud per inuidiã dixisse. Porrò illud quod dicebant, probat esse falsum, cùm dicit: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domũ cadet. Et si satanas in se diuisus est, quo*

Tria miracula in vno homine.

Malitia detractorum.

Regnum Satanæ.

quomodo stabit regnum eius, quia dicitis me in Beelzebub Principe dæmoniorum eiicere dæmonia? Vocat autem hîc Dominus regnum satanæ malitiam, qua omnes maligni spiritus ita obdurati & coniurati sunt, vt nihil nisi malum facere velint, vel possint. Quod si satanas satanam eiicit, aliquid boni facit, cùm satanam de obsesso eiicere vtique bonum sit. Quod si vnus satanas malum, & alter bonum facit, cõcordia & cõiuratio, quam habebant in malo, non stabit, quod vtiq; falsum est. Probat autem illud quod dixerant illos per inuidiam dixisse, cùm subdit: *Et si ego in Beelzebub Principe dæmoniorũ eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt?* Acsi diceret: Si eiectionẽ dæmoniorũ à filiis vestris exorcitis factã, Deo & non diabolo adscribitis, cur eandẽ rem à me factã diabolo, & nõ Deo adscribitis? Quia de me non simpliciter, sed per inuidiam loquimini, ideo, inquit, *ipsi iudices vestri erunt.* Quia scilicet illi sciũt tam me quàm se non in Beelzebub, sed in Spiritu sancto eiicere dæmonia. Ideò ipsi vestri mendacij iudices erunt. Postquam verò Dominus inuidorum calumniam confutauit, mox vt benignus Dominus eos erudit, cùm subdit: *Quod si ego spiritu Dei eiicio dæmonia*, quod vtiq; verum est, *profectò peruenit in vos regnum Dei.* Illud videlicet regnum de quo per Esaiam dicitur: Multiplicabitur eius imperium, & regni eius nõ erit finis. Acsi diceret Dominus: Quia si iam dæmones eiicere ab hominibus incœpi, iam in ipsis incipio regnare hominibus, diabolo vsurpatũ regnum auferens & mihi restituens. De quo vos participes esse possetis, si credideretis. Quomodo autẽ diabolo regnũ diu possessum auferet, exponit, cùm subdit: *Cùm fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt omnia quæ possidet. Sed si fortior eo superueniẽs vicerit eũ, vniuersa arma eius auferet*, id est, omnes versutias eius euacuat, in quibus cõfidebat. *Et spolia eius distribuet*, id est, captiuos liberãs, alios faciet Apostolos, alios Euãgelistas, alios Pastores & Doctores, &c. *Qui nõ est*, inquit, *mecũ, cõtra me est*, id est, qui non consentit mecũ fide & amore, non est de regno meo, sed de regno aduersarij. *Et qui non colligit mecum, dispergit*, id est, qui non amat mecum concordiam, amat cum diabolo dissensionem & dispersionem. Tertiò demon-

Esa. 9.

Ephe. 4.

Qui non amat cum Deo cõcordiã, amat cum diabolo dissensiones.

strat

strat Dominus quid negligentibus cõtingat, cùm subdit: *Cùm immũdus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquosa, quærens requiem, & non inuenit.* In cordib⁹ aridis & inaquosis, nõ potest, fratres mei, requiescere diabolus, quia tantùm cordia mollia, voluptuosa, & fluxa diligit. Proinde rigorem iustitiæ & asperitatem religionis, & virtutum arduitatem sequamur, vt diabolus in nobis requiem inuenire non possit. *Reuertar*, inquit, *in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit domũ vacantem*, scilicet à bono, *scopis mundatam & ornatam.* Metaphoricè loquitur, quia inuenit sibi domũ mundam & paratam: *Et assumit alios septem spiritus secum nequiores, et ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit*, inquit, *& generationi huic pessimæ.* Diabolus quippè propter legem à Domino datam expulsus, primò à Iudęis transiit ad Gentes, sed posteà illis Christo credentibus, cùm iam locum requiei non inueniret in eis, rediit ad Iudæos, & inuenit in eis domum vacantẽ ab omni bono, scopis mundatam, id est, legalibus purgationibus quasi mundatam, & simulatis virtutibus quasi ornatam. Et assumit septẽ alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: Et fiunt nouissima populi illius peiora prioribus. Peiores enim sunt Iudęi in Synagogis suis blasphemantes, quàm ante legẽ Deũ ignorãtes. Quartò Dominus se laudantem corrigit mulierẽ, non quin verum & vera intẽtione dixerit. Beatus quippè imò beatissimus est venter, qui Dominum portauit, & vbera quæ eum lactauerunt: sed causam corrigit per aduerbiũ correctiuũ, imò. Non enim inde mater eius beata est, quia eum corporaliter portauit & lactauit: sed sicut Elizabeth ait, Beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino. Et sicut Dominus subiungit, Beata es Maria, & cæteri omnes beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Moraliter autẽ fratres mei, in quatuor instruit nos Dominus. Primò quippè compatiẽs & curans dæmonia, cùm docet nos exemplo sui itidẽ agere. Debemus quippè fratres mei, hominibus malignis diabolica fraude irretitis, & charitate multum compati, & eos inquãtum possimus, exhortationibus, minis, & promissis, & orationibus, à dia-

Luc. 1.

à diabolica seruitute liberare, & Domino lucrifacere, vt auris cordis prius surda, ad intelligendum Dei verbum: Et os prius mutum ad benedicendum Deum aperiantur: Quæ maior enim probitas potest esse in Christiano, quã Christi triumphum imitari. Christus virtute propria alligauit fortem armatum, infernum fregit, vasa captiuitatis eduxit & reduxit. Nos quoq; fratres mei, eo auxiliante, quantum valemus, infernum frangamus, cathenas diaboli confringamus, fratres nostros captiuos ab ipsius faucibus eripientes, ad Christum cum victoria reuertamur, tot coronas recepturi, quot per nos sunt à diabolo liberati. Deinde ostendens Dominus satanam ad sibi ablatas personas semper velle redire, incutit illis timorẽ, & magnam vigilandi necessitatem. Illos enim quos diabolus tentando vicit, & victor diu tenuit, multum dolet amittere. Inde est quod totis fraudibus & tentationibus ad illos armatur impugnandos. Vos verò fratres, qui fraudibus diaboli diu captiui fuistis, sed nunc per misericordiam Dei à faucibus diaboli erepti estis, vigilate, & contra eius tentationes viriliter vos armate. Iuxta quod Sapiens monet, Fili, accedens ad seruitutẽ Dei, prepara animam tuam ad tentationem. Si enim (quod absit) aliquem reoccupare valuerit, cum maiori tyrannide in eum sæuiet quàm prius, vt sint nouissima miseri hominis illius peiora prioribus. Respondens quoq; Dominus detractoribus suis, qui illum in Beelzebub eiicere dæmonia mentiebantur, instruit nos exemplo sui, quomodo nos habere erga detractores nostros & quid eis respondere debeamus. Dominus quippè patienter eorum detractiones sustinẽs, multa vitia quæ in se habebant, eis improperare noluit, sed tantùm illud quod de se dixerant, falsum esse ostendit. Et quod mirabilius est, verbum salutis eis prædicauit. Nos quoque fratres mei, inuidorum nostrorum detractionibus non commouemur, nec eis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, reddamus, sed cum omni patientia, obiectam nobis contumeliam falsam esse ostẽdentes, etiam illos instruere & lucrari Deo satagamus. Respondens etiam Dominus mulieri se laudanti, quomodo erga laudatores & adulatores nostros nos habere, & quid eis respon-

Ecclc. 2.

Quomodo habere nos oporteat erga detractores.

respondere debeamus demonstrauit. Non enim laudantem se mulierem laudauit, vt quidam solent, nec ad laudes mulieris interius lætatus est, vt quidam solent: nec ei tacendo concessit, vt quidam solent, sed eius verba quasi vera non essent, correxit. Quidam enim ita glorioſi sunt, vt laudantem se statim laudent, reddentes adulationem pro adulatione? Alij verò, quãuis dicãt se laude indignos, tamen ad laudem interius lætantur. Alij autem etsi penitus nihil respondeant, tamen laudationi tacendo consentiunt. Nos ergo fratres, exemplo Christi, laudes humanas fugiamus, laudatoribus nostris, vicem reddere, vel vlterius ad laudes lętari, vel eis tacendo consentire caueamus, sed laudantis verba si vera non sint, omninò negemus. Si verò vera sint, quasi corrigamus dicẽtes, non laudaueris hominem in vita sua, & huiusmodi: sed ad Deum laudandum, ex quo omne bonum est, eum incitemus. *Laudes humanæ fugiendæ.*

Euitemus fratres, summopere blandum adulatorum venenum, quod quantò est dulcius, tantò peius. Detractor quippè dum vitia nostra subtilius inquirit, nobis quodammodo proficit: dum vitia nostra nobis ad memoriam reducit. Sed adulator sub specie dilectionis nos fallit, vt plus ei credamus de nobis quàm nobis. Vnde Esaias: Populę meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. *Quomodo detractor nobis proficit.* *Esa. 3.*

Mystícè verò facit Dominus in multis quotidie, quod tunc ad literam in vno dæmoniaco legitur fecisse. Videamus igitur in quibus fiat, & per quem, & quæ mundicia, quæ medicina, & quanta vigilantia & fortitudine eis opus sit. Multi quippè sunt hodie, qui propter turpitudinem criminum à dæmone possidentur. Hic à spiritu luxuriæ, ille à spiritu auaritiæ, alter a spiritu superbiæ. Imò quot vitiis quisque irretitur, quasi à tot dæmoniis possidetur: qui cùm scienter dæmonibus seruiant, peiores sunt quàm dementes: qui quod faciunt, faciunt nescientes. Regnat itaque fortis armatus, id est, diabolus arma nequitiæ suæ super eos exercens, in pace, id est, sine contradictione eos possidẽs: exsurdans eos, ne audiant verbum Dei, & mutos faciens, ne Deum benedicant. Cùm ita ergo teneantur à diabolo captiui, sua virtute se à iugo eius nequeunt excutere. Quod benè contra illos est, qui quod

in

in iuuentute sua nolunt, in senectute promittunt se pœnituros: Miseri non attendentes, quod neq; vita, neq; pœnitētia hominis, in manu eius, sed in manu Dei sunt: qui quandoque superbis peccatoribus iusto iudicio subtrahit tempus pœnitentiæ. Nullus ergo putet se per se, iugum diaboli a se excutere, sed de sola Dei misericordia præsumat, qui superueniens vincit diabolum, & excludit omnia arma eius, id est, omnes versutias euacuat, vasa eius distribuens, id est, animas & corpora, sensus & membra eorum liberans ad benè cogitandum, loquendum, operandum.

Neq; vita, neq; pœnitētia est in manu hominis.

Pœnitere quid.

Et quæ medicina hoc facit? pœnitentia. Et quid est pœnitere? præterita mala plangere, & plangenda non committere. Nam, vt ait Gregorius, qui ita peccata deplorat vt alia cōmittat, pœnitentiā agere, aut ignorat, aut dissimulat. Non enim prosunt lamenta, si replicantur peccata. Et Isidorus, Irrisor est, inquit, & non pœnitēs, qui agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Sunt igitur in pœnitentia duo, plangere facta, & non facere plangēda, id est, actio pœnitētiæ & perseuerantiæ: alterū sine altero non prodest. Nil enim prodest flere, si peccetur. Et parum prodest nō peccare, si non fleatur. Actio autem pœnitentiæ, fit corde, ore & opere.

Duo in pœnitentia.

Pœnitētiæ actio fit corde, ore, & opere.

Corde per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem. Contritio putredinē maturat intus. Confessio aperit vulnus. Satisfactio extrahit virus. Contritio est dolor cordis, ex recordatione peccati, & timore iudicij proueniens. De hac dicitur: Cor contritū & humiliatum Deus ne despicias. Tria formant contritionem, pudor, timor & dolor. Pudor dum cogitat se turpiter egisse. Timor dum cogitat pœnam sibi paratam esse. Dolor dum cernit se reum, & dignū esse supplicij. Confessio ergo est lachrymabilis peccatorum enarratio. De hac dicitur: Dic tu iniquitates, vt iustificeris. Et illud: Dixi, cōfitebor iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hæc autē debet fieri cum lachrymis: quia nisi gemat, nisi fleat, nisi suspiret peccator, cùm se peccasse fatetur, peccatum suum prædicat, non confitetur. Confessio autem debet esse vera & aperta, integra, non diminuta, non diuisa. Vera, vt ea quæ fecit, dicat, ea quæ non fecit, taceat. Qui enim

Pœnitētiæ actio fit corde, ore, & opere.

Psal. 50. Tria formāt cōtritionē, pudor, timor & dolor.

Confessio quid.

Esa. 43.

Psal. 31.

Confessio debet esse vera.

enim ob humilitatem dicit se peccatum fecisse quod non fecit, etsi ante reus non erat, tunc esse incipit. Aperta, vt sicut turpiter egit, turpiter referat: nec ornatu verborum suam turpitudinem tegat, quod est peccatū suum minorare. Integra, vt omnes circunstantias peccatorum exponat, scilicet locum, tempus, personam, modum peccandi, numerum, tentationem & contemptum. Idem enim genus peccati est grauius in loco vel tempore sacrato, quàm in alio. In persona sapienti, quàm idiota, coniugata quàm vacante, ordinata quàm laica. Item grauius est, si pluries egit, quàm si semel, si minorem tentationem sustinuit, quàm si magnam, si plus cōtempsit, quàm si minus. Non diminuta, vt scilicet vnum peccatum cōfitens, aliud taceas. Iniquitas enim est, à Deo, qui summa iustitia est, veniam sperare dimidiatā. Quid enim prodest tibi de pluribus mortiferis vulneribus vnum solùm curasse? Non diuisa, vt scilicet nō diuidas peccata tua, hæc vni Sacerdoti, illa alij reuelanda. Hoc enim est ad hypocrisim tendere, & peccata non curare, sed augere. Satisfactio verò est iniuncti operis condigna executio. De hac dicit Ioannes Baptista, Facite dignos fructus pœnitētiæ, vt scilicet secundùm quantitatem culpæ, sit quantitas pœnæ. Hæc tria debet habere, vt scilicet faciat quod sibi iniunctum est, & quantum, & qualiter. Hæc fratres, est medicina, qua fortem armatum Christus fortior de cordibus nostris expellit, & de vasis diaboli, vasa Spiritussancti facit. Sed tunc opus est vigilantia & fortitudine. Cùm enim diabolus videt se ejectum, plus sæuit, plus nobis insidiatur, & vt acrior ad locum suum redeat, machinatur. Primū igitur est, cùm peccata nostra flere, ieiunare, & benè agere cœperimus: nos per ora malorum deridet, hypocritas nos vocat. Quibus fratres mei, sunt isti similes, nisi Pharisæis, qui dicebant de Domino, In Principe dæmoniorum eiicit dæmonia? Illi adscribebant, quod erat Spiritussancti, diabolo. Isti quoque dum eos, quos Spiritussanctus per pœnitentiam purgat, derident, & vocant hyprocritas, & vanæ laudis amatores, quid aliud quàm quod Spiritussancti est, spiritui hypocrisis & vanæ gloriæ attribuunt. Dum igitur tam hi quàm illi, quod Spiritussancti est, spiritui maligno attri-

Aperta.

Integra.

Non diminuta.

Nō diuisa.

Satisfactio quid.

Mat. 3.

Satisfactio tria debet agere.

buunt, proculdubio peccant in Spiritumsanctũ. Et si fratres, ea quæ plus se habẽt ad malum, debemus in bonum interpretari, quid erit de eis, qui etiam ea quę se habent ad bonũ, in malũ interpretantur? Cauete fratres, igitur, cauete hoc peccatum, quoniam pergrande est: sed cùm videritis peccatorem ad Deum conuertentẽ, orate pro eo, vt Deus det ei perseuerantiã bonam. Vos quoq; pœnitentes nolite propter derisores erubescere, & vestrũ propositum
Eccle. 4. relinquere, quia, vt ait Salomon, est cõfusio adducens peccatũ, & est confusio adducens honorẽ & gloriam. Malum igitur non bonũ erubescite. Cùm autem hoc modo non potest diabolus vincere pœnitentem, tentat eum per adulatores, dicens, Beatus venter qui te portauit, & vbera quę suxisti. Quasi diceret: vir sanctus es & victor diaboli, & amicus Dei: Vt ita eum ad elationem & inanem gloriam inuitet. Sed nos fratres, vt detractores, ita & adulatores fortiter contemnamus, & plus nobis quàm aliis de nobis credamus, & semper de peccatis nostris timeamus: Nam
Psal. 18. delicta quis intelligit? Sed & si quædã peccata nostra non intelligimus, quomodo scimus ea nobis esse dimissa?
Eccle. 5. Propterea dicit Sapiẽs, De propiciato peccato noli esse sine metu. Vbi enim fratres, metus non est, est stulta securitas. Vbi est stulta securitas, est cõtemptus. Vbi est cõtemptus, est periculũ & ruina. Si enim inuenerit vos diabolus negligẽtes & à bono vacantes, reintrat in vobis diabolus cum aliis septẽ spiritibus nequioribus. Quoniam redeunt peccata septuplicata, & estis septuplo peiores quàm primò. Tripliciter autem dicuntur peccata redire: vel quãdo
Tripliciter peccata dicũtur redire. ad vomitum redimus, vel quando spernentes iniunctam pœnitentiam torpescimus. Vel quando in recordatione præteriti peccati delectamur. Habeamus igitur fratres, semper peccata nostra ante oculos nostros, & de eis semper timentes, gementes, & plorantes & operibus misericordiæ ea redimentes, quod prestet nobis Deus qui in trinitate perfecta viuit & regnat. Amen.

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ.

Gal. 4. *Scriptum est: quoniam Abraham duos filios habuit, vnum* videlicet Ismahel, *de ancilla*, Agar: *Et vnum*, scili-

scilicet Isaac, *de libera* scilicet Sara. *Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est*, id est, secundùm consuetudinem carnis, secundùm quem iuuencula ex sene concipere potest, & parere. *Qui autem de libera, per promissionem Dei natus est*, non secundùm carnis consuetudinem? quia anus & sterilis & de vetulo cõcipere & parere non solet. Cùm autem creuissent ambo & luderent, Ismaël prior natu, Isaac quasi persequebatur. Quod intelligens Sara, ait Abrahæ, *Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*. Eiecit ergo Abraham ancillam cum filio, dans super scapulam suam ollam aquæ. Filium verò liberæ hæredem constituit. Huius historiæ fratres charissimi, Apostolus exponit nobis mysterium, & in hoc innuit nobis cæteras veteris testamenti historias mystice intelligendas. Nos verò fratres, intelligentiæ simplicium subseruiẽtes, quod Apostolus breuius & obscurius, nos latius & planius, Deo largiente, vobis exponemus. Abrahã igitur fratres, Deus intelligitur, qui est pater multarum gentium, imò omnium. Sic duos filios habuit, quoniam duos populos creauit de eadẽ massa. Vnum quidem per occultam iustitiam creauit in contumeliam, alterum per solam misericordiam suam in honorem. Vnum in reprobationem, alterum in electionem. Sunt autem hic nobis fratres, consideranda quatuor. Primò quæ sit ancilla & quæ libera, de quibus isti duo populi nati sunt. Secundò quomodo ancilla fœcunda fuisse, & prius peperisse: Libera verò prius sterilis, postremò peperisse dicatur. Tertiò quomodo filius ancillæ, filium liberæ persequitur. Quartò quomodo ancilla cum filio, & cum olla aquæ eiiciatur, & filius liberæ hæres constituatur. Est igitur fratres mei, ancilla de qua populus reprobationis natus est, caro. Quæ idcircò ancilla dicitur, quia peccato, diabolo mancipatur, & æternæ miseriæ. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. De hac ancilla, id est, carne, populus reprobationis nascitur, secundùm carnem, id est, secundùm carnalem concupiscentiam. Et qualis est natus, talis permanet: Solum carnem sapiens, secundùm carnem viuens, in carne seminans, vnde & metet corruptionem. Manifesta autem, inquit Apostolus, *Gal. 5.*

Per Abraham Deus intelligitur.

Per ancillam caro significatur.

Per liberã gratia cœlestis denotatur.

sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, &c. Libera verò, de qua populus electionis natus est, est gratia cœlestis. Quæ ideo dicitur libera, quia liberat hominẽ à seruitute peccati, diaboli & damnationis æternæ. Si filius, inquit, vos liberauerit, verè liberi eritis. De hac autem libera, id est, gratia nascitur homo, non secundùm carnẽ, sed secũdùm repromissionem, id est, Dei electionẽ. Quæ vtiq; natiuitas fit in baptismo, in quo qui natus erat ex carne filius iræ, renascitur ex gratia per spiritum filius misericordię. Dedit enim eis Dominus (iuxta Euãgelium) potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, nõ ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, id est, renati. Ille ergo populus natus est ex carne secundùm carnem. Iste natus ex est gratia secũdùm electionẽ. Ille est filius ancillæ, id est, carnalis seruitutis. Iste est filius liberę, id est spiritualis libertatis. Ille est filius diaboli, Iste filius Dei. Ille filius veteris testamenti, vbi pro timore & pro tẽporalib' seruit. Iste est filius noui testamẽti, vbi pro amore & pro æternis seruit, sed Deo seruire, est regnare. Nos ergo fratres mei, filij liberæ, filij electionis, & filij Dei sumus, si tamen in gratia baptismi perseueramus: Si diabolum & eius opera, quibus abrenuntiauimus, omninò detestamur, si Deum & eius præcepta tota dilectione diligimus & sequimur. Quod si pactum baptismi fregimus, & à diaboli seruitutem reuersi sumus: quid erit de nobis miseris, nisi quantotius per pœnitẽtiam & lachrymas reconciliari dum licet, quæramus.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Filij liberæ, qui.

Secundò fratres, considerandum est, quomodo ancilla prius fœcunda fuisse & peperisse, libera verò prius sterilis, postremò dicatur peperisse. Porrò carnalis generatio prius in mundo multipliciter abundauit, quando ignari Dei & vitæ spiritualis, tantùm propagationi & successioni carnis intendebant. Spiritualis verò regeneratio diu ignota, sterilis permansit: Et hæc tantùm tempore gratiæ abundanter fructificauit. Non enim, vt ait Apostolus, est primum quod est spirituale, sed prius quod est animale, & posteà quod est spirituale. Vnde Esaias: Lætare sterilis quæ non paris, id est, quę primo vel nullos,

Carnalis generatio.

Spiritualis regeneratio.

1. Cor. 15.

Esa. 54.

vel

vel paucos parjebas. Erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij liberæ, magis, subaudi, electi a Deo: quàm filij eius, id est, carnalis generationis: quæ habet virum, id est, corruptorem diabolum. Nos ergo fratres mei, potius spiritualem quàm carnalem successionē quæramus. Melius est enim relinquere vnum solum bonum filium, quàm multos malos: Et melius est mori sine filiis, quàm relinquere malum filium. Qui ergo filios habent, in correctione & in instructione eorum vigilant, quoniam sicut gaudium est parentum filius sapiens: ita confusio & maledictio est parentum filius stultus. Qui verò filiis carent, non doleant, sed Christum hæredem constituant, pauperes & pupillos in filios adoptent. Exemplo & verbo filios spirituales gignant: vt iure de eis dici possit: Lætare sterilis, quę non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quoniam filij liberæ multi quàm eius quæ habet virum. Adeò enim fratres, excreuit hodie malitia filiorum carnalium, quorum alter est scortator, alter aleator, alter fur, alter raptor, alter quærit & desiderat mortem parentum: quod hodie verè dici possit, Beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tertiò verò fratres, considerandum est, quomodo, vt ait Apostolus, filij ancillæ persequuntur filios liberæ. Persequuntur quippè filij carnis filios spiritus: filij mundi, filios cœli. Quomodo? Tripliciter: malo exemplo, subdola suggestione, aperta persequutione. Malo exemplo, dum florent & prosperantur in via sua mala, quoniam eorum filij sunt sicut nouellæ plantationis in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia, ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: Boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Sed contra hæc nos armat Dauid, dicens: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Subdola suggestione, cùm dicitur: Semper fuit mundus, ita semper orientur homines, & morientur. Quis est reuersus ab inferis, qui nuntiet aliam vitam esse? Stultum est igitur præsentia gaudia per-

Spiritualis successio quærenda.

Prou. 10. & 15.

Malitia filiorū carnalium.

Filij carnis persequuntur filios spiritus.

Psal. 143. Iniquorū prosperitas.

Psal. 36.

dere, propter quædam fortè nunquam futura. Ita fratres, vult decipere filius ancillæ filium liberæ. Ita insidiatur, vt
1. Cor. 15. rapiat pauperem: rapit autem pauperē dum attrahit eum subdola suggestione. Contra hæc nos armat Apostolus,
Quomodo fides nostra fundatur. Corrūpunt enim, ait, bonos mores, colloquia praua: ideò nolite omni spiritui credere. Fides enim nostra, testimoniis Patriarcharum & Prophetarum fundatur: Natiuitate, passione, resurrectione & ascēsione Christi completur: Apostolorum testimoniis fulcitur, sanguine Martyrū roboratur, qui miraculis probant se melius viuere post mortem. Aperta persequutione persequuntur, dum filios liberæ spoliant, suis laceſcunt conuitiis, affligunt iniuriis, exiliis, tormentis, morte: iuxta illud, Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Con
Heb. 11. Mat. 10. tra hos nos Dominus armat, dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed potius eum timete, qui animam & corpus po-
Mat. 5. test perdere in gehennam. Et alibi, Beati qui persequutionem patiūtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quartò quoq; fratres, considerandum est, quomodo ancilla & filius eius cum olla aquæ eiiciatur, & filius liberæ hæres constituatur: filij quippè ancillę, quia tantùm terrenam hereditatem desiderant & amplectuntur, diuino iudicio à cœlesti sunt hæreditate seiuncti. Et nihil eis confertur, nisi amphora aquę super scapulam.
Aqua mūdanā felicitatem notat. Aqua fratres mei, mundana felicitas est. Aqua enim est labilis, potabilis, nabilis. Mundana quoq; felicitas est labilis, quia citò transit, nec redit. Potabilis est, id est, apta ad vtendum, si modestè sumatur: si superfluè, inflat hominem, & occidit. Nabilis est, quia cum iusto regimine, potest aliquis per eam transire ad portum salutis. Alias in superabundantia eius submergitur & perit. Hanc autem mundanam felicitatem accipit filius ancillæ super se, quia ei seruit, non illa sibi. In alia verò vita prorsus à cœlesti sequestrabitur hæreditate, nihil accipiens nisi æternam damnationem, quoniam in hac vita recepit bona sua. Populus verò electus, qui est filius liberæ, constituitur hæres patris, & nunc electione, & in futuro confirmatione.

Nunc

Nunc spiritualium bonorum, & in futuro cœlestiũ præmiorum. Nos itaque fratres mei, Christi sanguine liberati, iam non sumus filij ancillæ, sed liberæ: si tamen non secundùm carnem, sed secundùm spiritum viuimus: Si Deum, non mundum diligimus, si cœlestia, non terrena desideramus, si seruitutem vitiorum fugientes, libertatem virtutum sectamur. Accipiemusq; in futuro æternam hæreditatem, incorruptibilem & incontaminatam, conseruatam in cœlis: vt simus hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi: Quoniam ad dexteram nobis positus dicetur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Quam hæreditatem largiatur nobis, & promereri & consequi Iesus Christus Dominus noster. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, Amen. *Mat. 25.*

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ.

Abiit Iesus trãs mare Galilææ, quod est Tyberiadis: et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat, & reliqua. In hac sancti Euangelij lectione, quam modò fratres charissimi, audiuimus, primò quæ ad literam, secundò quod ad tropologiã, tertiò quod ad mysticum sensum pertinet, videamus. Quantum igitur ad literam pertinet, fratres mei, Dominus & Redemptor noster Iesus Christus, ostendit in hac lectione se veram humanitatem, & veram habere diuinitatem. Humanitatem quippè & pietatem veram se habere ostendit, quando infirmis & esurientibus compatitur & condescendit. Diuinitatem verò se habere veram demonstrat, quando infirmos solo nutu sanat: & quando de quinque panibus, & duobus piscibus quinque milia hominum, sublatis etiam duodecim cophinis fragmentorum, saturat. Nónne fratres mei, si de quinque panibus quinque millia hominum nihilo remanente sacrasset, magnum & diuinum esset miraculum? Nunc verò quàm mirabilius & Deo dignius miraculum apparet, cùm & de quinque panibus quinque milia hominum satientur: & præterea decuplo plus sustollitur, quàm appositum est. Quasi non idem miraculum Dominus quotidie faciat, *Ioan. 6.* *Humanitas.* *Diuinitas.*

qui paucа ſeminis grana in terram iacta, centuplicat: ſed nullus miratur, quod quotidie videt. Raritas verò rei, maiorem præſtat admirationem. Cæterùm quod hic legitur Dominus Philippum tentaſſe, non eſt contrarium ei quod à Iacobo dicitur: Deus neminem tentat. Tripliciter quippè tentatio fit. Aliter enim Deus tentat, aliter diabolus, aliter homo. Deus quippè tentat, vt probet, quemadmodum tentauit Abraham, vt eius fidem probaret: Et hîc Philippum, vt eius infirmitatem demonſtraret. Diabolus verò tentat, vt decipiat: quo genere tentationis Deus neminem tentat. Homo verò tentat, vt diſcat quod ignorat. Iuxta verò tropologiam, quando Chriſtus hoc fecit, quid Chriſtiani facere debeant, oſtendit. Octo igitur hîc nobis imitanda proponuntur: Maris transfretatio, in montẽ aſcenſio, miſeratio humanæ tentationis, abiectio, quibus & quam eleemoſynã faciamus, quomodo & quo fine, quomodo eleemoſyna multiplicetur, & quanta gloria inde Deum ſequatur. Itaq; fratres mei, cùm Dominus abiit trans mare Galilææ, nos monet tempeſtuoſum huius mundi mare deſiderio tranſire, & ad cœleſtẽ patriam ſuſpirare. Eſt enim hic mundus iuſtis, qui futuram vitam deſiderant, exilium: mare tempeſtuoſum vallis lachrymarum. Vnde & illud deſiderant citò tranſire, & aliam viam aduenire. Inde Pſalmiſta, Heu mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt. Nam quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Nam idẽ alibi dicit: Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua: Venientes autẽ venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. At mundani homines, qui habent hîc patriam ſuam, & ducunt hîc in bonis dies ſuos, nunquam vellent vitam præſentem tranſire: tamen velint, nolint, tranſeunt, & ad mortem rapiuntur, qui tamen mente tranſeuntibus adhærent: velut qui rapitur à torrente adhæret ſpinis & aſperis. Itaq; fratres, deſiderio ad cœleſtem vitam tranſeamus, illuc per opera miſericordiæ quæcunq; poſſumus, tranſmittamus. Illic ſit theſaurus noſter & cor noſtrum. Illuc proximos noſtros bono exemplo & exhortatione, promiſſis & amore, nobiſcũ trahamus: vt quemadmodum

Iacob. 1. Tentatio fit triplici ter.

Pſal. 119.

Pſal. 41.

Pſal. 125.

Matth 6.

admodum Dominum ita & nos sequatur multitudo magna, quod vbique fiet, si viderint nos facere signa super his qui infirmantur. Porrò super infirmos signa facimus, si vel infirmos corpore, beneficiis visitamus, vel infirmos mente confortamus, vel infirmos peccato corripimus, vel furiosos odiis vel iniuriis contra nos patienter sustinemus: vel si omnes huius mundi infirmos orationibus nostris apud Deum curamus. Cùm verò Dominus in montem ascendit, & ibi sedet cum Discipulis suis, monet nos vt de virtute in virtutem vsque ad altitudinem virtutis & contemplationis ascendamus: Et ibi inter miseriam huius mundi, sessionem & requiem cum Domino & sanctis eius, quātum possumus habemus: talibus quippe proximum est Pascha dies festus Iudæorum. Quoniam tales qui per contemplationem cum Domino & sanctis eius requiescunt, amore, spe, & merito iam proximi sunt die festo verè confitentium angelorum. Cum autem Dominus sedens in monte, inferioribus turbis esurientibus condescendit & miseretur, instruit nos, vt ita per contemplationē in cœlestibus quiescamus, quod turbis inferioribus per compassionem condescendamus. Iuxta quod ipse Dominus dicit: Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Induamus fratres misericordiæ viscera & compassionis: & quando videmus aliquem pati, ei compatiamur. Quando videmus aliquem dolere, condoleamus. Quando videmus aliquem egere, ei prout possumus, subueniamus. Nam beati misericordes, quoniā misericordiam consequentur. Et econtra: Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Cum verò Dominus Discipulos adhuc rudes, de humana tentatione tentando redarguit, nos docet vt humanam tentationem quantum possumus, superemus. Humanā quippe tentationem passi sunt discipuli, quando de panis sufficientia dubitantes alter dicebat: *ducentorū denariorum panes non sufficient eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Et aliter dicebat: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Hanc tentationem fratres patimur & nos, cū videntes multitudinem pauperum, causamur nos modi-

Quomodo super infirmos signa facimus.

De virtute in virtutē ascendendum.

Luc. 6.

Math. 25.

cum annonæ habere in horreo, modicum panis in arca. Et dicimus: Ite viã vestram: Non sufficeret quod habeo mihi & vobis. Humanã etiam tentationem patimur, cùm videntes earum tempus, & fata deficere, dicimus: Quid manducabimus, quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc proculdubiò fratres mei, humana tentatio est, quæ de fidei nascitur imperfectione. Vnde Dominus nobis dicere potest: Quid timidi estis modicæ fidei? Si enim firmam fidem & charitatẽ in Deo haberemus, nihil profectò nobis deesse crederemus: Domino suis prouidente, qui etiã infidelibus non desistit prouidere, Legimus enim Dominum seruos suos sine cibo per multos dies sustentasse. Legimus enim sanctũ Nicolaum sexaginta homines de tribus panibus refeciſſe: Idemque legimus de pluribus aliis: Vidi fratres multos charitatiuos quotidie abundanter donare, & Deum eis abundanter ministrare, vt quasi certare viderentur iustus erogando, & Dominus subministrando. Quibus autem præcipuè sit dandum, Dominus ostendit, quando multitudinem, quæ eum sequebatur, pauit. Nam Dei iussa sequentibus esse dandum ostendit. Alibi tamen Dominus dicit, Omni petenti te, tribue. Cui contrarium videtur illud dictum Sapientis, Benefac iusto, & non dederis impio. Et illud, Cui des, videto. Non est verò contrarium fratres. Omni enim indigenti, si possumus, benefacere debemus, non quidem impietatem eius, sed naturam sustentantes. Si tamen non omnibus dare possumus, fidelibus, pauperibus, & iustioribus, donare debemus: iuxta illud Apostoli: facientes bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Quid, quibus donandum sit, Dominus ostendit: Donans infirmis sanitatem, esurientibus panem, ignaris doctrinam, captiuis libertatẽ. Cùm enim, Dominus inquit, omni petenti te, tribue, non ait tribue quod petit, sed quod tu potes, & cuius illum egere vides. Pauperi da sustentamentum corporis. Diuiti da verbum Dei, sustentamentum animæ. Inconsulto, da consilium. Laboranti, si aliud non potes, da orationis auxilium. Munus siquidem magnum est, verbum consilij, verbum correctionis, & verbum orationis. Nam quanto pretiosior est anima quàm corpus, tanto pretio-

Humana tentatio.

Mat. 8.

Quibus dandum.

Luc. 6.

Eccle. 12.

Omni indigenti benefaciendũ.

Galat. 6.

Quid & quibus donandum.

sius

sius beneficium animæ factum quam corpori. Quomodo verò & quo fine eleemosyna danda sit. Dominus ostēdit, qui primùm gratias egit, & post distribuit. Nos ergo dantes, Deo, ex quo omne bonum est, semper gratias referamus, & propter eum distribuamus. Iuxta quod Apostolus ait: Quid habes, quod non accepisti? Et alibi: Qui tribuit in simplicitate. Si enim fratres rem bene considéremus, eleemosyna nostra non est meritum nostrum, sed Dei gratia. Ipsam quippe rem, quam damus, non ex nobis, sed ex Deo habemus: nec ipsam bonam voluntatem habere, nec manum ad dandum extendere ex nobis, sed ex Deo valemus: Non enim volentis est velle, nec currentis currere, sed miserentis Dei. Quid ergo ex nobis? Sicut ergo totam eleemosynam à Deo habemus, ita totam ad eum dirigamus. Non demus vt tædio carentis caremus, quoniā qui hoc facit, meritum suum & rem perdit. Non demus ob vanā gloriam, quoniam qui hoc facit, mercedem suam hic recipit. Non dat eleemosynam sinistra, id est temporalis intentio: Non dextera simul & sinistra, id est, eleemosynæ datę propter Deum non se admisceat vana gloria, sed sola dextera, nesciente sinistra. Quantum verò eleemosyna multiplicetur, ostenditur in hoc quod de quinque panibus, quinq; milia hominum satiantur, & duodecim cophini sustolluntur. Porrò duobus modis multiplicatur in nobis eleemosyna, & spiritualiter et eternaliter. Spiritualiter, vt cùm verbum vitæ aliis prædicamus, non diminuitur, sed potius & in nobis & in illis augetur. Velut si ex vno luminari, plura succēderis luminaria. Sed, & si rem transitoriam damus, quāuis transeat in accipiente, tamē in nobis multiplicatur, dum inde à Deo in nobis fides, spes, & charitas, cæteræque virtutes adaugentur. Æternalitter verò multiplicatur, cum pro terreno cœleste, pro transitorio æternū, pro corruptibili incorruptibile præmium accipietur, vt illud impleatur: Vos qui sequuti estis me, cētuplum accipietis hic, & in futuro vitam æternam. Valet igitur eleemosyna, & pro quo fit, & cui fit. Et si illis non valet, illi qui bene eam facit, nō valere non potest. Quæ fratres mei, potest esse maior multiplicatio, quàm cum vidua propter duo minuta, alius propter

Quomodo & quo fine eleemosyna dāda. 1. Cor. 4. Rom. 12.

Rom. 9.

Duobus modis eleemosyna multiplicatur.

Mat. 19.

Luc.22. pter calicem aquæ frigidæ, alius pro sola bona volunta-
Mat.10. re accipiet regnum cœlorum? Quanta gloria de eleemo-
syna, deinde sequatur, ostenditur cum subdit: *Turbæ autem videntes quod fecerat signum, dicebant quia hic est ve-*
2.Cor.8. *re Propheta, qui venturus est in mundum.* Porrò de elee-
Psal.144 mosyna semper benedicendus est Deus: & pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui aperit manum suã, & implet omne animal benedictione. Nos autem fratres qui non auctores eleemosynę, sed ministri tãtum sumus, nobiscum gratias reddi nec velimus nec patiamur, sed dicamus, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus, non nostra, sed aliena dispensamus: Et tamen hoc facientes, non erimus sine gloria ante Deũ, qui suis facta, reputat sibi facta esse, reputans & dicens:
Mat.25. Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratum est ab origine mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare: Sitiui enim, & dedistis mihi potũ, &c. Iuxta verò mysticum sensum, Iesus abiit trans mare Galileæ, quando tribulationes huius mundi, patiendo, & resurgendo transmigrauit. Sequuta est autem fide & amore illum multitudo magna, videntes signa quæ vel per se, vel per discipulos faciebat: super his qui mente vel corpore infirmabantur. Ascendit autem Iesus in montem, id est in æternæ glorificationis altitudinem: Et ibi sedebat, & requiescebat, & regnabat, & discipuli mente, & si nondum corpore, cum eo: *Erat autem proximũ Pascha, dies festus Iudæorum.* Pascha trãsitus interpretatur. Ergo erat proximum Pascha dies festus Iudæorum: quia iam radiãte Euangelio, instabat transitus & cessatio veterarum cæremoniarum. *Cum subleuasset ergo Iesus oculos* misericordiæ suæ, *& vidisset quia maxima multitudo,* credendo, *venit ad eum,* dixit inspirando, *ad Philippum,* id est, ad quẽlibet prædicatorem. Philippus enim os lampadis interpretatur. *Vnde ememus panes vt manducent hi?* id est, vnde comparabimus nobis sapiẽtiam & doctrinã verbi, vnde reficiatur populus Dei? *Hoc autem dicebat tentans eũ: Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Hæc tentatio fratres mei, Deo permittente frequenter nos tentat, cum videntes multitudinem fidelium in Ecclesiam confluxisse, dubi-

Fide & amore Christus sequẽdus.

tamus

tamus apud nos & quærimus, de quo libro cõparabo hodie sermonem, vnde reficiam populum Dei? Immemores quid promisit suis Dominus, & quid per nos sit facturus. Ipse enim ait: Aperi os tuum & ego adimplebo. Et in Euangelio: Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Huius ergo fratres dominicæ promissionis semper memores, & de Dei gratia, nõ de nostro ingenio præsumentes, audacter verbum Dei loquamur ad populum, quoniam Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa. Memini certè me quandoque melius locutum ad populum, quando loquebar ex improuiso, quàm quando loquebar ex præmeditato, Domino sic faciente. Videamur sufficientes cogitare: aliquid ex nobis quasi ex nobis. *Ducentorum*, inquit, *denariorum panes non sufficiunt eis* Id est ducentorum prædicatorum doctrinæ ad erudiendum populum fidelium qui Deum sequuntur, non sufficiunt, vt vnusquisque modicũ quid accipiat. *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces.* Hic puer est Moyses famulus Dei, qui habet quinque libros legis: Qui bene per ordeaceos panes significatur. Ordeum enim tenacissima palea tegitur, & iumentorum cibus est. Lex quoque tenacissimis inuolucris figurarum, & verborum occultatur, & cibus simplicium & animalium hominum est, ad literam intellecta. Si verò intelligitur subtilius, habet duos pisces secum, id est moralem & mysticum sensum, quorũ dulcedine, legis ariditas impinguatur. Accepit ergo quinq; panes Iesus, benedixit & fregit. Quia quinque libros Moysi in se impletos, & sanctos esse ostendit: eos fregit & dedit cum duobus piscibus discipulis, vt apponerẽt turbis, quia intellectum legis eis aperuit, vt cũ morali & mystico sensu eam turbis prædicarent. In hoc fratres mei, quod discipuli non apponunt alium panem turbis, nisi à Christo sit traditus, nec illum panem illi frangunt, sed Christus eis frangit, confunduntur illi qui aliam scripturam prædicãt quàm diuinam, vel qui ipsam scripturam non à Deo sibi frangi & aperiri expectant, sed ipsi per se eam sibi frangere præsumunt, apponentes potius quam exponentes, cum præci-

Psal. 8. *Mar. 13.* *Psal. 67.*

Ezech.3. præcipiat Dominus prophetæ. Annuntiabis, inquit, eis ex me. Saturâtur autẽ ex quinq; panibus cum duobus piscibus, id est ex quinque libris Moysi cum mystico & morali intellectu. Quinque milia hominum, id est, simplices, tantum res quinque sensibus corporis subiectas prius sapientes. Ex fragmentis verò & crustis, quæ comedentibus superfuerũt, implentur cophini duodecim, quia subtiliores & fortiores sententiæ, quas simplices capere non possunt, Apostolicis & perfectioribus viris ruminandæ reseruantur: Iuxta quod Apostolus ait Corinthiis: lac potum
1.Cor.3. dedi vobis, non escam. Sapientiam enim loquimur inter
1.Cor.2. perfectos. Et hoc contra illos qui simplicioribus altiora loquuntur, non erudientes eos, sed potius conturbantes. Porrò homines cernentes doctrinã diuinam in omnibus exuberare, & quanto à pluribus percipitur, tantò magis abundare, laudant & benedicunt Dominũ, qui hic pane spirituali quotidie recreat suos, eo vaticinio eos sustentãs, quousq; perueniant ad terram promissionis, ac quã perducat nos omnipotens & misericors Deus, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus. Amen.

DOMINICA QVINTA
Quadragesimæ.

Heb.9. *CHristus assistens Pontifex futurorum bonorũ, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum*, id est, *nõ huius creationis*, &c. In hac lectione fratres mei,
Pontificiũ legis præfiguratum. ostendit Apostolus Pontificium Christi fuisse præfiguratum in Pontificio legis. Et illud quidem imperfectum esse tanquã figuram & vmbram: Illud verò perfectum esse, tanquam rem & veritatem. Illud transire, istud manere. Considerandæ sunt igitur fratres mei, quatuor de Pontifice legali. Qualis esse, quo in loco stare, quorum esse mi-
Qualis debebat esse legalis Põtifex. nister, quid agere secundum legem debeat. Debebat autem legalis Pontifex esse sine macula, integer & sanus. Sine macula, ne scilicet esset cum paruo, vel grandi, vel torto naso, ne esset gibbus, nec lippus, nec albuginẽ habens in oculo, nec impetiginem in corpore, nec lugem scabiẽ. Integer, nec esset cęcus, nec mancus, nec sine genitalibus. & huiusmodi. Sanus, ne esset claudus, nec fracto pede, nec manu, nec leprosus, nec ponderosus. Erant autẽ hæc in le-

in legali Pontifice per figuram : In Christo verò sunt per veritatem. Christus quippe fuit agnus sine macula, quoniam vt ait Petrus, peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et ipse etiam, speciosus forma præ filiis hominum. Fuit autem integer, omnem habens in se virtutum perfectionem. Fuit enim, vt Ioannes dicit, plenus gratiæ & veritatis. Fuit etiam sanus & perfectus in omni sapientia & scientia. Quoniam in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Quo in loco stabat legalis Pontifex? In medio, id est, inter hominem & Deum: hominibus antesistebat: Vnde & antistes dicebatur, & Deo assistebat : Vnde Episcopus, id est, superintendens dicebatur. Vnde Apostolus: Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt apud Deū. Debebat autem medius esse extremorū, participatione, affectione, & ordine. Extremorū participatione, qui scilicet esset homo cū hominibus natura, & Deus cū Deo gratia. Medius affectione, vt scilicet esset peccatoribus proximus per compassionē, & Deo proximus propter familiaritatē. Medius ordine, vt scilicet per eum haberent accessum homines ad Deum, & Deus ad homines. Christus quoque medius & verus fuit Pōtifex assistēs Deo, & antesistēs hominibus. Fuit enim medius inter Deū & hominē naturâ, quia naturalis homo cum hominibus, & naturalis Deus cum Deo. Medius affectione, quia per pietatē fuit compatiens hominibus. Vnde Apostolus: Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, & per amorem vnus cū Deo Patre. Medius ordine, quia per eū habemus accessum ad Deum Patrē: Et Deus Pater nobis recōciliatur per eum, & nos illi. Hinc est quod hic vocatur à Paulo noui Testamenti mediator. Quorum erat minister legalis Pōtifex: temporalium & carnaliū Sacramētorum, & eorum solum erat minister, non adiutor. Christus verò est Pontifex futurorum bonorum illorum, videlicet spiritualium & cœlestium bonorum, quæ per legales figuras futura significabantur : Et illorum est Christus non tantum minister, imò & auctor & largitor: Ipse enim baptizat, ipse peccata abluit, ipse virtutes tribuit : ipse præmia reddit.

1. Pet. 2. Psal. 44. Ioan. 1. Coloss. 2. Heb. 5. Heb. 4. Heb. 9.

Quid

Quid agebat legalis Pontifex? Semel in anno, in septimo mense, scilicet in festo propitiationis, sacrificabat, & cum sanguine, indutus Pontificalibus, intrabat in Sancta sanctorum: & sanguine pacifico aspergebantur interiora, vt propitiaretur Deus populo suo. Sic quoque Pontifex Pōtificum Dominus Iesus Christus, semel in tempore, semetipsum pro salute mundi sacrificauit. Et resurgens indutus stola immortalitatis, non tantum in cœlum, sed etiam in cœlum cœlorum introiuit tabernaculum. s. per amplius capacitate, & perfectius perpetuitate: vbi sedens ad dexteram Patris, aspergit sanguine suo interiora & exteriora: id est, reconciliat per passionem suam cœlestia terrenis, & terrena cœlestibus, Deum homini, & hominem Deo. Assignat itaque Apostolus distantiam in quinque rebus, inter legalem Pontificem & Euangelicum Pōtificem Christum, & in omnibus, demonstrat Christi excellentiam. Ille enim intrabat tabernaculum manufactū, & hic non manufactum. Ille semel in anno, hic semel in tempore. Ille moriebatur, & alter succedebat: iste permanet Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vnde idem Apostolus: Plures facti sunt Sacerdotes secundum legem eò quòd morte prohiberentur permanere. Iesus autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Ille cum alieno sanguine intrabat: iste cū proprio. Ille intercedebat pro suis & aliorum peccatis: iste cùm sit immunis à peccato, tantum pro alienis. Vnde idem Apostolus: Talis enim decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Qui non haberet necessitatem quotidie: quemadmodum Sacerdotes prius, pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populo. *Si enim*, inquit, Apostolus, *Sanguis hircorum aut vitulorum, vel cinis vitulæ, inquinatos cōtactu mortui sanctificat, secundum legalem obseruātiam, ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras, ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Re vera fratres sanguis pecudum non emundabat ad literam, quia nec carnem, nec sanguinem, nec animam Christi, per quem omnis emundatio fit, præfigurabat.

Differētia legalis Pōtificis, & Christi Euangelici.

Heb. 7.

Idem.

Sangui

Sanguis itaque Christi, fratres chariſſimi, nos emundabit ab omnibus peccatis, ſi tamen in eum verè credimus, ſi in eum ſperamus verè, ſi eius veſtigia ſequimur: Quoniam vt ait Petrus: Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquēs exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Humiliauit quippè ſe pro nobis, ne nos pro eo humiliari timeremus. Factus eſt pro nobis pauper, ne nos pauperes pro eo fieri timeremus. Mortuus eſt pro nobis, ne nos mori pro eo timeremus. Reſurrexit pro nobis, vt nos per eum reſurgeremus. Aſcendit in cœlū, vt nos per eum in cœlum aſcēderemus. Itaq; fratres ſi volumus exaltari cum eo, cum eo humiliemur. Si volumus ditari cum eo, cum eo & pro eo paupēres ſimus. Si volumus reſurgere cum eo, cum eo & pro eo moriamur, & ſi non carne, ſaltem mente. Crucifigantur & moriantur in nobis carnales concupiſcentiæ, vitia & peccata. Surgant & creſcant in nobis virtutes ſpirituales, boni mores, & bona opera: Vt ſic purè paſſionem & reſurrectionem Chriſti & celebrare & imitari valeamus, ipſo præſtante, qui paſſus eſt pro nobis Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Quomodo ſanguis Chriſti nos emūdat ab omnibus peccatis.

1. Pet. 2.

Chriſtus exemplum noſtrum.

DOMINICA V. QVADRAGESIMAE.

Dixit Ieſus turbis Iudæorum & Principibus Sacerdotum. Quis ex vobis arguet me de peccato? &c. Dominus ac redemptor noſter, fratres chariſſimi, ſicut non venit ſibi, ſed nobis: ita quod pugnauit & quod vicit, pugnauit & vicit nō ſibi, ſed nobis. Quemadmodum enim diabolus conſueuerat hominem expugnare & vincere, ita Chriſtus voluit ſe ab eo expugnari & eum vincere. Conſueuerat enim diabolus hominem duobus modis expugnare. Primò, ſubdola tentatione: ſecundò aperta perſequutione. Si non ſuperabat eum in primo, aggrediebatur eum ſecundo pugnandi modo. Cùm igitur diabolus primò aggreſſus eſſet Dominū ſubdola ſuggeſtione, vt eum vel in gula, vel in vana gloria, vel in ſuperbia deciperet, & ab eo ſuperatus eſſet, pòſt aggreſſus eſt aperta perſequutione eum impugnare, vt quem non vicerant blanda, vincerent dura. Et quoniam perſequutio, quæ infertur à propinquis & familiaribus, ſolet hominem plus perturbare,

Ioan. 8.

Duobus modis diabolus hominem expugnat.

persequutus est eum per Iudæos contribulos & consanguineos suos, & etiam per discipulũ collateralem & domesticum suũ. Vnde idẽ per Prophetã. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Et alibi: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus qui simul mecũ dulces capiebas cibos. Et alibi, homo pacis meę, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ. Illi ergo à diabolo instigati, persequuti sunt Christum retributione qua nulla est prior. At Christus respondit eis retributione, qua nulla est melior. Quatuor quippè sunt retributiones: Reddere bonum pro malo: Reddere bonũ pro bono. Reddere malũ pro malo: Reddere malum pro bono. Prima igitur est valde bonorum: Duæ mediæ mediocriter bonorum, & mediocriter malorum. Quarta valde malorum. Prima Christi est, suorũque membrorum: vltima diaboli, suorumque membrorum. Cùm itaque Christus Iudæos diligeret, eisque veram doctrinam, & vitam æternam offerret, illi contra ei reddebant odium pro dilectione, maledictum pro benedicto, mortem pro vita. Vnde ipse per Prophetam, posuerunt, inquit, aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Et alibi: Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi. Et quare? quoniam sequebar bonitatem. Itaque cùm sic persequerẽtur Christum Iudæi, ipse per omnia exhibuit eis misericordiam & mansuetudinem: vt illi nullam haberent suæ infidelitatis excusationẽ, Et nos exemplo eius instrueremur, quomodo inimicos nostros tolerare deberemus. Sunt igitur fratres mei, quatuor cõsideranda in hac lectione. Primò, quomodo Dominus inimicis suis offerat reconciliationem & pacem. Secundò, quomodo conuitiantium contumeliis respondeat. Tertiò, quomodo inuidi verba veritatis deprauent. Quartò, quomodo persequentium iniuriis Christus cedat. Primò igitur Dominus offert inimicis suis reconciliationem, & pacem cùm dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ac si diceret: Populę meus quid feci tibi? aut

Psal.37.

Psal.54.

Quatuor retributiones.

Psal.88.

Psal.37.

aut in quo molestus fui tibi? Respondè mihi, & si quid habes prope me, loquere. Qui quærit, fratres mei, in quo læserit, satisfactionem & reconciliationem quærit: *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Quasi diceret: Si nihil mali sed plurimũ boni vobis facio, quare non me diligitis? Si nihil falsi, sed semper veritatem vobis & pro vobis dico, quare non creditis mihi? In quo nos instruit, vt eis qui nobis inuident, nos odiunt, & persequuntur, pacem & reconciliationem habeamus, quærentes ab eis in quo eos læserimus. Quod si in aliquo, eis cum humilitate satisfaciamus. Si verò in nullo, eis amorem & obsequium offeramus, & nos eorum bonũ & velle & quærere ostendamus. Qui si audierint nos, lucrati erimus fratres nostros. Res proculdubio magni meriti apud Deum. Ne simus fratres de numero illorum, qui turpe putant se inimicis suis humiliare, & eorum pacem quærere: iniurias sibi illatas grandificantes, & quas intulerunt, paruificantes. Præsertim cùm Rex Regum & Dominus dominantium, pacem impiorum seruorum quæsierit, & eis se humiliauerit. Qui cum pacis bona contemnerent, dixit eis: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo nõ estis.* Nos quoq; fratres, inimicis nostris nostrã pacem & satisfactionem respuentibus & expuentibus, dicere possumus. Qui ex Deo est, verba pacis audit: Qui verò verbum pacis audire non vult, ex Deo nõ est. Nam vbi pax, ibi Deus. Et ipso testante, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur. Quia igitur qui ex Deo est, verba Dei audit, interroget fratres mei vnusquisq; semetipsum, si verba Dei ore cordis audit, id est, si retinet, facit, & perseuerat, &, in eo pro certo cognoscit, si ex Deo sit. Sequitur pars secunda, in qua Christus Iudæorum contumeliis benignè respõdet. Iudæi quippè de oblata pace & correctione peiores effecti, contumeliam responderunt. *Nõne*, inquiũt, *bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* Heu quàm peruersè loquuti sunt: Sic fratres mei, sic faciunt semper mali, bonis pro benedicto reddũt maledictũ, pro correctione contumeliam. Sed audiamus quàm mansuetè eis Dominus respondet: *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo*. Duo quippè ei obiecta fuerant:

Cum inimicis nostris recõciliatio quærẽda.

Quid dicẽdum inimicis pacem recusantibus. Mat. 5.

Samaritanus custos interpretatur.

Alterum negat se dæmonium habere, alterum tacendo concedit, videlicet se esse Samaritanum. Samaritanus namque custos interpretatur. Dominus autē custos electorum suorum est: qui non dormitabit, neque dormiet. Cùm autem eis veraciter respondere posset, non ego, sed vos habetis dæmonium, noluit, ne contumeliam pro contumelia reddere videretur. In quo fratres mei, exemplo suo nos docuit, ne prouocati ab aliquo contumelioso, tunc ei vitium suum exprobremus. Quoniā qui alij obiram & vindictam crimen suum obijcit, & si sit verum, tamen illud non vere, id est, simplici intentione dicit: & ideo verus nō potest dici, sed potius falsus. Qui autem vult alium de vitio suo corrigere, seorsum & bono zelo eum debet redarguere. Porrō Dominus se non habere dæmonium probat, ex eo quod subdit: *Sed honorifico patrē meum*, ei quicquid facio attribuendo, & eius gloriam in omnibus quærendo. Diaboli verò & suorum membrorum est, semper suam, & non Dei gloriam quærere, & sibi diuinam auctoritatem arrogare. Qui ergo Dei gloriam in omnibus quærit, se non habere dæmonium, nec eius esse membrum, ostendit. *Et vos*, inquit, *inhonoratis me*, in quo ostenditis vos potius dæmonium habere. *Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet*, id est, adiudicet. Iustū enim Dei iudicium est, vt qui non suam, sed Dei gloriam quærit, à Deo glorificetur. Et econtrario, qui suam non Dei gloriam quærit, ante Deū inglorius semper sit.

In omnibus nō nostra, sed Dei gloria quærenda.

Hic discamus fratres mei, semper Dei, non nostram gloriam, in omnibus quærere, & Deus quæret & adiudicabit nobis gloriam suam sempiternam. Non solum autē Dominus non reddit contumelioſis contumeliam, sed etiam offert eis doctrinam. Nos instruens vt ob nullam contumeliam à tranquillitate mentis nostræ commoueamur,

Charitas & mansuetudo seruandæ.

sed charitatem & mansuetudinē seruantes inconcussam, etiam nobis contumelias inferentibus correctionem & doctrinam offeramus. Ait igitur: *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Sed sicut boni de accepta contumelia fiunt meliores: ita econtrario mali, de accepta doctrina, fiunt peiores. Vnde & subditur: *Responderunt ergo ei Iudæi, nunc*

cogno-

cognouimus quia dæmonium habes. Est autem hæc pars tertia, in qua Iudei malitiosi, bona Domini verba siniſtro deprauant intellectu, cùm subdunt: *Abrahã & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis, quia si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternũ.* Sic, fratres mei sic consueuerunt malitiosi iustorum dicta deprauare, & quod bene, & bona intentione dictum est, in deteriorem partem interpetari, vel malè exponendo, vel quædã verba mutando. Cùm enim Dominus dixisset: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortẽ non videbit in æternum*, de morte spirituali vel æterna hoc intellexit. Sunt enim tres species mortis: mors corporalis, quæ fit per separationem animæ & corporis: Mors spiritualis, quæ fit per peccatũ, quod quidem separat animam à Deo. Mors æterna: pœna scilicet æterna, quę cruciabit animam simul & corpus: quæ ideò mors dicitur, quoniam melius esset mori quotidie, quam illam pœnã æternam tolerare. Cùm ergo Dominus loqueretur de morte spirituali vel æterna, ipsi deprauãtes, de morte corporali interpretati sunt: *Nunquid, inquiunt, tu,* cuius scilicet sermo facit homines immortales, *maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ, qui mortui sunt?* subaudis, quorum sermo nec eos, nec alios facit immortales. Ac si diceret non, inquit fratres mei, excæcabat Iudæos, quæ semper homines excæcat, ne rectum possint de persona, cui inuidẽt, ferre iudicium. Quamuis enim audierant, & viderant Dominũ miracula fecisse, quæ non Abrahã, nec aliquis Prophetarũ fecerit, vt cæco nato oculos creasse: mortuum quatriduanum suscitasse. Ventis & mari imperasse, & super vndas ambulasse: Tamen ei Abrahã & Prophetas proponebãt: ob nihil aliud, nisi quia ei inuidebant, ideò qui eum paruum & de paupercula matre natũ, & per ætates eum excreuisse, viderant. Quorũ hodie sunt similes, qui coæquęuos & contemporaneos suos quantumcunque bonos despiciunt, & eos antiquioribus non posse æquari contendunt, cùm summus auctor in omni tempore æqua bona possit operari. *Quem te,* inquiunt *facis?* Ille seipsum magnũ facit, qui virtutem quam non habet, sibi falso attribuit, sicut faciunt hypocritæ. Propterea ostẽdit Dominus

Mali dicta iustorum deprauãt.

Tres species mortis corporalis, spiritualis, æterna.

Ioan. 9.
Ioan. 11.
Mat. 8.
Mar. 6.

se non semet glorificare, & tamē se verā glorificationem à patre habere, cùm respōdet. *Si ego*, inquit, *glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater qui glorificat me, &c.* Seipsum glorificat, fratres mei, qui gloriam suam quærit non Dei: Cuius profectò gloria nihil est, Christus autem seipsum non glorificauit, quia nō suam, sed patris gloriam in omnibus quæsiuit: & ideò ab ipso glorificari meruit. Vnde & subdit: *Est pater qui glorificat me.* Discamus & nos fratres in omnibus bonis quæ sentimus, dicimus, vel facimus, nō nostram, sed Dei gloriam quærere, vt ab ipso glorificari mereamur. *Quem vos*, inquit, *dicitis, quia Deus vester est, sed non cognouistis eum.* Deum patrem non cognouerunt, quia eum habere filium nō crediderunt. Qui enim filium ignorat, & patrem Deum etiam ignorat, qui reprobis operibus se eum ignorare demonstrat. Quales, vnde dolendum est, sunt hodie multi falsi Christiani, qui dicunt de Deo, quia Deus noster est: & tamen eum non cognouerunt, dum se voluntatē Dei ignorare prauis operibus ostendunt. Quia verò Domino dicēti, quod si quis sermonem meum seruauerit, mortem nō videbit in æternum, opposuerant Iudæi Abraham mortuum esse: Ostendit Dominus Abraham non esse mortuum, sed potius in fide aduentus sui viuere & gaudere, cùm dicit, *Abraham pater vester exultauit*, id est, *exultādo expectauit vt videret diem meum*, id est, aduentū meum. Vidit, id est, quem venturum credidit venisse agnouit, *& gauisus est.* Sed Iudęi carnales carnali visu dictū esse intelligētes, respondēt: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Respondit eis Iesus, Amen amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, ego sum. Iudæi intelligebant Christum purum hominem, & his verbis ostendit eius diuinitatem. Vnde cùm de Abraham dixisset (*fieret*) de se ait: *sum.* Quoniam Abraham vt creatura factus est: Christus verò ab æterno à patre non factus, sed natus est. Cuius essentia incommutabilis, conuenienter exprimitur per verbū substantiuum præsentis temporis. Vnde ipse ait ad Moysen, Ego sum qui sum. Sed Iudæi more suo malum pro bono reddentes, tulerūt lapides vt iacerent in eū. Sequitur pars quarta cùm subditur, *Iesus autē abscondit se, & exiuit de templo.*

In omnibus gloria Dei quærēda.

Falsi Christiani.

Exod. 3.

templo In quo ostenditur quomodo Dominus persequutorũ cesserit iniuriis. Sed cum solo eos nutu perdere posset, quare fugere & latere elegit? Triplici de causa. Prima vt per timorem mortis se verã habere humanitatem demõstraret, qui tamen timor in eo voluntatis fuit non necessitatis. Secũda, vt quod discipulis dixerat verbo. Si persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, ostenderet exemplo. Necessariũ quippè fuit prædicatores quandoq; fugere & latere, ne mox ablatis prędicatoribus, Euãgelium silentio premeretur. Tertia vt nobis daret exemplum, quod si quandoq; persequutoribus nostris in contentione possemus pręualere, tamẽ prouocantibus ex humilitate crederemus & lateremus, vt in hoc tã prouocantium, quã nostræ saluti consuleremus. Apud Christianos enim, non qui fortiter percutit, sed qui fortiter cedit, fortis est, fortior enim est teste Salomone, qui vincit iram, quàm qui vincit ciuitatem. Ipse autem Christus qui nunc fugit & latuit, quando ei placuit, se crucifigendum persecutoribus obtulit: nec solùm fortiter eos passus est, sed etiam pro eis misericorditer deprecatus est, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Imitemur itaque Christum redemptorẽ nostrum, pacem pro odio inimicis nostris offerendo: Bonum pro malo, & benedictum pro maledicto reddendo, iniuriis etiam imbecillorum cedendo: quando opus fuerit, mortem fortiter sustinendo: pro persequutoribus nostris intercedendo, vt participes Christi resurrectionis & gloriæ fieri mereamur, ipso præstante, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Mat. 10.

Fortis apud Christianos quis dicatur.

Luc. 23.

DOMINICA IN RAMIS Palmarum.

Philip. 2.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: Qui cũ in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, &c. Exhortatur nos Apostolus in hac lectione fratres charissimi, vt semitam, quam secutus est Christus, sequatur Christianus: Christus sequutus est humilitatem, obediẽtiam & patientiam: Et propter hoc exaltatus est, & datum est ei nomẽ quod est super omne nomen. Sicut primus homo sequutus est superbiam, inobe-

dientiam, & impatientiam, ita propter hoc præcipitatus est. Quia ergo per hæc tria vitia, facta est ruina humani generis, necesse erat vt per tres virtutes, prædictis vitiis contrarias repararetur. Fuit autem in primo homine, superbia quadrifaria: Prima, quia æquare se voluit suo superiori, quando per rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, quæ propriè est arrogantia. Secunda, quia voluit se extollere super suum æqualem, angelum scilicet, quod propriè est superbia. Tertia, quod secundum legem suam, non Dei, voluit viuere: quòd propriè est præsumptio. Quarta, quod peccatum suum conatus est defendere, quod propriè est contumacia. In quibus nos quoque fratres mei, veterem Adam imitamur, cùm vel superioribus nostris nos æquare contendimus: vel cum æqualibus nostris nos semper extollimus: vel cùm non Dei, sed nostram volũtatem facere volumus: vel cùm peccata nostra defendimus vel excusamus. Porrò ad hanc quadrifariam superbiam delendam descendens Christus, exhibuit in se quadrifariam humilitatem: Primã quoniam sicut in hac lectione ostenditur, non per rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. Quod enim habuit per naturã, non præsumpsit per rapinam. Secundam, quoniam semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, non solùm suis coæqualibus patre scilicet & Spiritusancto, sed suis inferioribus angelis, scilicet minoratus: Iuxta quod de eo per Prophetam ad patrem dicitur. Minuisti eum paulominus ab angelis. Subditus etiã fuit hominib⁹: vt Mariæ & Ioseph: Reddens etiam tributũ Cæsari, & lauans pedes seruorum suorum. Tertiam, quoniam in omnibus voluntatem patris quæsiuit facere, non suam. Vnde, descendi, inquit, de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Quartam, quoniã cùm sua nõ haberet peccata, portauit aliena. Vnde Petrus: Peccata, inquit, nostra ipse pertulit super lignũ. Vnde idem ait, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? longè à salute mea verba delictorum meorum, nostra delicta dicens sua. Nos ergo fratres mei, non veterem hominem Adam, sed Christum nouum hominem imitemur. Humiliemus nos non solùm nostris maioribus, sed etiam coæqualibus & mino-

Superbia in Adamo quadrifaria.

Quomodo veterem Adã imitamur.

Heb. 2.

Psal 8.

Mar. 12. Ioan. 13. Ioan. 6.

1. Pet. 2. Mar. 14.

minoribus. Non nostram, sed Dei voluntatē facere, quæramus: non solùm peccatorū nostrorum onus, sed etiam alienorum onera portare satisfaciendo & orando curemus. Fuit etiam in Adam inobedientia, quia creatori suo noluit obedire in bonum suum. Et diabolo inimico suo obediuit in malum suum. Econtrario Christus, vt hic dicitur, fuit factus obediens patri vsque ad mortem, & hoc in redemptionem generis humani, non suam, & non obediuit diabolo in sui præcipitationem. Adam noluit obedire Deo in leuissimis: Et Christus obediuit patri in durissimis. Adam noluit obedire Deo nec minis & præmiis, Christus obediuit patri spontanea voluntate ductus. Adam noluit obedire Deo, vt viueret abstinendo à ligno: Christus obediuit patri, vt moreretur suspensus in ligno. Adam quia inobediens fuit, amisit dominiū quod habebat in omni munda creatura: Christus quia obediēs fuit, data est ei omnis potestas in cœlo & in terra. Fugiamus itaq; fratres, inobedientiam veteris hominis, ne excludamur ab hæreditate patrię cœlestis: sed imitemur obedientiam noui hominis Christi, vt cum eo mereamur glorificari. Adeò enim est necessaria obedientia, quo nullum bonum sine ea potest prodesse, & nullū malum cum obedientia potest obesse. Cùm enim bonum sit comedere pomum, tamen per inobedientiam malum fuit. Et tantum malum, quod non solùm auctorem Adam, sed etiam vniuersam eius posteritatem, à Paradiso proscripsit. Cùm bonum quoq; sit sacrificare Deo, & per pietatem parcere victis, tamen quia contra obedictiam hoc Saul fecit, in hoc grauiter peccauit. Vnde ei & à Samuele dictum est, Magis valet obedientia quam victimæ. Econtrario cùm malum sit vicinorum bona furari vel rapere, tamen Israelitæ spoliantes Aegyptios, quia per obedientiam hoc fecerūt, non peccauerunt, sed potius meruerunt. Item cùm ducere fornicariam, & gignere filios fornicationis, graue delictū sit, tamen Propheta ad mandatum Dei hoc faciens, non peccauit, sed potius promeruit. Quantū etiam bonū sit obedientia, ostendunt multa sanctorū miracula. Maurus quippe ad mandatū patris Benedicti, currens ad eripiendū puerum Placidum de aqua, super aquas legitur ambulasse.

Inobedientia Adæ.

Obedientia necessaria.

Gen. 3.

1. Reg. 15.

Osee 1.

S. Maurus super aquas ambulauit

Alter quoq; ad mandatū Abbatis in clibanū ardentē prosiliens, incōbustus legitur exiisse. Amemus igitur fratres, in omnibus obedientiā, Deo in omnibus obedientes, maioribus nostris etiam in omnibus (quę contra Deum non sunt) obsequentes. Scientes quoniam quod per se videtur inutile & otiosum, si tamen per obedientiam fiat, fit vtile & meritorium. Fuit quoq; in Adam impatiētia, quoniam mitissimum iugum Dei noluit pati, vt viuens mortem euitaret. Ecōtrariò in Christo fuit maxima patiētia, quoniam durum patris mandatum portauit, vt mortes, mortuos ad vitam reuocaret. Adam quoq; non potuit pati pro se mitissima: Christus verò passus est pro aliis durissima. Adam non potuit pati vt abstineret à ligno: Christus sustinuit vt moreretur in ligno. Quæ mors est magis crudelissima, probrosa, & longa. Vnde & patientia eius fuit maior, & abiectior, & longanimior. Crudelis enim mors est non citò, sed lentè occidi. Probrosa mors, inter iniquos reputari. Longa mors est, cum longa vexatione dissolui. Passi sunt autem cum eo iniqui, sed dissimiliter. Sinister enim latro patitur pro peccato suo, nec corrigitur, sed magis improperat, & magis deterioratur. Dexter quoq; latro patitur pro peccato suo & corrigitur, pro se orat, & saluatur. Christus verò patitur non pro suis, sed alienis peccatis: orat pro inimicis, & virtus eius magis ac magis glorificatur. Per hos tres, significantur tria genera patientium. Per sinistrum quippè latronē significātur illi qui pro peccatis suis flagellati non emendantur, sed murmurant, & magis reprobantur. Per dextrū verò latronem significantur illi, qui pro peccatis suis flagellati emendantur, gratias agunt, & saluantur. Per Christū verò significantur innocentes, qui flagella non merita patienter sustinentes, gratias agentes, & pro inimicis suis orantes, magis ac magis clarescunt. Quoniam ergo Christus sic fuit humilis, sic obediens, & sic patiens, exaltatus est ad dexterā patris, & datum est ei nomen, quod est super omne nomen, vt scilicet sit vnus Deus cum patre & spiritu sancto. Et hoc ei idcirco dicitur datum, quoniam quod erat ei natura secundùm quod Deus, ei factum est gratia secūdùm quod homo, *Vt in nomine Iesu omne genu*, id est, omnis po-

Triagenera patientium.

potestas flectatur: Cœlestis, terrena, & infernalis. *Et omnis lingua*, id est, omne genus sermonũ, *confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Itaq; fratres chariſſimi, si cupimus peruenire ad Dei gloriã, sequamur eius viam. Humiliemur, obediamus, patiamur. Quj enim est superbus, inobediens, & impatiens, non incedit viam Christi, sed viam diaboli, & ideò cum eo præcipitabitur & damnabitur. Quotiensq; plus quærimus exaltari in hoc seculo, quàm humiliari, plus præcipere, quàm obedire: plus prosperari in mundanis voluptatibus, quàm correptiones pati: non sapimus ea quæ sunt Dei, sed quæ sunt diaboli. Humiliemus igitur nosmetipsos, non solũm maioribus, sed etiam æqualibus & minoribus. Obediamus Deo & maioribus nostris, non timore, non mercenario, sed amore. Patiamur flagella & tribulationes æquo animo, & si non ita innocenter, vt Christus, tamen vt dexter latro, pro peccatis nostris mala nobis inferri dicamus, gratias agentes, & pro persequutoribus exorantes, quatenus ipsæ passiones sint nobis purgatoriæ & vtiles, vt cum ipso latrone Paradisum intrare mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Quomodo ad Dei gloriã perueniendũ.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

CVm approquinquasset Iesus Ierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, misit duos de discipulis suis, &c. In hac sancti Euangelij lectione, fratres chariſſimi, primò ea quæ ad historiã, secundò quæ ad mysticum sensum pertinent, sunt considerãda. Sunt autem iuxta historiam quinque attendenda. Primò quare Dominus cùm antè latuisset, imminente sua passione, voluit apertè ipsi loco, quo passurus erat, appropinquare. Quod ideò fecit, vt demonstraret se quando oportuit spontaneam subire passionem. Quando igitur latuit, dedit imperfectis exemplum latendi. Quando morti occurrit, dedit perfectis exemplum, morti occurrendi. Quando latuit, fecit quod erat carnis: quando morti occurrit, fecit quod erat spiritus. Iuxta quod ipse ait: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Similiter quando ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem: dixit quod erat humanitatis. Quando verò dixit, Nemo tollit animã meam à me, sed

Mat. 21.

Mat. 25.

Ioan. 10.

sed ego pono eam, dixit quod erat diuinitatis. Itaq; fratres mei, Christus carnis & spiritus, hominis & Dei, veram in se exprimebat naturam. Veruntamē voluntatem spiritus, voluntati carnis, voluntatem diuinam humanæ præferebat. Vnde cùm secūdùm humanitatē dixisset, Transeat à me calix iste: mox diuinam voluntatem ei proponēdam esse demonstrat, cùm subdit: Non tamen quod ego volo, sed quod tu. Nos quoq; fratres, quotiens ex infirmitate carnis aliquid volumus, mox nos reprehendamus, exemplo Christi nostram voluntatem diuinæ voluntati subdamus, dicentes: Veruntamē Domine, non nostra volūtas, sed tua fiat. Secundò considerandum est, quare Dominus duos discipulos solitus erat mittere ad prædicandum, vel ad quærendum hospitium, vel ad adducendū asinam, vel ad aliquid aliud agendum. Ob duplicem causam vtique, quoniam in duobus ostenditur veritatis testimonium, & charitatis exemplum. Veritatis testimonium, quoniam in ore duorum vel trium testium fiat omne verbum. Charitatis exemplum, quoniam non minus quàm inter duos, amor charitatis demonstratur. Vnde hoc, inquit, mando vobis, vt diligatis inuicem. Duo argo mittuntur, vt consono verbo & exemplo, veritatē prædicent & charitatem. Nos ergo fratres, quando in veritate & charitate ad inuicem consonamus: nos esse discipulos Christi demonstramus. Quando verò (quod absit) à veritate & charitate discordamus, non Christi, sed magis diaboli nos discipulos esse demonstramus. Tertiò verò considerandum est, quomodo Deus ostendit se veram habere diuinitatem, in eo quod futura tanquam præsentia narrat, & quod corda hominum se præscire demōstrat. Scire enim futura tanquam præsentia, & præscire hominū corda solius diuinitatis est. Porrò futura tanquam præsentia se scire demonstrat, cùm ait: *Inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea* Corda hominum se præscire demonstrat, cùm subdit: *Et si quis aliquid vobis dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.* Nec solùm quippè nouit corda hominum, sed etiam ea quo vult, inclinat. Nam de eo scriptum est: Qui mutat corda Regum. Oremus ergo eum fratres, vt ipse corda nostra in melius commutet, & ad sequendam

Quare Dominus solitus est mittere duos discipulos.

In veritate & charitate concordandū.

quendam suam voluntatem inclinet. Quartò considerandum est, cùm Dominus semper ire pedes soleret, quàre hac vice vehiculum quæsiuit, quod ideò fecit, quia appropinquauerat tempus quo ipse erat exaltandus. Vnde ipse imminente passione, ait: Pater clarifica nomen tuum: Venit hora vt clarificetur filius tuus. Et Pater: Clarificaui, inquit, & iterum clarificabo. Appropinquãte quippe passione, maiora cœpit agere, & apertius, altiusq; prædicare, acriùs Iudæos reprehendere, plures secum ducere. Imminente quippe passione, quatriduanum resuscitauit, diuinitatem suam apertè prædicauit, super asinam sedens Hierusalem venit, & à populo cum honore susceptus est. Et laudes populi quem antè tacere præcipiebat, modo nõ refutauit, sed potius dixit: Si hi tacuerint, lapides clamabunt. Sed fratres mei, exaltatio Christi, quoniam humilitatem habuit, fundamẽtum stabit in æternum. Quæsiuit enim gloriam non suam, sed patris. Ascendit non super equum superbiæ, sed super asinam humilitatis. Susceptus fuit cum laudibus, nõ ab adulatoribus, sed à simplicibus, qui nesciunt adulari. In quo confunduntur illi, qui antequam sciant humiliari, exaltari volunt, cùm scriptum sit, Gloriam præcedit humilitas. Confundũtur & illi, qui gloriam suam, non Dei quærunt, qui super equos faleratos ventosè incedunt, qui laudem ab adulatoribus volunt. Quintò considerãda est fratres mei, veteris & nouę legis consonantia, pariter & adimpletio. Assumptio enim agni Paschalis in decima luna, & immolatio in quarta decima, iuxta quod scriptum est: Decima die mensis huius tollat vnusquisq; agnũ, & seruabitur vsq; ad quartam decimam diem, & tunc immolabitur ad vesperũ, in ipso adimpleta est. Christus enim die decima, id est, hodie venit Hierusalem, & quartadecima die ad vesperũ captus, ad victimam ductus est. Prophetia Zachariæ hæc scilicet, Noli timere filia Sion, quia Rex tuus venit mansuetus tibi, sedens super pullum asinæ, in ipso adimpleta est. Laus etiã puerorum, iuxta quod scriptum est: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudẽ: in Christo adimpleta est. Ipsa etiam laus de Psalmo sumpta est. Vbi enim nos dicimus: O Domine, saluũ me fac: Hebræus habet, Osanna, benè prospe-

Ioan. 17.

Ioan. 12.
Mat. 21.

Prou. 15.

Veteris et nouæ legis consonantia.

Zach. 9.

Psal. 8.

rare,

rare, benedictus qui venturus est in nomine Domini. Con-
Psal. 117. densitates palmarũ & ramorum, de quibus in Psalmo dicitur: Constituite diem solennem in condensis, hodie in Christo adimpletæ sunt. Mystice verò fratres mei, Dominus ad montem Oliueti, id est, ad altitudinem misericordiæ venit, quando per carnem ad redimendũ, Hierusalem appropinquauit. Inde misit duplicem prædicatorum ordinem, vnum ad adducendum per fidem plebem Iudæorum: alterum ad adducendum populũ Gentium. Asinus, est animal mansuetũ, brutum, laboriosum, & vtilitati deditum. Et Deus quærit mansuetos, seculo stultos, laboriosos, & vtilitati proximorũ deditos. Per asinam igitur, quæ subiugalis & mater erat, significatur plebs Iudæorũ, quæ sub iugo legis erat, & populi Gentiũ per fidẽ mater erat. Per pullum verò liberũ & lasciuum, exprimitur populus Gentium, qui sine lege erat, & ad peccandum dissolutus erat. Super ambos ponũt Apostoli vestimẽta sua, quando eos doctrinis Euangelicis onerant & honorant, vt in eis Dominus sedeat, & eos regendo in cœlestem Hierusalem ducat. Vestimenta sua sternunt in via actiui, qui de rebus temporalibus se exuentes, eas in obsequium Christi suorum membrorumq; expendunt. Ramos de arboribus cedunt, & in via sternunt prædicatores, qui de libris sententiarũ moraliũ flosculos excerpunt, & eos in via membrorum Christi prætendunt. Osanna in excelsis clamant contemplatiui, qui diuinis laudibus & orationibus instant. Nec solùm quidem specialiter, sed & generaliter turbæ, quæ præcedebãt, & sequebãtur, clamabant Osanna: quoniam omnes & qui præcesserũt, & qui sequuntur aduentum Christi, in fide & cõfessione saluantur Dominicæ incarnationis. Et non solùm contemplatiui, sed etiam actiui & doctores frequẽter diuinis laudibus & orationibus intendere debent. Significantur autem hæc tria hominum genera, per Noë, Danïel, & Iob: quos solos Propheta dicit liberandos. Per Noë, quippè rectores, per Danïel contemplatiui & casti: per Iob actiui & vxorati significantur. Itaq; fratres, illi soli qui istorum vitam tenuerunt, saluabuntur. Qui ergo rector est seipsum & alios benè regat, verbo & exemplo eos instruat, flores moraliũ sententiarum

Per asinã significabatur plebs Iudæorũ.

Per pullũ populus Gentium.

Per Noë, Danïel, et Iob tria genera hominum significantur.

rum ad eos pascendos proponat. Qui verò contemplatiuus est, diuinæ laudi & orationi insistat, nec ducat vitam otij & pigritiæ: sed quantò à seculo est liberior, tantò diuinis sit intentior: Odoret & prægustet, in via dulcedinem & suauitatem, quæ est in patria. Qui verò actiuus & vxoratus est, ita agat exteriora, quod non obliuiscatur interiora: sic transeat per seculum, quod non obliuiscatur Deum: Vestes & temporalia bona expendat in vsus pauperum & membrorum Christi. Sit hospitator peregrinorum, vestitor nudorum, redemptor captiuorum, visitator infirmorum, sustentator pauperum, defensor viduarum & pupillorum: vxorem & liberos habeat benè disciplinatos, familiam immaculatam: in vsu secularium sciat quærere & lucrari Christum. Sic sic fratres mei, viuentes, cum Christo in cœlestem Hierusalem intrare, & cum eo in æternum viuere poterimus. Ipso præstante qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

IN COENA DOMINI.

Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, &c. Hanc lectionem fratres charissimi, tantò propensius audire debemus, quantò magis necessarium in ea salutis nostræ continetur Sacramentum. Sunt autem huius lectionis quatuor partes. In prima reprehendit Apostolus Corinthios de abusione Sacramenti altaris. In secunda tradit formam illius Sacramenti. In tertia demonstrat quomodo ad illud accedere debeamus. In quarta ostendit quid indignè accedentes mereantur. Ostendit igitur Apostolus primò abusionem Corinthiorum in hoc Sacramento, cùm dicit: *Conuenientibus vobis in vnũ, iam nõ est Dominicã cœnã manducare.* Peccabant quippè Corinthij, vel in hoc quòd pransi ad hoc Sacramentum accedebant, vel quia potius corporalem quàm spiritualem satietatem in hoc Sacramẽto quærebant: vel quia offerentes oblationes suas, nihil offerentibus non communicabant. Peccabant enim Corinthij in hoc, quod ad Eucharistiam pransi accedebant. Ad nullum enim Sacramentum, & multò minus ad Eucharistiæ Sacramentum, quod maius est cæteris & dignius, acce- 1. Cor. 11.

accedere debemus pransi, sed potius ieiuni & sobrij, nisi forte necessitas cogat infirmitatis. Quod enim Dominus inter prandendum istud Sacramentum tradidit, hoc ideò fecit, vt de figuratiuo ad verum Pascha transiret: & per illud, istud significatū fuisse demonstraret. Peccabant enim in hoc, quod hoc Sacramento non spiritualem, sed corporalem quærebant satietatem. Quamuis enim in hoc Sacramento remaneat sapor panis & vini, tamen spiritualis cibus est, nō corporalis. Nec spiritualis, sed carnalis homo est, qui in hoc Sacramento carnalem suam quærit satietatem. Peccabant quoque & in hoc quod oblationes suas nihil offerentibus non communicabant. Quoniam qui minus Deo obtulit, in eo ius proprium amisit: Et Ecclesiæ Sacramēta non diuitum sunt tantùm, sed potius omnium communia. Et hoc contra illos est, qui in hoc quod dederunt Ecclesiæ aliquod priuilegium, præ cæteris volunt habere. Vnde & hoc Sacramentum specialiter vocatur Sacramentum communionis. Debent enim omnes fideles in hoc Sacramento habere communionem Sacramenti, fidei, & charitatis. Nihil enim prodest fictis Christianis habere communionem Sacramenti cum fidelibus, cùm non habeat in eis communionem fidei. Rursus nihil prodest malis Christianis habere communionem Sacramenti & fidei cum bonis, quum non habent cum eis cōmunionem charitatis. Hæc enim communio, per hoc Sacramentum significatur. Sicut enim plures grani vniuntur in cōfectione vnius panis, ita plures Christiani colligūtur in vnione Ecclesiæ per fidem & charitatē. Vnde Apostolus: Multi enim vnus panis sumus in Christo. Nihil enim aliud est corpori & sanguini Christi communicare, quàm de vnione Christi & Ecclesię esse. Vnde Dominus: Qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Sed, vt ait Apostolus, *Conuenientibus vobis in vnum*, solo corpore, non charitate, *non est Dominicā cœnam manducare. Vnusquisque enim cœnam*, id est, oblationem suam, quæ debuit omnibus communicari, *præsumit* ad manducandum sibi soli: *Et alius quidem esurit, alius autē ebrius est.* Istis fratres mei, sunt hodie similes quidā clau-

Eucharistia sacramentum communionis.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

claustrales, qui cùm se & sua Deo obtulerint in holocaustum, tamē cōmunia rursus sibi appropriātes, quisq; suam cœnam, & sua vestimenta præsumit habere. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est, alius duplicibus tegitur, alius friget. Sed profectò sic conuenientibus vobis in vnum, non est Dominicam cœnam manducare. Nos quoq; fratres, quod sine gemitu dicere nequeo, istis similes videmur, qui cùm conueniamus cum pauperibus in vnam Ecclesiam, & in vnam fidem, & eadem Sacramenta participemus, tamen vnusquisque nostrûm qui res temporales largius possidemus, suam delicioſam cœnam præsumit ad manducandum, & sua mutatoria ad vestiendum, pauperibus fame & frigore pereuntibus. Sed profectò sic conuenientibus in vnum, non est Dominicam cœnam manducare. Ergo fratres mei, vt Dominicam cœnam dignè manducare valeamus, communicemus eis cibaria nostra, qui nobiscum communicant eadem Sacramenta. Communicemus eis nostra vestimenta, qui nobiscum sunt communicaturi sempiterna. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* hoc ideò dicit, non quod illi qui in domibus suis delitias epulantur, excusabiles sint, si fiunt duri & incommunicabiles contra pauperes, sed quoniam non ita cruciant pauperes absentes delitiæ, sicut præsentes. Visæ enim delitiæ plurimum cruciant egentes, dum eis incutiunt inuidiam, cupiditatem, & pudorem. Hinc est quod Lazarus egens ad visas diuitis purpurati delitias, multum tentatus, & ideò probatus est. Sed & ipse diues minus excusabilis est, quod ad quotidie visam pauperis indigentiam, nulla humanitate motus est. *Aut Ecclesiam*, inquit, *contemnitis*. Ecclesiam quippè Dei contemnit, qui pauperes Dei, (quî vtiq; de Ecclesia Dei sunt) per delitias suas scandalizare præsumit. Ecclesiā etiā Dei cōtemnit, qui cùm habeat domū in qua māducet, in Ecclesia manducat escas corporales: Ecclesia quippè nō corporalis, sed spiritualis refectionis locus est. *Et cōfunditis*, id est, erubescere facitis, *eos qui nō habent*. Ac si diceret: Si ita inhumani estis, quod escas vestras non habētibus cōmunicare non vultis, saltē à conspectu paupērū remoti: eas vescimini, ne præsentibus pu-

claustrales.

Quomodo Dominicā cœnā māducare debemus.

Ecclesiam contemnere quid.

acramẽtum altaris accedendum sit, cùm subditur: *Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Id est, non ad meritum, sed ad reatum sumet. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.* Probet autẽ, id est, diiudicet, examinet, & emendet totam vitam suam, omnes cogitationes, omnia delicta & facta sua ad iudicium vocans, vt quod viderit in se vitiosum, abiiciat. Quod viderit sibi deesse, acquirat: quod incultũ, excolat: quod purum, magis purificet. Non solùm autem criminalia, sed etiã omnia venialia pro posse euitet. A quibusdam etiam mediis & imperfectis bonis abstineat: vt à cõplexu etiam legitimæ vxoris: à causarum etiam iustarum negotiis, à iusta etiam repetitione debitorũ. Ad perfecta autem & maxima bona pro posse suo se extendat: vt ad diligendum inimicum, ad remittẽdum iniurias sibi illatas, & benefaciendum persequutoribus. Taliter autem purgatus & purificatus, poterit ad Sacramentum corporis & sanguinis Domini dignus accedere.

Probare se quid.

Indignè mãducare & bibere.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quid indignè accedens ad Sacramentũ altaris, mereatur, cùm subditur: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Indignè manducat & bibit, qui vel incredulus vel immundus, vel interdictus, vel incompunctus, accedit. Et talis, iudicium sibi manducat & bibit, id est, quia talis manducat & bibit, pœnam sibi acquirit. Quod enim in se optimum, indignè accedenti sit malum. Non diiudicans corpus Domini, id est, non discernẽs à communibus cibis. Ideò enim iudicium sibi sumit: quoniam sicut ad corporales cibos, sine deuotione & reuerentia ad Dominicum corpus accedit. Et quoniam multi indignè accedentes, iudicium, id est, pœnam sibi acquirunt. *Ideò inter vos sunt multi infirmi*, aliqua breui ægritudine, illi scilicet qui minus in hoc peccãt: *Et multi imbecilles*, diutino languore, illi scilicet qui magis in hoc peccant: *dormiunt* etiã morte corporali multi, illi scilicet qui multum in hoc peccant, de quibus intelligendum est, quoniam si dignè (de hoc quod indignè corpus Domini sumpserunt) pœnituerint, fit eis ipsa mors pœna purgatoria peccati. *Quod si nos.*

calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, id est repræsentabitis. Quando enim Sacerdos eleuat hostiã, & ei imprimit crucis signũ, eleuationẽ Christi in cruce repræsentat. Depositio verò vini vel panis in calicẽ, Christi repræsentat sepulturam. Inuolutio verò corporalium circa calicem, sudarij circa corpus repræsentat obuolutionem. Mysticè verò Dominus panem accepit, quando in sua persona naturam humanam assumpsit. Gratias egit, quãdo de assũpta humanitate obediendo Deo Patri gratias egit. Benedixit, quãdo corpus suũ omni gratia & benedictione repleuit. Fregit, quando illud passioni exponens, animam à corpore separauit. Dedit discipulis suis corpus suum, non solùm in viaticum Sacramenti, sed etiam in pretium redemptionis in via, id daturus in præmium retributionis in patria. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt sicut ego meipsum do & pono pro vobis, ita etiã vosmetipsos date pro me, & pro fratribus vestris. Moraliter autẽ quãdo Dominus hoc egit, quid agere debeamus, demonstrauit. *Accepit*, inquit, *panem & gratias egit*. Demonstrans vt quãdo panem vel alium cibum accipimus, Deo largitori gratias agamus: sicut magna etiam ita modica lætè, & cum gratiarũ actione percipientes, vt sciamus cum Apostolo & abundare & penuriam pati. Benedixit *Philip. 4.* etiam panem, instruẽs nos vt quando panem, vel vinum, vel alios cibos sumimus, eos prius benedicamus: quod Sacerdotis officium est, si præsens fuerit. Sin autem Diaconi vel Subdiaconi: Qui si non affuerint, paterfamiliâs, vel etiam eo absente, materfamiliâs, cœnam suam benedicere debet. Fregit etiam Dominus & dedit discipulis suis, docens nos, vt panem nostrum esurientibus frangamus, non solùm corporalem, sed etiam spiritualem. Iuxta quod scriptum est, Frange esurienti panẽ tuum, & egenos, vagosq; *Esa. 58.* induc in domum tuam. Non simus de illis de quibus dicitur: Paruuli petierunt panẽ, & non erat qui frangeret eis. *Treno. 4.* *Hoc est*, inquit, *corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam cõmemorationem.* In hoc instruit nos, vt nos quoq; exempli eius memores non solùm nostra, sed etiam corpus nostrum proximis nostris tradamus.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quomodo ad

acramẽtum altaris accedendum sit, cùm subditur: *Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Id est, non ad meritum, sed ad reatum sumet. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.* Probet autẽ, id est, diiudicet, examinet, & emendet totam vitam suam, omnes cogitationes, omnia delicta & facta sua ad iudicium vocans, vt quod viderit in se vitiosum, abiiciat. Quod viderit sibi deesse, acquirat: quod incultũ, excolat: quod purum, magis purificet. Non solùm autem criminalia, sed etiã omnia venialia pro posse euitet. A quibusdam etiam mediis & imperfectis bonis abstineat: vt à cõplexu etiam legitimæ vxoris: à causarum etiam iustarum negotiis, à iusta etiam repetitione debitorũ. Ad perfecta autem & maxima bona pro posse suo se extendat: vt ad diligendum inimicum, ad remittẽdum iniurias sibi illatas, & benefaciendum persequutoribus. Taliter autem purgatus & purificatus, poterit ad Sacramentum corporis & sanguinis Domini dignus accedere.

Probare se quid.

Indignè mãducare & bibere.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quid indignè accedens ad Sacramentũ altaris, mereatur, cùm subditur: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Indignè manducat & bibit, qui vel incredulus vel immundus, vel interdictus, vel incompunctus, accedit. Et talis, iudicium sibi manducat & bibit, id est, quia talis manducat & bibit, pœnam sibi acquirit. Quod enim in se optimum, indignè accedenti sit malum. Non diiudicans corpus Domini, id est, non discernẽs à communibus cibis. Ideò enim iudicium sibi sumit: quoniam sicut ad corporales cibos, sine deuotione & reuerentia ad Dominicum corpus accedit. Et quoniam multi indignè accedentes, iudicium, id est, pœnam sibi acquirunt. *Ideò inter vos sunt multi infirmi,* aliqua breui ægritudine, illi scilicet qui minus in hoc peccãt: *Et multi imbecilles,* diutino languore, illi scilicet qui magis in hoc peccant: *dormiunt* etiã morte corporali multi, illi scilicet qui multum in hoc peccant, de quibus intelligendum est, quoniam si dignè (de hoc quod indignè corpus Domini sumpserunt) pœnituerint, fit eis ipsa mors pœna purgatoria peccati. *Quod si nos-*

si nosmetipsos, inquit, *diiudicaremus, non vtique iudicare-* Iudicari à
mur. Nosmetipsos fratres mei, tunc iudicamus, quando Domino.
nosmetipso de peccatis nostris accusamus, damnamus, & punimus. Accuset igitur peccata nostra intus conscientia nostra: memoria nostra cõtra nos testimoniũ perhibeat: ratio nostra nos reos & suppliciis dignos pronuntiet. Timor vehemens gehennæ tanquam grauis tortor, nos intus puniat, & de cõpunctione animę lachrymas tanquam sanguinem emittat. Si enim fratres mei, taliter nosmetipsos diiudicaremus, nõ vtiq; à Deo iudicaremur, id est puniremur, vel pœna æterna, vel etiã pœna temporali, quæ pro contemptu pœnitentiæ nobis infligitur sæpè. Cùm enim nos excusamus, Deus nos accusat, cùm nosmetipsos iudicamus, Deus nos absoluit & iustificat. Et cùm nos iustificamus, Deus nos iudicat. Est autem melius in hoc seculo iudicari nos à Deo, quàm in futuro. Vnde & subdit: *Cùm iudicamur autem*, id est, cùm flagellamur hîc, *à Domino corripimur*, vt non cum hoc mundo peruerso in æternũ damnemur. Itaq; fratres mei, flagella Dei tanquam pij patris hîc benignè sustineamus, & ei de flagellis nostris gratias agamus. Qui ideò nos punit breuiter in hac vita, ne nos puniat æternaliter in futura, cui laus sit per omnia secula seculorum, Amen.

IN COENA DOMINI.

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora Ioan. 13.
eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem: Cùm dile-
xisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Huius Euangelicæ lectionis fratres charissimi, tres sunt partes. In prima demonstratur Dominum, imminente sua passione, maius signum dilectionis suæ ostendisse. In secunda ostenditur in quo. In tertia quare hoc fecerit, demonstatur. Ait igitur Euangelista: *Ante diem festum Paschæ*, illius scilicet in quo crucifigendus erat. *Sciens Iesus quia venit eius hora*: hora scilicet non necessitatis, sed voluntatis suæ, vt transeat ex hoc mundo ad patrem. In quibus verbis ostenditur, vnde festum Paschæ, Pascha dicatur. Pascha enim nomen Hebræum est, & à transitu dicitur. Pascha.
In hoc quippè festo filij Israël per immolationem agni transierunt de Aegypto ad terram promissionis. Christus

quoque per sanguinem suum de hoc mundo transiuit ad cœlum. Nos quoque fratres mei, si verè Pascha celebrare volumus, ab Aegypto ad terram promissionis, à mundo ad cœlum, à vitiis ad virtutes, desiderio transire debemus. Et vt lex dicit, carnes agni comedere festinanter: vt scilicet festinemus tanquam peregrini, de exilio huius mundi transire ad patriam cœlestem. *Cùm dilexisset*, inquit, *suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: In finem eis maioris exhibuit signum dilectionis. Recessurus enim ab eis, vt sui memoriam arctius mentibus eorum infigeret, eis maiorem ostendit teneritudinem amoris, mysteria corporis & sanguinis sui eis tradendo, & hoc facere in sui commemorationem præcipiendo, eorum pedes lauando, eos consolando, vt quando dixit: Non relinquam vos orphanos, vadam & veniam ad vos. Spiritum sanctum eis missurum promittẽdo, & huiusmodi. Nos quoque fratres, Domini & Magistri nostri exemplum sequentes, recessuri ab eis cum quibus habuimus longam conuersationem, in fine debemus eis ostendere maiorem dilectionem, quatenus veræ dilectionis exemplum relinquamus, & eorum mentibus dilectionem & memoriam nostri arctius infigamus. Sequitur pars secunda, in qua ostenditur in quo maiorem Dominus suis ostenderit dilectionem, cùm subditur: *Et cœna facta, cùm diabolus immisisset in cor, vt traderet eum Iudas Simon Scariothes, etc.* Miræ patientiæ exemplum nobis, fratres chariſſimi, Dominus dereliquit, in hoc quòd tam patienter proditorem suum sustinuit, non excludens eum à consortio suo, non à mensa, non ab osculo. Nos quoq; fratres, sequentes Magistrum nostrum, inimicis nostris patientiam exhibeamus, communicantes eis nostram dilectionem, rem temporalem & pietatem, vt sic eius animam ad amorem inflectere valeamus. Hoc contra illos est qui nequeunt pati hominum naturam, ne dum malitiam. Nam vt taceam de inimicis, si coniunx, vel amicus, vel socius, vel familiaris aliquantulum iracundus, vel hæbes, vel tardus fuerit, statim eos obiurgant vel irrident, vel cõtumelias inferũt. Sed qui talis est, ipse per impatientiam sibi testis est quod ipse reprehensibilis est. Non ita faciendum est fratres.

Quomodo Pascha celebrare debemus.

Luc. 22.

Patientiæ exemplũ.

Nam

Nam si Christus mundus & sanctus patienter sustinuit suum proditorem, tu peccator nō sustinebis peccatorem? Si Christus sustinuit inimicum, tu non sustinebis amicum? Itaque familiarium & proximorum nostrorum vitia patienter sustineamus, palàm dissimulemus, secretò corrigamus. Quod autē ait, *Cùm diabolus in cor misisset*, non ita intelligendum est, fratres charissimi, quod diabolus putetur immittere vel creare cogitationes in cordibus hominum. Diabolus enim non est auctor cogitationum, sed suggestor, suadere potest, non violenter immittere. *Diabolus nō est auctor cogitationum, sed suggestor.* In potestate autem hominis est, consentire, vel non consentire. Vnde Dominus ad Cain: In potestate tua erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Hoc contra illos, qui quando aliquod scelus perpetrauerint, dicunt diabolum hoc sē facere fecisse, & culpam diabolo adscribūt, dum se excusare cupiunt. In quo magis se incusant & peccatum augent. Nam & diabolo sponte consenserunt, & cum eo iustè sunt puniendi. *Sciens*, inquit, *quod omnia dedit ei Pater in manus suas*, cœlestia, terrestria, & infernа, bonos & malos: illos ad saluandum, hos ad iudicandum: illos ad eligendum, hos ad reprobandum. Et quia potens & Dominus omnium, humiliauit se ad pedes seruorum: iuxta illud, Quantò maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Et illud: Qui maior est, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. *Ecclē.3. Mar.10.* *Et quia*, inquit, *à Deo venit, & ad Deum vadit.* Sic ideò bonum exemplum ad Deum eundi suis relinquere voluit. *Surgit à cœna, & ponit sua vestimenta, & cùm accepisset linteum, præcinxit se.* Postquam distribuit cibaria vitæ, vt Dominus, dat exemplū humilitatis, factus vt minister. Sic fiat & spiritualis quisq; magister. Postquam sederit docens & corrigens vt magister, surgat & accingatur ad ministrandū vt humilis minister. Hoc contra quosdam sanctæ Ecclesię Prælatos, qui semper volunt sedere & dominari: surgere autem ad ministrandū & humiliari refugiunt. Ponit igitur vestimenta sua, præcinxit se linteo, mittit aquam in peluim. Officium expediti & deuoti vernaculi exhibet Dominus, dans exemplum vt qui ministrat, expeditè & deuotè ministret. Quia quāto aliquis est prom- *Contra quosdam Prælatos Ecclesiæ.*

ptior & deuotior in ministerio : tantò maior est in meri-
Hiere. 48. to. Quoniam maledictus qui facit opus Dei negligenter. Mysticè verò in hoc quod Dominus ipse ministrat aquã, lauat pedes discipulorum & abstergit, demonstrat quod ipse solus est potens ministrare hominibus lauachrũ compunctionis & lachrymarum: ipse solus potens est mundare & extergere sordes nostrorum affectuum. Nemo enim mundus est, qui ab eo lotus non est. Vnde & posteà respondit Petro: Et si, inquit, non lauero te, nõ habebis partem mecum. Venit ergo primò ad Simonem Petrũ, ostendens priores partes dandas priori. Et nullũ in hoc seculo sic esse perfectum, quin non habeat aliquid lauandum.

Nullus in hoc seculo perfectus.

Videns autem Petrus diuinam maiestatem ad lauandum pedes suos inclinari, non est mirum si miratur & refugit. Sed cùm audit, quod si non ab eo lauetur, alienus erit ab eo, consentit. Nos quoq; fratres, si maior persona se humiliet ad seruiẽdum nobis, per humilitatem refugiamus. Quod si per charitatem institerit, consentiamus, ne prohibendo eam, diuinum implere mandatum culpabiles inueniamur. Porrò audiens Petrus se propter pedum lauationem cum Domino partem habiturum, vt maiorem possit cum eo habere partẽ, optat se totum ab eo lauandum, dicens: *Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput*: id est, mentem & operationem. Sed Dominus qui nouit hominem, melius quàm homo seipsum, dicit eum nõ indigere, nisi vt pedes lauet, dicens: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*, id est, qui lotus est à criminalibus, non indiget, nisi vt lauetur à venialibus, sine quibus vita præsens non ducitur. Per pedes quippè affectiones, quibus ad opus agendum vadimus, significãtur. Affectiones verò nostræ, quia non possunt tangere terrena, dum sumus in hoc mũdo, inde aliquid pulueris, id est, sordis venialis contrahunt quod quotidie per confessionem, orationem, & eleemosynam, & cætera bona necesse est mundari. Inde præcepit Dominus, vt puluerem pedum excutiant Apostoli in testimonium illis qui eis credere noluerunt. Quia si quid venialis maculæ in sollicitudine & prædicatione, quam ad conuertendum eos habuerunt, contraxerunt, ab eis excutietur in eos, quorũ causa contracta

Per pedes affectiones significantur.

Mat. 10.

sunt.

sunt. *Et vos*, inquit, *mundi estis, sed non omnes.* In numero tangit eum indefinitè qui immundus erat, vt notatus erubescat & conuertatur. In quo doctoribus sanctæ Eccle siæ exemplum dedit, vt eum, cuius crimen occultum est, non publicè arguant, sed in communi sine nomine tangant, vt intelligens se notari, timeat & conuertatur.

Crimen occultum nõ publice arguendum.

Sequitur pars tertia, in qua causa facti demonstratur, cùm subditur: *Postquam autẽ lauit omnium pedes, accepit vestimenta sua, & cùm recubuisset, iterum dicit eis: &c.* Postquã summus magister causa ostendẽdæ humilitatis, se à dignitate cathedræ inclinauit, iterum ad officium cathedræ redit. Quem imitantes magistri sanctæ Ecclesiæ, cum causa humilitatis & exempli, se subditis suis inclinauerint, iterum ad altitudinem & officiũ cathedrę redeant, vt videlicet ex humilitate sibi comparant subditorũ amorem & imitationem, & ex dignitate cathedræ, reuerentiam & timorem. Si enim semper inclinentur, à subditis quidem amantur, sed non timentur. Si verò semper sublimentur, timentur quidem, sed non amantur. Cùm prælatus simul debeat timeri & amari. *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis*, id est, qua causa hoc fecerim vobis. *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim.* Ipse enim solus est magister, qui nõ exterius, sed interius docet, qui nisi intus doceat, in vanum lingua docentis laborat extra, vnde, ne vocemini, inquit, magistri: quia magister vester vnus est Christus. Ipse etiam solus vniuersaliter & semper est Dominus: Vnde & dicitur: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Cæteri verò non Domini, sed diminutiuè, Domini dicendi sunt: *Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & magister, tanto magis & vos debitis alter alterius lauare pedes.* Argumentum est à maiori. Si enim Dominus lauit pedes serui, quanto magis seruus debet lauare pedes conserui. Etsi magister lauit pedes discipuli, quantò magis discipulus debet lauare pedes condiscipuli. Si Deus qui non indiget propter hominem voluit humiliari, quãto magis homo qui indiget propter se debet humiliari. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quẽadmodum feci vobis*, ita & vos faciatis. Exemplum humilitatis, exẽplum amoris, exemplum emundationis dedit.

Christus solus magister, qui exterius & interius docet.

Argumentum à maiori.

Primò exemplum amoris, vt in exemplo magistri, discant
Ioan. 13. discipuli sese inuicem diligere. Vnde, Mandatum inquit nouum do vobis, vt diligatis inuicē, sicut ego dilexi vos. Exemplum humilitatis, vt in exemplo magistri discāt discipuli alterutrum humiliari. Exemplum emundationis, vt exemplo magistri discant discipuli sese alterutrum, per confessionem, orationem, & pietatem à peccatis emundare, & alter alterius onera portare. Itaque, fratres mei,
Vestigia Christi sequenda. veri & summi magistri vestigia sequentes, humiliemur ad inuicem, lauātes pedes pauperum & subditorum nostrorum. Sed & hoc parum est, nisi & eos diligamus. Sunt enim quidam qui humiliātur, & lauant pedes pauperum, non ex amore, sed etiam ex quadā coactione, nec syncere isti imitantur exemplum Christi, qui ex vera dilectione pedes pauperum lauit. Itaque nos fratres, ex vero amore pedes pauperum tanquam fratrum nostrorum lauemus. Nec hoc sufficit, nisi & eorum emundationem & salutem in anima quæramus: Vt videlicet postquam lauerimus pauperes, calciauerimus, & satiauerimus corporaliter, satiemus eos spiritualiter, frangentes eis panem diuini verbi, panem correctionis, eruditionis & exhortationis, orantes vt & ipsi lauent nos orationibus suis apud Deum, quatenus pure Pascha celebrare mereamur. Largiente qui Pascha nostrum immolatus est Christo Domino nostro. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen.

IN PARASCEVE.

Exod. 12. *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti. Mensis iste vobis principium mensium, &c.* In hac lectione fratres charissimi, Dominus tradidit olim Iudæis historialiter, qualiter figuratum Pascha deberent celebrare: nobis vero si spiritualiter sapimus, tradidit in eadem lectione, quomodo spirituale Pascha debeamus celebrare. Nos quoq; fratres, Pascha sanguinis animalium, animalibus Iudæis relinquentes, in his inquiramus, qualiter spiritualiter Pascha celebrare valeamus. Hæc itaq; lectio mysticè intellecta, tradit nobis sex, videlicet vbi, à quibus, & quando Pascha debeat celebrari: Et qualis debeat esse Paschalis agnus: Et quid cōferat immolatio eius, & quomodo

modo erat comedendus. Vbi debet Pascha celebrari? In terra Ægypti. In Ægypto quippè de celebratione Paschæ primum mandatum fuit à Domino datum, sicut hic legimus, & primũ Pascha fuit celebratũ. In Ægypto igitur, id est, in tenebris & mœrore huius mundi mandatum à Deo de celebrando Pascha, id est, transitu huius mundi accepimus: Quatenus exemplo Israëlitarum de Ægypto ad terram promissionis, de vitiis ad virtutes, de exilio ad supernam patriam, desiderio transeamus. A quibus debet Pascha celebrari? ab Israëlitis, id est à viris desiderantibus videre Deum: Ab Hebræis, id est transeuntibus à vitiis ad virtutes, ab exilio huius mundi ad cœlestem patriam. Hi enim soli fratres mei, verè Pascha celebrant, quibus odio est mundus, qui conqueruntur, & dicunt cum Propheta: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, qui trãsiliunt desiderio, vt videant Deum Deorum in Sion. Vnde & Dominus Iesus se à Galilæis in Galilæa, promittit videndum, id est, à transmigrantibus in transmigrationem. Qui verò mundum complectũtur amore, qui semper hic vellent viuere, qui de terrena contendunt hæreditate, nequaquam dignè possunt celebrare Pascha spirituale. Quãdo debet Pascha celebrari? In quartadecima luna primi mensis. In primo enim mense, id est, in lunatione Aprilis, quæ in Martio aliquando secundum nos incipit, creauit Deus mundum, & in eodem recreauit eum. Eodem igitur tempore, imò eodem mẽse & eodem die, & eadẽ forte hora, qua creauit Deus hominẽ, recreauit eundem. In quartadecima luna probabile est hominem esse creatum: Cum enim quarta die creata sit Luna in plenilunio: sexta die potuit esse talis, qualis solet esse quartadecima. Hinc & Paschalis agnus decima die de grege sumptus est: quartadecima die ad vesperũ immolabatur. Christus quoque die decima Hierusalẽ veniens ad passionem, quartadecima die agnum comedens eadem nocte traditus est, & ad passionẽ ductus. Mystice verò quartadecima luna immolabatur agnus ad vesperum, quoniam significabat Christum, qui decalogũ, & quatuor in se complens Euãgelia, in vespere mundi immolatus est. Pulchrè etiam in tẽpore quo cuncta reuirescunt, & renouantur, & agnus legalis,

A quibus debet Pascha celebrari.

Psal. 119.

Mundani spirituale Pascha nõ celebrant.

&

& verus agnus Christus, immolatus est: quoniã per passionem Christi mundus à vetustate exuitur, & in virtutibus virescit & renouatur. Nos quoque fratres, in vernali tempore, & in quartadecima luna pascha debemus celebrare: quoniam nisi deposita vetustate, innouari & virtutibus virere cęperimus, & nisi doctrinam decalogi & quatuor Euangeliorum tenuerimus, spirituale pascha celebrare non valemus. Qualis debeat esse agnus paschalis? sine macula, masculus anniculus id est, perfectus in munditia, & in virtute & tempore. Quis est hic agnus, nisi agnus Dei, qui abstulit peccata mundi? Qui fuit sine macula, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: Qui fuit & masculus, id est, virilis & virtuosus, virtute & sapientia perfectus, vtpote qui debellauit aëreas potestates, & alligauit fortem armatum, & distribuit spolia eius. Fuit etiam agnus anniculus, id est, perfectus tempore & corpore, quoniam in perfecta ætate passus est, in qua etiam nos teste Apostolo, resurgemus: donec, inquit, occurramus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quid conferebat agni paschalis immolatio? ab angelo percutiente liberationem, hostium carnalium submersionem in via cõfortationem. Sic quoque fratres mei, Christi immolatio liberat nos à diabolo, extinguit in nobis vitia carnalia, est nobis viaticum & cõfortatio, huius exilij via. Sicut enim Hebræi per sanguinem agni linitum super vtrumq; postem, & insuper liminari, liberantur ab angelo percutiente: ita fratres mei, per Christi crucem, Christi sanguine linitam, muniti à dextris & à sinistris & in fronte, liberamur à diabolo insidiante. Sicut verò Hebręi post immolationem & per immolationem agni, submersis hostibus carnalibus sunt saluati: ita & nos per passionẽ & comestionem corporis Christi, extinctis in nobis vitiis, saluamur: Sicut enim Hebræi carnibus agni refecti & confortati: exierunt Ægyptum, & arripuerunt viam ad terram promissionis: ita & nos corporis Christi viatico refecti & confortati, mente mundum eximus, & viam virtutum arripimus ad terram æternæ hæreditatis. Quomodo erat comedendus agnus paschalis? Non crudus, non coctus aqua, sed tantum assatus igni:

Ioan.1.
1.Pet.2.

Ephe.4.

Quomodo comedendus erat agnus paschalis.

Caro

Caro cruda, cadauer solum sine calore est: Cocta in aqua dissoluitur, assata verò constringitur, vt ossa carni, & caro ossibus hæreat. Crudum ergo agnum comedit, qui Christum purum hominem credit. Coctum & dissolutũ aqua comedit, qui eum in duas personas dissoluit. Tostum verò & cohærentem comedit, qui in vna Christi persona diuinitatem & humanitatem cohærentes credit. Comedendus est igitur etiam totus: id est caput cum pedibus & intestinis: quia qui corpus Christi susçipit, credere debet se non solùm hominem, sed etiam Deum susçipere. Intestina etiam: id est, quædam occulta nobis, quæ de Christo & homine prædicantur, & si non intelligimus, debemus tamen ea credendo susçipere, *Non remanebit*, inquit, *ex eo quicquam vsque mane*, id est quicquid est necessarium, vobis de Christo in via credere, credetis. Nec remanebit aliquid quod credendum est, quod dicatis vos non credere vsque mane, id est, vsque in resurrectionem, quoniam tũc non erit tempus credendi, sed videndi. *Si quid residuum fuerit*, id est, si quid est de Christo, quod quomodo verum sit, non intelligitis, *igni comburetis*, id est diuinæ potentiæ adscribetis. *Os eius non confringetis*, id est virtutem diuinitatis eius propter passionem carnis, fractam vel minoratam esse non credetis. *Comedetis etiam agnum cum azymis panibus & lactucis agrestibus*. Azymus panis fermento caret: lactucæ agrestes, habent amaritudinem. Comeditis igitur agnum cũ azymis panibus, id est, cum sinceritate innocentiæ & veritatis: Et cum lactucis agrestibus, id est, cum amaritudine & compunctione cordis, vt videlicet non nisi cum pœnitentia & lachrymarum compunctione, ad agni carnes præsumamus accedere. *Sic autem comedetis illum, Renes vestros accingetis*, id est, luxuriam refrenabitis, non solum illicitam, sed etiam licitam. Quoniam fratres charissimi, cum tanta puritate ad carnes agni accedere debemus, vt non solum ab omnibus illicitis, sed etiam à quibusdam licitis, abstinere debemus. *Calciamenta in pedibus habebitis*, id est, non adhærebunt affectus vestri terrenis, sed cœlestia desiderabunt. Qui enim fratres per auaritiam & cupiditatem adhæret terrenis, non est dignus accedere ad carnes agni. Baculos tenentes

Christi corpus.

Lactucæ agrestes.

Comedere agnũ cum azymis panibus.

Renes accingere.

Calciamẽta in pedibus habere

nentes in manibus, id est, rectitudinem in operibus, vt scilicet omnem vitam & omnia opera vestra ad rectum finem dirigatis. *Et comedetis festinantes*, de vitiis ad virtutes, de mundo ad æternam patriam properantes, ad similitudinem Israëlitarum, qui cum festinatione exeundi ab Ægypto, & eundi in terram promissionis, agnũ comederunt. Nos itaque fratres mei, non pigrè, non negligenter, non tepide, sed cum timore & deuotione ad tantùm accedamus Sacramentum: Quoniam qui indignè sumit,
1. Cor. 11. iudicium sibi manducat & bibit. Accedamus igitur ad carnes agni cum firma fide, credentes eum in persona Deum verum, & verum hominem. Credentes etiã quemlibet, non particulariter, sed Christum sumere integrum & totum. In quo si quid intelligere non valemus, nec discutere, Deo reseruemus. Accedamus etiam ad carnes agni sine fermento odij & malæ voluntatis. Accedamus cum puritate mentis & deuotione compunctionis, cum virtute castitatis, cum contemptu seculi, cum rectitudine operis, cum festinatione ad terram promissionis. Scientes quia incolæ hic sumus & peregrini sicut omnes patres nostri: Et quia non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ad quam Christus sit nobis ductor, viaticum, & via, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in æternum, Amen.

IN VIGILIA PASCHAE.

Collo. 3. *SI consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt sapite, &c.* Tripertita est hæc lectio fratres mei. Primò etiim ostẽdit Apostolus quæ sapere & quæ non sapere debeamus. Ostendens igitur primò quæ sapere vel quæ non sapere debeamus ait: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite.* Non est fratres mei, idem sapere quod scire.

Scire. *Sapere.* Scire etenim est intellectu rem capere. Sapere verò est, non solo intellectu, sed etiam sapore & experientia rem cognoscere. Scire quidẽ debemus tam mala quàm bona. Aliter enim nesciremus inter illa discernere. Sapere verò debemus sola bona. Præcipit igitur nobis Apostolus vt sapiamus sola bona, non mala, cœlestia non terrena. Cœlestia sapit, qui terrena contemnens sola cœlestia odorat & concupiscit. Terrena verò sapit, in cœlestem ignorãs dul-

cedinem,

cedinem, sola terrena diligit & quærit. Porrò fratres mei, talis fuit creatus homo, vt desideraret & quæreret naturaliter cœlestia. Dedit enim Deus homini rationem, quæ naturaliter cœlestia desiderat. Quoniam namque anima nostra ad imaginem & similitudinẽ Dei formata est, tendit naturaliter ad imaginem ad quam creata est. Vnde Propheta: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. *Psal. 26.* In corpore quoque talem creauit Deus hominem, vt ipso situ corporis ei demonstraret quo tendere deberet. Creauit quippe eum erectum ad cœlum, secundum illud:

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram, *Ouidius*
Os hominis sublime dedit, cœlumque videre iussit. *1. Metam.*

Cæterum cũ talis creatus esset homo, merito prœuaricationis suæ excæcatus, & brutus factus est, vt more bestiali inclinatus solã terrã sapiat & quærat, & in eam moriendo dissoluatur: Iuxta illud: Homo cũ in honore esset nõ intellexit, cõparatus est iumentis insipiẽtibus, & similis factus est illis: sicut vitiis ita morte. *Psal. 48.* Hinc est quod Poëtæ describunt homines mutari in pecudes. Homo enim qui diuinæ originis oblitus, soli gulæ deditus est: quid aliud quàm in porcum mutatus est? Qui verò totus explendæ libidini deditus est, quid aliud quàm in fœtidum hircum mutatus est? Similiter & in cæteras pecudes secundum similitudinem morũ homines demutari dicuntur. Qui autẽ crudelitati & sanguini deditus est, quid aliud quàm in lupum mutatus est? Itaque fratres mei, propter primam prœuaricationem, duplicem mortem incurrimus, alteram animæ peccatis excæcatæ, alteram corporis in terram suam reuertentis. *Mors duplex.* At non oblitus misereri Deus, pro nobis est homo factus, mortuus est & resurrexit, & ascendens in cœlum sedet ad dextram patris. Mortuus quippè est sola morte corporis, vt vtramq; mortem nostram, animæ scilicet & corporis, in nobis destrueret. Resurrexit sola corporis resurrectione, vt nos & in anima & corpore faceret resurgere. Ascendit in cœlum, vt nos quoque in cœlum faceret ascẽdere. Itaq; fratres mei, si consurrexistis in anima & à peccatis cum Christo, id est, per Christum resurgentem in corpore à mortuis: non

redeatis

redeatis rursum ad peccata, nec sapiatis amplius terrena, sed potius quæ sursum sunt, sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Ac si diceret: vos qui Christi membra estis, tendite desiderio sursum vbi præcessit caput vestrũ. Et ex hoc quòd in parte iam resurrexistis, confidite quia post Christum ascendetis.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur cui mori & cui viuere debeamus, cùm subditur: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ac si diceret: Non debetis de cætero quæ super terrã sunt, sed quæ sursum sunt, sapere, quoniã mortui estis mũdo, & viui Deo.

Rom. 6. Vnde ipse alibi dicit: Si mortui sumus peccato, quo modo adhuc iterũ viuemus in illo? Debemus igitur fratres mei esse mortui mundo, mortui carni, mortui etiã propriæ volũtati. Mortui mundo, vt non diuitias, non honores, non potentias, non glorias, non desideria mundi, sed cœli quæramus. Mundo se mortuum esse ostendit Apostolus cùm dicit: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Mundus fratres mei, mihi crucifixus est, si me non trahit suis blandimentis. Ego verò mundo crucifixus sum, si illum non amplector desideriis.

Mortui mundo.

Gal. 6. Mortui carni esse debemus, vt nõ gulositas, non ebrietas, non luxuria, non voluptas, non desideria carnis quærantur à nobis, sed spiritus. Vnde Apostolus: Mortificate mẽbra vestra quæ sunt super terrã: Quæ sunt fornicatio, luxuria, auaritia, commessationes, ebrietates, &c. Et alibi:

Coloss. 3.

Gal. 5. Qui autem, inquit, Christi sunt, carnẽ suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Mortui etiam propriæ voluntati esse debemus, vt non nostram, sed dei voluntatem facere quæramus. Ad quod exemplo sui nos inuitat Dominus dicens: Non enim veni vt faciam volũtatem meã,

Ioan. 6. sed voluntatem Patris mei qui misit me. Quis enim melius debuit facere voluntatem suam, quàm filius Dei, qui vnam semper cum patre habet voluntatem? attamen non suam, sed dei voluntatem se quærere dicit, vt nos instrueret non nostram, sed dei semper & quærere & facere voluntatem. Itaq; fratres mei, non nostram, sed Dei voluntatem semper quæramus & inquantum possumus faciamus.

eiamus, & ei dicamus: Non mea Domine voluntas, sed tua fiat. Si ergo prædicto modo mortui fuerimus, erit proculdubio vita nostra abscondita cum Christo in Deo. Vt cum Apostolo dicamus: Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus, vita vtique tam spirituali quàm æterna. Et vita quidem fratres mei, spirituali viuimus, quando morte peccatorum à nobis eliminata, in fide, & spe, & charitate viuimus: In iustitia, misericordia, & castitate cæterisque virtutibus floremus & fructificamus. Quæ vita nunc est abscondita cum Christo in Deo, quoniam & si nunc videmur mundanis hominibus abiecti & viles, opprobrium hominum & abiectio plebis: Et si videamur quotidie eiurire, egere, & pati: æstimati tanquam oues occisionis: tamen fide, spe, & in occulto apud Deum viuimus, vt possimus dicere cum Apostolo: Vt castigati & non mortificati, tanquam morientes, & ecce viuimus. 2. Cor. 6.
Vita verò spirituali viuemus, quando hoc mortale corpus induet immortalitatem & beatitudinem. Quæ vita nunc est absc̃dita cum Christo in Deo. Quoniã & si corpus nostrũ, mori, putrescere, incinerari nunc videatur, & mundanis hominibus inde resurrecturum desperetur, tamen in abscondito apud Deum, cui omnia viuunt, corpora nostra non pereunt, sed in melius renouanda cum Christo reseruantur. Sequitur pars tertia, in qua ostẽditur quòd benefacientes præmium consequuturi sumus, cum subditur: *Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quasi diceret: Sicut vita vestra nunc cum Christo abscondita est, ita cum Christo ad iudicium veniẽte reuelabitur. Dicitur autem Christus vita nostra methonomicè, quoniam ipse est causa, largitor, & auctor vitæ nostrę, & corporalis, & spiritualis, & æternæ. Quod quidem nũcaliis falsum, aliis dubium, & aliis videtur occultum, sed in iudicio Christo apparente, omnibus erit manifestum, tam bonis quàm malis. Mali enim teste scriptura, tunc dicturi sunt: Quos aliquando habuimus in derisum sunt isti, & in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniã, & ecce quomodo nunc reputantur inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Tunc quippè Christus qui *Christus vita nostra.* *Sap. 5.*

primò venit occultus, veniet apertus. Vnde ipse dixit: sicut fulgur exit ab oriente & paret vsque in occidentem,
Luc.17. ita erit filij hominis aduentus: Et qui primò apparuit humilis, tũc apparebit super omnem altitudinem sublimis. Et qui prius apparuit despectus, tunc apparebit super omnem gloriam gloriosus: Et qui primùm apparuit pauper pauperum, tunc apparebit Rex regum & Dominus dominantium. Et qui primò fuit iudicatus & passus, tunc iudicabit damnans iniustos, & glorificãs iustos. Nos quoque fratres mei si humiliauerimus nos cũ Christo in via, sublimabimur cum ipso in patria. Si fuerimus despecti cũ Christo in via, glorificabimur cum ipso in patria. Si fuerimus pauperes & subiecti cum Christo in via, ditabimur, & Domini dominabimur cum ipso in patria. Si diiudicabimur, & patiemur cum Christo in via, iudicabimur & lætabimur cum ipso in patria. Itaque fratres mei, non sapiamus terrena, non incuruemur ad amorem eorum more pecudum, quæ sine freno, toto impetu, ad implẽdam corporis feruntur voluntatem, sed potius simus erecti ad cœlum, sicut corpore ita mente: toto desiderio amemus & quæramus cœlestia, mortui mundo, viui Deo: quate-
2.Cor.5. nus cùm Christus apparuerit vita nostra, tũc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Ipso præstante qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

IN DIE SANCTO PASCHAE.

Celebratio dominicæ crucis & resurrectionis.

EXpurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio sicut estis azymi. &c. Hodie fratres charissimi, Dominicam celebramus resurrectionem. Propterea debemus ipsi, quam colimus, congruere solennitati. Illis enim solis prodest solennitates celebrare, qui eis mente & operibus se satagunt configurare. Celebratio igitur dominicæ crucis & resurrectionis tunc proderit nobis, si vitia in nobis crucifixerimus, si à vitiis ad virtutes, à vetustate ad nouitatem resurrexerimus. Ad hoc igitur nos hortatur Apostolus fratres mei, in prælibata lectione hoc modó. Primò nos præcipit exuere vetustatem: secundò induere nouitatem. Tertiò subdit causam quare hoc facere debeamus. Quartò nos hortatur epulari. Quintò osten-

cō ostendit qualiter ad hoc epulum accedere debeamus. Monet igitur primò nos fratres mei, exuere vetustatē, id est veteris Adæ similitudinem, scilicet peccatū. Peccatum autem vocatur vetustas triplici ratione. Vetustas enim facit hominem curuum & imbecillem : Sic & peccatū animam facit curuam ad terrena, & imbecillē ad bene agendum. Vetustas hebetat sensus hominis : sic & peccatum virtutes mentis. Vetustas trahit hominem ad mortem, sic & peccatum animam. Ait ergo Apostolus : *Expurgate vetus fermentum*, tangens consuetudinem Iudæorum, qui in Pascha fermentum abiiciebant, & azyma comedebant : tum ob recordationem, quod cùm post immolationem agni, exirent Patres eorum de Ægypto, qui cum tanta festinatione exierunt, vt non liceret eis parare panes, sed farinas ferentes, inde azimos panes in foco faciebant tum ob mysterium eos euitandi peccati fermentum, qui purè Pascha volunt celebrare. Porrò fermentum, & maximè vetus reddit panem acidum, leuem, minus vegetatiuum, & magis cauernosum. Sic fratres mei, peccatum facit animam hominis acidam, vt Deus nolit eam vnire sibi & incorporare, facit eam leuem, vt diabolus possit eam circunferre, facit eam minus solidam & validam ad resistendum diabolo, facit cauernosam, vt diabolus in ea sibi latibulum inueniat. Itaq; fratres mei, expurgate vetus fermētum peccati, id est, per pœnitentiam correctionem, & emendationem, peccatum auferte non solum à mente, sed etiam à domo & à communione Ecclesiæ. Non enim perfectè expurgat vetus fermentū, qui & si à se quantum potest abiicit, tamen à domo sua vel à cōmunione non abiicit. A se fortè Heli abiiciebat fermentū sed à domo ista non abiicit & ideò cum ea periit. A se forte Corinthij (ad quos hic loquitur Apostolus) abiiciebāt fermentum, sed à communione sua non abiiciebant, dum corruptorem nouercæ suæ, quam Apostolus excommunicauerat, non euitabant : Cùm de huiusmodi Ioannes dicat, nec aue ei dixeritis. Qui enim, inquit dicit ei aue, communicat operibus eius. Et Apostolus in eadem Epistola : Si quis, inquit, nominatur fornicator, aut auarus, cum huiusmodi nec cibū sumere, nec cōmunicare debes.

Peccatum vocatur vetustas triplici ratione.

Expurgare vetus fermētum quid.

2. Ioan. 1. Cor. 8.

Hoc contra quosdam est, fratres mei, qui cum excommunicatis participare, conuesci, & colloqui non verentur: cùm scriptũ sit. Qui tãgit picem, coinquinabitur ab ea, & qui tetigerit mortuum, immundus erit. Eadem ratione, qui cum excommunicato communicat, excommunicatus est. Secundò monet nos Apostolus habere nouitatẽ, cùm subdit: *vt sitis noua conspersio*, id est, noua pasta, pura scilicet à veteri fermento, & ab omni immunditia. Loquitur enim hìc metaphoricè, assimilans puritatem Ecclesiæ, puritati pastæ. Qui enim vult facere puram pastam, primò purgat & emundat grana tritici, postea molit, & in farinã redigit, deinde aspersione aquæ conglutinat & cõiungit. Simili modo ad hoc vt cõmunio Ecclesiæ pura sit, & Deo accepta, primùm oportet vt singulæ personæ in se sint puræ & mundæ. Sed quædam personæ, licèt in se puræ videantur, tamen ad modum granorum sunt grossæ & duræ, quoniam nulla societate vel compassione aliis sociantur, subiectæ sibi & coniunctæ: sibi soli viuentes, ad se omnia referentes, contrarij illis quos notauimus suprà. Illi enim etiam excommunicatis societate iunguntur. Isti nec etiam bonis cõsociari vel confœderari volunt. Vtrũque vitium est, & omnibus confœderari, & nulli. Illi sunt in malis feruidi, hi sunt etiam in bonis tepidi. Hos vocat Apostolus sine affectione, sine amicitia, sine fœdere. Hæ ergo personæ ad similitudinem granorum per recordationem peccatorum, & consummationẽ supplicionum sunt terendæ, & in humilitatem redigendæ. Et ne fortè arida humilitas eat, tanquam puluis quẽ proiicit vẽtus à facie terræ, ideò rore charitatis sunt conglutinandæ, & in nouam conspersionẽ coniugandæ, ne vel odio, vel inuidia, vel cupiditate terrena, à mutua vel à Christi charitate valeant separari. Itaque, fratres charissimi, purgemus & emundemus vnusquisq; seipsum, & mola humilitatis & contritionis conuertamur, & glutino charitatis & compassionis ad inuicẽ vniamur, vt charitatis & vnionis nostræ puritate, Deus pascatur & delectetur, & nos ecõuerso charitate & vnione diuina pascamur & delectemur. Sicut enim charitate nostra pascitur, & delectatur Deus, ita nos diuina charitate pascimur & delectamur.

Eccle. 13

Rom. 1.

Psal. 1.

Tertiò

Tertiò Apostolus subdit causam, quare noui esse debeamus, cùm dicit: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Quasi dicat: Estote noui, quoniam ad nouum prandium estis vocati, ne fortè veniens qui vos ad suas nuptias vocauit, dicat cuilibet vestrum: quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Et iratus mittat vos in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Itaque fratres mei, simus noui, vt ad nouas noui agni epulas noui accedamus: Quoniam non vt Iudæi carnem & sanguinem brutorũ animalium hodie epulaturi sumus, sed ipsum Deum & Dominum nostrum Iesum Christũ, qui nostrum Pascha immolatus est, epulum scilicet nouum, sufficiens & pingue. Et nouum quidem est, quoniam & in se purum est à peccati vetustate, & nos si dignè illud suscipimus, efficit nouos sui nouitate. Sufficiens verò est, quoniam pro multis figuratiuis, & insufficientibus, & frequentibus hostiis legalibus, vna & vera semel oblata hostia, Christus immolatus est. Quamuis enim super multa altaria quotidie offeratur, immoletur, & frangatur in Sacramento, tamen non nisi semel immolatus est vna sola vera hostia Christus: quoniam Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Et cùm multæ essent hostiæ Iudæorum insufficientes vt sacrificium pro peccato pacifica votiua, hostia, victima. Christus est sufficiens sacrificium omnibus & pro omnibus, & pro peccatis propitiandis, & inter Deum & hominem pro pace reconciliandis, & pro votis hominum perficiendis, & pro hostibus vincendis. Pingue verò est, quoniam omni gratia, charitate & misericordia saginatus est Dominus noster Iesus Christus. Hic est enim ille vitulus saginatus, quem Pater in reditu filij de regione dissimilitudinis reuertentis præcipit immolari. Ad hoc igitur nouum, largum, & saginatum epulum inuitati, Fratres charissimi, sollicitè pensemus agere illud quod Sapiens ait: Ad mensam magnam sedisti, attende quoniam similia oportet te præparare. Ad mensam quippè Christi inuitati fratres charissimi, similia ei præparemus, sic eum diligamus sicut ipse dilexit nos: Sic propter eum nos humiliemus, sicut ipse humiliauit se propter nos. Sic propter eum simus paratí

Math. 2. Luc. 13.

Rom. 6.

Eccle. 31.

rati mori, sicut ipse mortuus est pro nobis.

Quartò monet nos Apostolus ad epulandum cùm subdit. Itaque epulemur. Monemus & nos fratres charissimi vos, vt omnes pariter epulemur epulũ animabus nostris necessarium. Scriptum est enim: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Vnde statutũ est, vt pueris mox baptizatis, saltem in specie vini, tradatur, ne sine necessario discedant Sacramento. Et quid si discedant. Nunquid damnabuntur? Non fratres mei, quoniam in fide & si non sua, tamen patrinorum saluabuntur. Duo quippè, sunt modi manducandi corpus Christi: Vnus Sacramentalis, alius spiritualis. Sacramẽtaliter accipit corpus Christi etiam malus, sed quia indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Spiritualiter verò accipit corpus, bonus, qui & si non Sacramentaliter quandoque accipit, tamen fide & charitate in corpore Christi est. Vnde Dominus exponens quid sit eum manducare spiritualiter, ait: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et Augustinus: quid paras dentem & ventrem, crede, & manducasti. Veruntamen fratres mei omnibus Christianis, locum & tempus habentibus etiam Sacramentaliter communicandum est. Vnde & in primitiua Ecclesia, vniuersi Christiani, singulis Dominicis diebus solebant communicare. Sed quia quidam negligenter accedebant, postea pro Eucharistia panem benedictum statuerunt dari: Et saltem ter in anno, in Natali, in Pascha, in Pentecosten communicari. Sed nunc fratres, adeò excreuit iniquitas, quod vix semel in anno quidam dignè valeant communicari. Sed & sunt quidam, qui quotidie communicare gaudent, alij qui reformidant: Et vtrique bene faciunt, si contemptum cauent, & vt dignè communicare valeant, laborant. Nam vterque & Zachæus & Centurio CHRISTVM honorauerunt, & Zachæus lætè suscipiendo, & Centurio se indignum reputando. De illis verò qui quotidianas celebrant Missas, ait Augustinus, quotidianas Missas celebrare, nec laudo, nec vitupero, id est: nec laudo in negligentibus, nec

Ioan. 6.

Duo modi manducãdi corpus Christi.

1. Cor. 11.

In primitiua Ecclesia Christiani singulis dominicis communicabant.

August.

nec vitupero in diligentibus.

Quintò docet Apostolus, qualiter ad mensam altaris accedere debeamus. Magnum quippè hospitem, imò Deum & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, fratres charissimi, hodie susceperuri, hospitium purum & honestum ei præparemus. Et certè si principem vel aliquam personam secularem susceperuri in hospitio nostro essemus, ipsum hospitium nostrum ab omni sorde purgaremus, & ornamentis decoraremus, vt intrantem personam nulla turpitudo offenderet, sed potius mundities & honestas domus lætificaret. Si ergo hoc facimus pro Principe temporali, quid facere debemus pro Rege regum & Domino dominantium? Præcipit enim Apostolus, vt suscipiamus DEVM nostrum, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ* Ac si dicat: Omnem sordem à vobis tollite, tollite à confessione vestrorum peccatorum vetus fermentum excusationis: nec scilicet more veteris Adæ, peccata vestra excusetis: Nec declinetis cor vestrum in verba malitiæ ad excusandas excusationis in peccatis. Sed potius vosmet accusate, indignos clamate, plorate & satisfacite. Tollite quoque à mente fermentum malitiæ, odij scilicet, inuidiæ, & malæ voluntatis. Tollite quoque ab opere fermentum nequitiæ, id est, iniustitiæ, ne scilicet faciatis aliis quod vobis fieri non vultis. Præcipit subsequenter vt epulemur carnes agni in azymis sinceritatis & veritatis. Ac si dicat: Non sufficit vobis sordes expurgare à vobis, nisi etiam virtutibus hospitium, quo Dominum estis susceperuri ornetis. Quibus? azymis sinceritatis & veritatis: Vt videlicet sinceritas sit in vita, veritas in loquela. Sinceritas fratres mei, erit in vita nostra, si sincerè sapiamus, si sincerè diligimus, si sincerè viuimus. Veritas verò erit in loquela, si verè peccata nostra confiteamur: Si veritatem cum proximo loquimur, si Dominum consona voce laudamus. Si sic fratres mei vixerimus, ad carnes veri agni purè accedere poterimus, vt per charitatem DEI & proximis vniamur, operante Domino nostro Iesu

Qualiter ad mẽsam altaris accedere debeamus.

Psal. 140.

Sinceritas in vita, veritas in loquela.

Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in æternum, Amen.

IN DIE SANCTO Paschæ.

Mar. 16. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, vt veniētes vngerent Iesum, &c.* Quoniam ad paschales nuptias nos vocat fratres mei, institutio solennitatis hodiernæ, debemus hanc diem spiritualibus gaudiis & Euangelicis eruditionibus occupare: Et quia quod vnusquisque plus diligit, libentius audit: si Deum & redemptorem nostrum præ cunctis diligitis, Euangelicam historiam de eius resurrectione libentius audietis. Nos ergo fratres charissimi, vobis Euangelicam lectionem percurrimus: Primò quæ ad historiam, secundò quæ ad tropologiam pertinent explanantes. Et iuxta quidem historiam, quatuor nobis sunt considerāda. Primò quantum istæ sanctæ mulieres fuerūt in Christum deuotæ, secundò quomodo postulantes fuerint exauditæ: Tertiò quomodo ab angelo consolatæ sint, & de resurrectione Christi eruditæ: Quartò quomodo primæ ad Euangelizandum dominicam resurrectionē sint missæ. Fuit igitur fratres charissimi, istarum mulierum mira deuotio. Fuerunt quippè erga Christum feruidæ, audaces, & officiosissimæ. Feruidæ, quia quem viuentem ardenter amauerant, vsque ad mortem flendo prosequutæ sunt, nec post mortem obliuisci potuerunt. Audaces, quia cùm Apostoli & columnæ Ecclesiæ fugerent, negarent, & latérent, has mulieres, nec damna, nec terror mortis, nec gladius potuit deterrere, quin cruci assisterent, & ad monumentum cursitarēt. Officiocissimæ, quoniam viuenti ministrauerunt cum gaudio de substantiis suis: Morienti assisterunt cum gemitibus & lamentis. Ad sepulchrum cucurrerunt cum suspiriis, & vnguentis. Sed ad hæc quid nos fœminei viri dicere possumus, qui erga Christum redemptorem nostrum tepidi, timidi, & negligentes sumus? Illæ mulieres, Christum in carne mortali viuentem, morientem, & sepultum, ardenter amauerunt: Et nos viri illum nunc regnantē in æternum, & suos glorificantē, vel minimè, vel tepidè amamus? illæ mulieres,

Mulierū mira deuotio.

nec

nec terrore mortis, nec gladio potuerunt prohiberi, quin adstarēt mortuo & sepulto: Et nos miseri viri, timore vel cupiditate separamur a Christo in æternum viuente & regnante? Illæ mulieres, viuente Christo, in carne mortali ministrauerunt de substantiis suis: mortuo de lachrymis & vnguentis suis: Nos illi iam regnanti in æternum ministrare & de suis cibis in suis pauperibus satiare contemnimus? Excutiamus ergo fratres mei, teporem, timiditatem, & negligentiam nostram. Et exemplo istarum mulierum, in amore Dei ferueamus, audaces & officiosi in Dei seruitio esse discamus. In hoc autem quod dicitur, quod *Valde mane vna Sabbatorum veniunt mulieres ad monumētum orto iam Sole*: feruor pariter, audacia, & officiositas mulierum demonstratur, quæ etiam nocte venire cum aromatibus ad monumentum cœperunt: Sed Sole, id est, aurora ex vicinitate Solis iam orta, ad monumētum peruenerunt. In quo etiam innuitur, quod Sole diei oriente, Sol iustitiæ Christus resurrexit. In cuius etiam memoria, matutinas laudes celebrat Ecclesia. Generalem quoque resurrectionem in matutino tempore credimus esse celebrandam. Iuxta quod Dauid inquit: Et dominabuntur eorum iusti in matutino. Quando igitur secundum Matthæum, terræmotus factus est magnus, antequam Angelus reuolueret lapidem ab ostio monumenti, Christus resurrexisse, & multa corpora sanctorum qui dormierant, secum suscitasse credendus est. Nec mirum, si Christus, qui clauso virginis vtero moriturus exierat, immortalis factus clauso sepulchro exierit. Cùm generaliter omnia iustorum resurgentium corpora sint subtilitate donanda: Vt nullo muro, nulla soliditate, à sua agilitate retineri valeant aut cohiberi.

Matutinæ laudes.

Psal. 48.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quomodo mulieres petentes, exaudiantur. Petunt quippè mulieres quodammodo cum insinuatione, cùm dicūt: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumēti?* Sunt enim duo genera petitionum. Quædam enim à Deo sunt in se digna, vt directè & apertè valeāt postulari, vt virtutes & regnum cœlorum. Alia verò sunt de quibus an nobis expediant, ignoramus. Et ideò non directè, sed cum conditione vel

Duo genera petitionum.

insinuatione postulanda sunt. Cum conditione postulat
Mat.26. Dominus a se transire calicem passionis, cùm dicit, Pater si fieri potest transeat à me calix iste: Veruntamē non mea voluntas, sed tua fiat. Cum insinuatione postulat beata
Ioan.2. Virgo vinum in nuptiis dari, cùm dicit: Vinū nō habent. Similiter cum insinuatione postulant sanitatem Lazaro dari sorores eius, cùm dicunt, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non enim apertè rogant eum sanari, quippè nescientes an hoc expediret, sed tantùm dolorem, desiderium q; suum ostendunt. Qui enim suam necessitatē ostendit, satis petit. Est ergo ac si dicerent: nostram necessitatem vides: Sed tu Domine, qui omnia nosti, fac quod sis expedire nobis. Hoc modo petunt & hæ mulieres, cùm dicūt, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et erat quippè*, subdit Euangelista, *magnus valde*. Et quem fœminarum debilitas non posset amouere. Et quia magna erat earum deuotio, & petitio pia, exaudiri merentur. *Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem*. Postulatum ergo eis conceditur, non tamen ea intentione qua postulabatur. Illæ enim postulabāt lapidem amoueri, vt mortuum vngerent. Lapis verò ideò remotus est, vt vacuum videntes monumentum, Christū resurrexisse intelligant. Per quem
Mat.28. autem iste lapis remotus sit, Matthæus exponit: Quia Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit la-
Duplici de causa Angelus descendit. pidem. Porrò duplici de causa Angelus descendit, & vt lapidem reuolueret, & vt Dominicæ resurrectionis nuntius & testis esset. Vnde & Ioānes describit duos Angelos Mariæ Magdalene apparuisse, sedentes vnum ad caput, & alterum ad pedes: Vt videlicet in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Ecce quid mereatur, & feruor & deuotio mentis. Quia enim adeò iste sanctę mulieres fuerunt in Christo feruidæ & deuotæ, & Angelum videre, & ab eo iuuari, & consolari, & erudiri meruerunt. Hinc discamus & nos fratres mei, feruidi esse in Christo & deuoti, vt similiter à Deo per Angelos consolari, iuuari, & erudiri mereamur. Odit quippè & nauseat Deus tepidos & pigros, & arcana dulcedinis suæ atque suauitatis, eis non curat reuelare: sed, qui sicut Daniel, sunt desideriorum viri, à Deo merentur illuminari.

Sequi-

Sequitur pars tertia, in qua sanctæ mulieres Angelum vident, & ab eo cõsolantur pariter & erudiũtur, cùm subditur: *Et introeuntes in monumentũ*, id est, in domũculam in qua erat monumentum, *viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt, &c.* Porrò fratres mei, Angelus qui sic apparebat, in seipso demonstrabat, & qualis erat ille quem venerat nuntiare, & quales fideles futuri sint in resurrectione. Apparuit enim non puer, non senex, sed iuuenis: Quoniam resurrectio in ætate perfecta, & in Christo iam erat celebrata, & in nobis erat celebranda. Vnde Apostolus: Donec, inquit, occurramus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi. Apparuit & sedens, quoniam quietem resurrectionis nuntiabat: per quã iam regnabat Christus, & nos quoque regnaturi sumus. Sedebat autem, iuxta Matthæum, super lapidem monumenti, quoniam illum prædicabat, qui pondus mortis & in se iam superauerat, & in nobis in resurrectione superaturus erat. Vnde idem per Oseam prædixit: O mors, ero mors tua. Apparuit etiam in dextris, quoniam illum nuntiabat, qui iam in dextera æternæ beatitudinis sedebat: Et nos in iudicio ad dexteram suam collocaturus erat. Apparuit quoque coopertus stola candida, quia illum prædicabat, qui iam stola immortalitatis erat vestitus, & in fine suos erat vestiturus. Apparuit in stola candida, non quòd ciues æternæ patriæ indigeant vestiri, sed vt splendorem & suæ & nostræ festiuitatis demonstraret in candore. Christi quippè resurrectio & nos ad æternitatem reduxit, & angelicam ruinam restaurauit, & vtrisque simul solennia gaudia in æternum cumulauit. Erat enim, vt ait Matthæus, aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix. In fulgure enim vultus terruit custodes, & in candore consolatus est mulieres. In quo & illud demonstratur, quoniam ille, quem nuntiabat, erat futurus in iudicio terribilis reprobis: & blandus iustis. Consolãtur autem mulieres ab Angelo, cùm eis dicitur: *Nolite expauescere.* Quasi dicat: Paueant qui cœlestia non amãt: Vos verò quid timetis, quæ cõciues vestros videtis? Instruũtur quoq;, cùm eis dicitur: *Iesum quaritis Nazarænũ crucifixum, surrexit nõ est hic.*

Mulieres cõsolantur ab Angelo.

Ephe. 4.

Osee. 13.

Quare in stola candida apparuit Angelus.

Mat. vlt.

Quia

Quia namque multi nuncupatiuè dicti sunt Iesus, determinatur per locum, cùm additur *Nazarænum*. Et per causam, cùm subditur, *crucifixum Surrexit, non est hic*. Radix amara crucis euanuit, flos cum fructibus erupit: Quoniam qui in morte iacuit, in gloria resurrexit. *Ecce locus vbi posuerunt eum*. Ostenditur locus mortis vacuus mortalibus, vt inde habeamus in nobis spem, & agamus Deo gratiarum actionem.

Sequitur pars quarta, in qua mulieres mittuntur ad euangelizandum Christi resurrectionem, cùm subditur: *Sed ite, dicite discipulis & Petro, quia præcedet vos in Galilæam*. Sicut per mulierem mors viro propinata est, ita nunc per eandem opprobrium primæ matris istæ sanctæ mulieres deleuere. Sunt autem istæ mulieres præ cæteris priuilegiatæ, quia ad euangelizandum ipsis Euangelistis Christi resurrectionem primitùs sunt missæ. Cùm autem dicat Apostolus, mulieri docere in Ecclesia nō permitto: istæ etiam ipsos doctores docuerunt: vnde & Apostolæ Apostolorum nuncupari possunt. *Dicite*, inquit, *discipulis eius & Petro*. Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione. Nisi enim eum Angelus exprimeret, inter discipulos venire non auderet. Ex magna autem dispensatione Dominus Principem Apostolorum se negare permisit, vt scilicet & ipse in sua culpa disceret, quomodo aliis misereri & cōpati deberet: & in lapsu Principis Apostolorum timerent quantumcunque sanctiores, & in eius sperarent restitutione quantumcunque peccatores. *Præcedet vos*, inquit, *in Galilæam*. Cùm in pluribus locis aliis Dominus apparuerit, prius discipulis, quare Dominus de sola Galilæa loquens, & per se, & per Angelos, dixit se discipulos suos in Galilæam præcessurum. Tum quia ibi generalius & manifestius omnibus discipulis suis apparuit: tum quia Galilæa interpretatur transmigratio facta. Christus autem iam à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam trāsmigrauerat. Sed Apostoli, cæteriq; fideles ipsum sequentes, eum glorificatum videbunt, qui nunc à vitiis ad virtutes, à terrenis ad cœlestia transmigrant. Nos itaq; fratres, nunc à vitiis ad virtutes, à terrenis ad cœlestia transeamus, vt ipsum in gloria

1. Tim. 2.

Petrus Princeps Apostolorum.

tia sua glorificatum, glorificati & ipsi cõtemplari mereamur. Moraliter autem per has tres sanctas mulieres fratres charissimi, instruimur, qui, quando, cum quibus, & qualiter ad calicem corporis & sanguinis Domini accedere debeamus. Per calicem quippe sepulchrum, lapis superior per pateram: per corporalia, syndon, & sudarium, quibus Christus inuolutus est, exprimuntur. Qui ergo ad sepulchrum calicis Domini accedere debeant, istæ mulieres ostendunt, quæ ad monumentum tres venerunt. Solummodo enim illi qui trinitatẽ fide & moribus profitentur, ad calicem corporis & sanguinis Domini accedere digni sunt. vt scilicet illum quem suscipiũt, vnũ Deum ante secula cum Patre & Spiritu sancto, & in tempore pro nobis hominem factum esse credãt atque passum. Quando etiam ad calicem Domini accedere debeamus, hæ mulieres nobis ostendunt, quæ ad monumentum Domini, orto Sole, peruenerunt. Nos quoque fratres, non nisi expulsis a corde nostrorum vitiorum tenebris per pœnitentiam, & Sole virtutum in nobis radiante per iustitiam, ad calicem Domini accedere debemus. Qui enim adhuc manens in tenebris vitiorum, scilicet odij, vel inuidiæ, ad calicem Domini accedit, ad iudiciũ suum accedit. Cum quibus verò ad calicem Domini accedere debeamus, hæ mulieres nobis ostendunt, quæ ad sepulchrum Domini, non nisi cum vnguentis & aromatibus accesserunt. Nos quoque fratres mei, ad calicem corporis & sanguinis Domini, non nisi cum suauitate bonorũ operũ, & flagrãtia virtutũ, quib' Deũ & proximũ delectemur, accedamus. Qui enim ad tantũ Sacramentũ tepidè & sine cõpunctione, sine suspiriis, sine odore orationis & deuotionis accedit, indignè accedit. Qualiter quoq; ad calicẽ Domini accedere debeamus, hæ mulieres nobis ostendunt, quæ venerũt ad monumentum cum humilitate, nihil de se præsumendo, sed propriæ infirmitatis conscię, diuinum auxilium inuocando & dicendo: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti. Nos quoque fratres mei, ad calicem Dominĩ accedamus cum humilitate, nihil de nostra iustitia præsumentes, sed nostrę infirmitatis conscij, diuinum auxiliũ inuocantes & dicẽtes: Quis reuoluet nobis lapidem

Calix. Corporalia.

Cũ quibus ad calicem Domini accedere debeamus.

Qualiter ad calicem Domini accedendũ

ab

ab ostio monumenti? id est, Quis nobis dabit facultatem accedendi purè ad corpus Christi? Quasi diceret, non virtus propria, sed opitulatio diuina. Si sic fratres, si sic agimus, remouetur lapis, id est, difficultas, & dabitur nobis facultas purè ad illud accedendi. Vel certè, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? id est, quis aperiet nobis intelligentiam tanti Sacramenti? Et si piis precibus instamus, mittet Dominus nuntium, videlicet Spiritum sanctũ, vel certè aliquem Angelũ, vel aliquem Sanctum, sicut in vitis Patrum legimus, qui aperiet nobis intelligentiam tanti Sacramenti. Et dicet nobis: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Surrexit, non est hìc, id est, cur inter mortales cibos, illum cœlestem panem quæritis? Non est cibus corporis, nec descendit, eò quòd corporales cibi descendunt, sed ita pascit animam cuiusque fidelis in terra, quod integer permanet in cœlo. Itaque fratres mei, cùm quotidie Christus immoletur, frangatur, teratur, tamen impassibilis permanet in seipso. Vnde Apostolus: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quamdiu ergo Sacramentũ corporis & sanguinis Iesu Christi vides, tractas, labiis sentis, dentibus teris, scito quia Christus tecum est corporaliter. Deinde non quæras eum nisi in cœlo, nec credas esse tecũ corporaliter, sed tantùm spiritualiter. Vnde Augustinus: Quid paras dentem & ventrẽ, crede & manducasti. Quoniam autem dum sumus in hac vita, nemo perfectè valet videre, qualiter Christus cum à singulis totus sumatur, tamen ad dexterã Patris, indiuisibilis, & impassibilis persistat, rectè monemur ab Angelo, vt ipsi & nos & alios moneamus, quatenus corde, & opere, prece & vita tendamus in Galilæam, id est, in æternam patriam. Vbi & Christi arcana plenius, & ipsum facie ad faciem videbimus. Ipso præstante qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Amen.

Rom. 6. Christus corporaliter in Sacramento Eucharistiæ. August.

FERIA SECVNDA Paschæ.

Luc. 24. *Ecce duo ex discipulis Iesu, ibant ipsa die in Castellum quod erat in spatio sexaginta stadiorum ab Hierusalem, nomine Emaus, & reliq.* Sex capitulis distinguitur hæc

hæc lectio fratres chariſſimi. Primò enim oſtēditur, quod ipſa die reſurrectionis Chriſti, exeuntes duo ex diſcipulis eius, ibant in Emaus. Exierunt autem hi duo de collegio Apoſtolorum non per apoſtaſiam, vt illi de quibus dicit Ioannes: Ex nobis exierunt, ſed non ex nobis erant. Nec per curioſitatem, vt Dina, quæ exiit videre mulieres illius regionis, & oppreſſa fuit. Sed exierunt in miniſteriū more apum, quæ de communi cœnobio aluearij exeunt, vt in communem mellis vtilitatem, electo flore redeant oneratæ. Quod verò recta & honeſta cauſa exierint, hinc apparet quod non ſinguli, ſed bini exeunt, quod non aliena verba a doctrina collegij ſui inter ſe conferunt: quod communem collegij ſui triſtitiam in mente ferunt, quod Dominum ſibi apparere merentur, quod eum legem & Prophetas exponentem libenter audiunt, quod eum ad hoſpitium cogunt, quod in fractione panis eum agnoſcunt, quod eum ſibi apparuiſſe, ſine mora, collegio ſuo referre redeunt. Imitamini iſtos vos clauſtrales, vt ſcilicet non exeatis de collegio veſtro, per apoſtaſiam, vel per curioſitatem, ſed tantùm propter neceſſariam cauſam. Et tunc non ſinguli, ſed bini ad minus exeatis: ſcientes quod iuxta Prophetā: Væ ſoli, quia ſi ceciderit, quis ſubleuabit eum? *Eccle. 4.* Et non vana, ſed tantùm profeſſioni veſtræ conuenientia verba proferatis, cum vtili triſtitia & grauitate ambuletis. Lectionem ſacræ ſcripturæ ſemper audire gaudeatis: hoſpitalitatem & charitatem diligatis, non vanos rumores, ſed more apis vtilia exempla ad cœnobia veſtra referatis. *In caſtellum, inquit, quod erat in ſpatio ſtadiorū lx. à Hieruſalem nomine Emaus.* Stadium eſt octaua pars miliarij. *Stadium quid.* Sexaginta ergo ſtadia, ſeptē millia paſſuum & quingenti ſunt. Quod iter benè congruit eis, qui certi de morte & ſepultura Ieſu, incerti de reſurrectione eius ambulabant. Sextum quippè & ſeptimum miliarium compleuerūt, qui Ieſum in ſexta Sabbati mortem tuliſſe, & in Sabbato in ſepulchro quieuiſſe ſciebant. Octauum verò tantùm dimidium perrexerunt, quoniam Ieſum octaua die reſurrexiſſe nondum perfectè credebant.

Sequitur pars ſecunda, in qua Dominus diſcipulis de ſe loquentibus, ſe in ſpecie peregrini demōſtrauit, cū dicitur,

Et ipſe

Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Proprium est fratres mei, amantium de re amata fre-
Mat.6. quenter facere verbum. Nam vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et quòd intus abundat, exterius exire festinat. Hinc est quòd discipuli Dominū, quem toto corde viuentem dilexerant, & quem mortuum obliuisci non poterant, in ore semper habebant. Et Dominus qui diligentibus
Mat.18. se abesse non potest, quique dixit: Vbi sunt duo vel tres cōgregati in nomine meo, ego sum in medio eorum. Se diligentibus & de se sermonem facientibus, suam exhibet præsentiam. Nam subditur: *Et factum est dum fabularentur in via, & secum quærerent: Et ecce Iesus appropinquans ibat cum illis*. Diligamus ergo fratres mei, Dominum Iesum, & de eo semper meditari, semper colloqui gaudeamus: Quoniam se diligentes, & de se meditari & colloqui gaudentes, sua præsentia non priuabit, sed procul dubiò erit nobis comes indiuiduus in via huius mun-
Mat.28. di, sicut ipse promisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Quoniam verò discipuli, & si eum diligebant, tamen de eius resurrectione & diuinitate dubitabant, ideò & si eis apparuit, tamen eis speciē quam agnoscerent, non ostendit: sed quod intus habebant, hoc eis exterius exhibuit. Et quia de se dubitabant, se dubium esse demonstrauit eis. Nam sequitur: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*. Itaque fratres mei, à cordibus nostris omnem dubietatē excludamus, & Christi diuinitatem & humanitatem, passionē & resurrectionē, certa fide credamus, vt eum non in peregrino habitu, sed sicuti est, facie ad faciē videre mereamur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus interrogat discipulos, & eos dubitantes increpat & informat, cùm subditur: *Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?* Sciens Dominus fratres charissimi, sic discipulos suos interrogat, vt ex dubia eorum respōsione eos increpet, & interroget, & corrigat. *Ambulantes*, inquit, *& estis tristes*? Hoc est, quod ait
Psal.125. Psalmista: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Sic quippè fratres mei, sic debemus facere in peregrinatione huius mundi, ambulare & flere, & semina mittere.

Quo

Quò ambulare? Ad æternam patriam. Quare flere? Ob peccatorum nostrorum recordationem, & ob cœlestis patriæ dilationem. Quæ semina mittere? Semina fratres mei, diuinorum verborum ad inuicem prædicare, & semina bonorum operum præmittere debemus, vtdè cum exultatione, centuplicatos manipulos metere valeamus. *Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & nō cognouisti ea quæ facta sunt in illa in his diebus?* Ac si diceret: Res de qua loquimur, nota est omnibus qui sunt in Hierusalem, tam ciuibus, quàm peregrinis, & manifesta: Et quomodo tu solus peregrinus es in Hierusalem, qui hæc ignoras? *De Iesu Nazaræno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo.* Non tanquam Deum vel Dei filium, sed tanquam purum hominem Iesum coram Deo & populo, in quatuor commendabilem ostendit: quia scilicet fuit mente virilis, intelligentia spiritualis, potens in opere, efficax in sermone. Quæ quatuor in Ecclesiastico Pastore requirenda sunt. Primùm enim requiritur virtus mentis, quæ etiam non sufficit, nisi adsit intelligentia spiritualis. Sed nec hæc duo sufficiunt, nisi fulgeat in opere, & alios capiat prædicatione. *Quomodo*, inquit, *tradiderunt eum summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus.* Ecce per præteritum imperfectū, spem suam præteritā & imperfectam ostendit. Iamq; penè ex toto se excidisse a fide & spe ostendit. A fide, cùm ait: *Vir Propheta*: spe, cùm subdit, *Nos autem sperabamus. Et quædam mulieres ex nostris terruerūt nos, quæ fuerunt ante lucem ad monumentum: Et non inuento corpore eius redierunt, dicentes, se etiam visionē Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.* Stulta loquutio, dum se ostēdit magis terreri ex ablatione corporis, quàm gaudere ex annunciatione resurrectionis. Ait ad illos, eos increpans: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ?* Stulti, id est, hebetes ad spiritualiter intelligendum, tardi ad credendum intellectis. Deinde subdit, instruens eos, tum per rationem, tum per legis & Prophetarū auctoritatem. Per rationem, cùm subiungit:

Quæ requiruntur in Ecclesiastico pastore.

iungit: *Nónne sic oportuit pati Christũ, & resurgere à mortuis, & intrare in gloriam suam?* Oportuit quippè fratres charissimi, vt quemadmodum per vnum hominem intrauerat damnatio: ita & per vnum hominem fieret redemptio. Oportuit etiam vt quemadmodum homo ceciderat per superbiam, ita repararetur per humilitatem. Oportuit quoque vt quemadmodum per primi hominis inobedientiam in esu ligni, humanum genus ceciderat in miseriam: ita per noui hominis obedientiam, in morte ligni releuaretur in gloriam. Per legis & Prophetarum auctoritatem eos instruit, cùm subdit, *Et incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur eis scripturas, quæ de ipso erãt.* Moses enim de ipso prædixit: Prophetam suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris, illum tanquã me audietis. Prophetæ verò plura apertiora de Christo scripserunt. In quo fratres mei, nostra pigritia confunditur, qui iam legem & Prophetias in Christo adimpletas scientes, nec ad ipsam sacram scripturam spiritualiter intelligẽdam, nec ad opere complendam, inuigilare curamus.

Sequitur pars quarta, in qua Dominum se longius iturum fingentem, discipuli ad hospitium vocant. Non miremini fratres mei, quod Dominus se longius iturum finxit, quoniam non omnis fictio habet in se malitiam duplicitatis. Est enim quædam fictio mala, & est quædam fictio bona. Et quædam fictio ad decipiendum, qua inimicus se fingit amicum, vt magis decipiat. Est quædam fictio ad erudiendum siue probandum, qua magister se fingit iratum discipulis, vt eos timere & magis proficere faciat. Vnde Sapiens, Si filiæ, inquit, tibi fuerint, noli hilarem vultum ostendere ad illas. Nos itaque fratres mei, fictionem deceptoriam tanquam crimen fugiamus, & fictionem proficientem appetamus. Nam Dominus se fingit longius iturum, vt probaret charitatem discipulorum. Sed quoniam illi cum quibus ipsa charitas gradiebatur alieni à charitate esse non poterant, Dominum ad hospitium vocant, imò cogunt. Ex quo intelligendum est, quoniam hospites ad hospitium non solùm vocandi, sed etiam cogendi sunt. Antiqui quippè patres, etiam hospitibus occurrebant, & eos per vicos & plateas quærebant,

Duplex fictio bona & mala.

Eccle. 7.

bant, & inuentos cum gaudio susçipiebant. Prætendunt igitur discipuli Domino causam, quare cum eis debeat hospitari, cùm subdit: *Mane*, inquiunt, *nobiscū, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* In quo arguuntur illi qui hospitibus dicunt altiorem die horam adhuc restare, vt sic eos non ad remanendum, sed potius ad progrediendum longius inuitent. Sed nos fratres mei, superuenientem hospitē sine fictione inuitemus, rogemus, cogamus, oportunitatē temporis & loci non prætendamus, læti susçipiamus, lætiores eis ministremus: Quanti autem meriti sit hospitalitas, hinc apparet, quoniam Abraham & Lot, quia homines susçipere soliti erant, Angelos, imò ipsum Deum susçipere meruerunt. Quidā quoq; paterfamiliās studēs hospitalitati, dum quadam die peregrinum susçiperet, & ei aquas ad abluendas manus ipse porrigere vellet, repentè non comparuit, sed in visione noctis ei dixit: Cæteris diebus me in membris meis susçepisti, me serò in mea susçepisti persona. Sic etiam Dominus in iudicio electis dicturus est: Hospes eram, & collegistis me. Sectemini igitur fratres mei, hospitalitatem. Et, vt ait Apostolus, sine murmuratione. Inuitatus igitur Dominus & charitate coactus à suis, concessit. *Et intrauit cum illis.* Dulcissimū quippè est amico cum amicis epulari: & cum inuidis & odiosi epulari amarū est. Nos ergo fratres, cum bonis & amicis nostris epulari gaudeamus: Epulari verò cum malis & inimicis nostris, nisi fortè causa eos Deo lucrandi, fugiamus.

Hospitalitas.

Mat. 25.

Sequitur pars quinta, in qua discipuli agnoscunt Dominum in fractione panis, cùm subditur: *Et factū eſt dum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, fregit, & porrigebat illis.* Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Dum more solito Dominus panē benedicit & frangit, cognoscitur: multò felicius illorum oculis apertis ad cognoscendum naturæ suæ in Christo glorificationem, quàm primorum parentum ad cognoscendum concupiscentię suę confusionem. Et quare Dominus non in sacræ scripturæ expositione, sed in panis fractione cognoscitur? Quia bonus pastor plus cognoscitur operando, quàm prædicando, plus in charitate, quàm in sermone, plus se

Quare Dominus in panis fractione cognoscitur.

& sua pro fratribus tradendo, quàm solo sermone eis prædicando. Maioris enim efficaciæ sunt in subiectis exempla, quàm verba. Propterea fratres mei, si ad benè loquendum, magis tamen studeamus ad benè agendum. *Et ipse*, inquit, *euanuit ab oculis eorum*. Sed quare Dominus, fratres charissimi, discipulis suis fecit tam breue gaudium, vt mox agnitus mox euanesceret? Vt eos propter gaudium & suam tarditatem nondum dignos longa sui visione demonstraret, vt eos propriam tarditatem accusare faceret, vt eis agilitatem & libertatem naturæ glorificatæ demonstraret: vt in eis maius sui desiderium accenderet. Vnde & subditur eos dixisse: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas?* Ardens quidem erat cor eorum de Iesu: dum eum exponentem scripturas audirent; sed ardentius fuit, dum agnitus ab oculis eorum euanuit. Nos quoque fratres mei, cùm audimus Christum in scripturis loquentem, ardentes sæpè sumus. Sed si per contemplationem, vel per aliquam reuelationem eius dulcedinem apertius gustamus, quàtò magis ardentiores efficimur? Sed quando ipse remota nube dabit se nobis facie ad faciē in æternum videri, quantò magis fratres, tunc erimus ardentissimi in amore eius?

Sequitur pars sexta, in qua se Dominum vidisse recurrunt eum discipulis nuntiare. O vera charitas, veraq; fraternitas, quam nec cœna apposita, nec nox instans potuit retardare, quin gaudium suum recurrerēt mox confratribus suis communicare. Sic fratres mei, sic debet facere vera charitas, vt gaudium prosperitatis suæ quantocius festinet amico nuntiare, vt pariter gaudeant qui sese pariter amant. Itaque surgentes eadem hora, reuersi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cùm ipsis erant, dicentes, quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quę gesta erant in via: Et quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Hinc & inde manifesta Christi resurrectio nouorum cumulat materiam gaudiorum: & communiter gaudent, qui communem gaudendi causam habent. Sic erit fratres mei, in illa generali beatorum resurrectione: Communis causa, com-

communia gaudia generabit. Et communem quidem dico causam, vnam in omnibus charitatem, quæ faciet propria singulorum bona, per charitatem omnibus communia. Dum quisq; amabit gloriam tantū in proximo, quantum in semetipso. Ad illa ergo fratres charissimi, festinemus gaudia: vbi erit gloria sine inuidia, gaudium sine tristitia, abūdantia sine defectu, securitas sine metu, vita sine morte, beatitudo sine fine. Ad quam perducat nos omnipotens & misericors Dominus. Amen.

DOMINICA PRIMA post Pascha.

Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, &c. Ioan. 5.

Quoniam fratres mei, quibusdam graue videtur vincere malitiam mundi, ostendit Apostolus in hac lectione. Primò, quis sit victor mundi. Secūdò, per quę vincat eum. Tertiò, probat testimoniis eum tantum & talem esse qui mundum possit vincere. Ostendens ergo primò quis sit victor mūdi, ait: *Omne quod natū est ex Deo, vincit mundum.* Sunt autem fratres mei, tres natiuitates: prima diuina, secunda carnalis, tertia spiritualis. Secundū primam, natus est ab æterno ineffabiliter, ex Deo patre Dei filius: secundùm secundam, nascitur quotidie carnaliter de homine homo. Secundùm tertiam, quotidie per aquam & Spiritum sanctum, homo seruus peccati renascitur, vt sit adoptiuus Dei filius. De prima dicit Pater ad Filium: Ante Luciferum genui te. De secunda dicit Dauid: In peccatis concepit me mater mea. De tertia dicitur: Quotquot autem receperunt eum, scilicet Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Itaque fratres mei, carnalis generatio, quia fit per carnalem concupiscentiam, non vincit mundi concupiscentiam, sed ei confœderatur. Sola diuina natiuitas, & spiritualis natiuitas, quia fortiores sunt mundo, vincunt mundum. Vnde Dominus ait, In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Sed filius Dei naturalis, per se, & viribus suis vincit mundum, filius verò Dei adoptiuus non per se, sed per filium naturalem vincit mundum. Vnde filius Dei

Tres natiuitates.

Psal. 109.
Psal. 50.
Ioan. 1.

Carnalis generatio.

Ioan. 16.

Ioan.15. naturalis, filiis adoptiuis dixit: Sine me nihil potestis facere. Quomodo, fratres mei, Vincentius & Laurentius, cæteriquè Martyres, qui vtique erant caro fragilis, possent tot tentamenta & tormenta mundi vincere, nisi Deus eos armasset, & per eos vicisset? Nullo modo. Nemo igitur fortis confidat de viribus propriis: nam si hoc facit, vincitur. Ipse primus pastor Petrus, dum de se præsumit negando, corruit. Ostendens igitur Apostolus quod Christus solus vincit mundum, subdit: *Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Id est, Christus quem credimus. Et non solùm ipse, sed etiam illi qui ei ad-

Gal.5. hæret vera fide, vincit mundum. Vnde & subdit: *Et quis est qui vincit mundum, nisi qui credit*, fide per charitatem operante: quia Christus Iesus est filius Dei. Secundò, per quæ Christus vincat mundum, ostendit Apostolus, subdens: *Hic est qui venit*, subaudis, *vincere mundum per aquam & sanguinem passionis.* Tribus modis, fratres charissimi, Christus vincit mundum: patiendo, conuertendo & damnando. In primo quippè aduentu vincit mundum, persequutiones, contumelias, & flagella malorum, æquanimiter ea tolerando. Et etiam vincit malitiam quorundam, per charitatem eos conuertendo & sanctificando. Vtrumque verò, id est, patientiam & charitatem in passione ostendit. In secundo verò aduentu vincit mundum per iustitiam, malos scilicet damnando, & electos coronando. Nos ergo fratres mei, si filij Dei esse volumus, oportet vt vnigeniti filij eius vestigia sequamur. Vincamus igitur exemplo Christi mundum, id est, malitiam mundanorum, eos æquanimiter tolerando.

Tribus modis Christus vincit mundum.

Nam qui deficit in tribulationibus & persequutionibus: qui murmurat, qui vltionem quærit: iam non vincit, sed

Rom.12. victus est, secundùm illud: Noli vinci à malo, sed vince in bonum. Vincamus etiam malitiam mundanorum, eos ad Dominum conuertendo, bono verbo & exemplo: pro malo, bonum: pro maledicto, benedictum eis reddendo, & pro eis orando. Iuxta illud Apostoli, Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi: hoc enim faciens congeres carbones super caput eius. Si hoc modo fratres mei, vicerimus mundum in hoc seculo, proculdu-

Quomodo malitia mundanorum vincenda.

bio

biò in futuro vincemus dominando & iudicando malos, qui hic à malitia sua conuerti nolûerũt. Scriptũ est enim: Et dominabuntur eorum iusti in matutino, id est, in resurrectione. Vnde & Dominus promisit discipulis suis: Cùm sederit, inquit, filius hominis in maiestate sua, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Tertiò verò probat Apostolus, quod Christus talis & tantus est, qui per se mundum vincere possit, subdẽs: *Spiritus est enim qui testificatur quoniam Christus est veritas*, id est, verus Deus, & verus homo. Spiritus quippè sanctus, qui in specie columbæ venit super eum, & qui ab ipso missus est super Apostolos, testificatur quoniã Christus est veritas, id est, verus Deus: & spiritus humanus, quem emisit in passione, testificatur, quoniam Christus est veritas, id est, verus homo. Nisi enim verus homo esset, verum spiritum & veram carnem nõ haberet. Et non tantùm spiritus hoc testificatur, imò etiã tres idem testificantur. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbũ, & Spiritus sanctus.* Hi enim tres testificantur in Iordane, & in monte Thabor, quia Christus est verus Deus. *Et hi tres vnum sunt*, non tantũ in testimonio, sed etiã in essentia. *Et tres sunt qui testimoniũ dãt in terra*, quod Christus sit verus homo. *Spiritus, aqua, & sanguis.* Videlicet spiritus humanus, & aqua, & sanguis qui fluxerunt de latere Christi. *Et hi tres vnũ sunt*, subaudis in testimonio, & ideò credendum testimonio eorum. *Si testimonium*, inquit, *hominum accipimus*, secundùm quod scriptum est in lege, vt in ore duorũ vel trium stet omne verbum: testimoniũ Dei quod maius est, accipere debemus. Ac si diceret: Si testimonium hominum, qui vtiq; mentiri possunt, recipimus: multò magis testimoniũ Dei, qui mentiri non potest, recipere debemus. Quia igitur Christus verus est Deus, tantus est qui benè potuit vincere mundum. Et quia verus est homo, talis est qui potuit pro eo redimendo, pati. Nos quoque fratres, si filij Dei per gratiam sumus, & si humanitatem nostram puram & mundam seruamus, in Christo mundum vincere poterimus. *Qui credit*, inquit, *in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, id est, rem testificatam, Christũ videlicet & eius fidem.

Psal. 48. *Mat. 19.* *Eccle. 9.* *Mat. 18.*

Habet etiam testimonium Dei in se, vt scilicet testimonium quo testificatus est Pater de filio, quod filius eius sit per naturam, testificetur de vno quoque credēte, quòd sit filius eius per gratiam. Itaque fratres mei, si veram fidem habuerimus, in ea mundi malitiam vincere poterimus: quosdam malorum verbo & exemplo vincendo, & ad Christum trahendo: alios per patientiam æquanimiter tolerādo, & in profectum nostrum eorum malitiam conuertendo. Alios & diiudicando & separando, & hic à societate Ecclesiæ, & in futuro damnando & separando à sanctorum societate. Et ita veri victores mundi cum Christo & Martyribus eius, triumphum victoriæ accipiemus. Ipso præstante qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA PRIMA

post Pascha.

Ioan. 20. *CVm serò esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* Sicut ex lectione sanctorum Euangeliorum collegimus fratres charissimi, sex vicibus Dominus apparuit ipsa die resurrectionis. Primò Mariæ Magdalene, vt Ioannes refert: secundo ipsi & aliis duabus mulieribus à monumento redeuntibus: de quibus scriptum est, Quia accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tertiò Iacobo, vt Apostolus refert, de quo etiam narrat Euangelium Nazarenum: quia deuouerat se non comesturum donec videret eum resurrexisse. Quartò duobus, id est, in via Emaus. Quintò Petro. Sextò serò, omnibus præter Thomam congregatis domi, vt hic Ioannes refert. Nos ergo fratres, primò quæ ad historiam pertinent: secundò quæ ad tropologiam videamus. Et iuxta historiam quidem ingerit hic Dominus gaudium suæ resurrectionis discipulis suis se & verè resurrexisse, multis probat argumentis. Sunt autem huius lectionis quatuor partes. Primò enim ostenditur Dominus ianuis clausis discipulis suis apparuisse: secundò quid discipulis contulerit. Tertiò quomodo dubitantem discipulum in fide confirmauerit. Quartò, discipulo quia vidit confidente, beatos asserit qui

non viderunt & crediderunt. Primò igitur dicit Euangelista, Dominum Discipulis apparuisse ianuis clausis. Vnde oritur quæstio multiplex, primò quomodo verum corpus fuit quod ianuis clausis intrauerit. Vel si ideò fuit illud corpus subtile quod ianuis clausis intrauerit, quomodo corporalibus oculis videri vel manibus tractari potuerit, vel quomodo potuerit loqui, cùm ad grossiora & humidiora conueniat membra. Quomodo etiam corpus glorificatum, cùm sit splendidius sole, humani oculi potuerunt sustinere. Quomodo & manducauerit, quomodo & verum corpus fuerit, quod nunc apparere, nùc euanescere potuerit. Ad horum solutionem fratres mei, intelligendum est, quod in resurrectione corpus septem donis decorabitur. Primum erit subtilitas. Adeò enim tunc subtile erit corpus, quod obstantia corpora possit penetrare, nec vinculis nec claustris prohiberi queat. Vnde & corpus Christi glorificatum, potuit clauso sepulchro exire, clausisque ianuis intrare. Secundum erit velocitas: nam tantæ velocitatis erit corpus glorificatum, quod in momẽto de cœlo ad terras, de terris ad cœlum, ab orienti in occasum, vel econuerso ire possit, hinc est quod Dominus apparẽs duobus in Emaus, mox apparuit Petro in Hierusalẽ, cùm loca sexaginta stadiis distent. Tertium erit incorruptibilitas. Tunc enim corpora non poterunt corrũpi, nec morte, nec senio, nec morbo, nec gladio, nec fame, nec siti, nec aliquo incommodo. Vnde Ioannes: absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, &c. Vnde Christus, inquit, resurgens ex mortuis iam nõ moritur. Quartum erit fortitudo. Tũc enim tantæ fortitudinis erit corpus glorificatum, quod montes etiã possit euertere: quod nunc angelos posse credimus. Vnde & lapidem ab ostio monumenti, qui valde magnus erat, quasi plumam Angelus vnus euertit. Quintũ erit pulchritudo. Tantæ enim pulchritudinis, tantæq; gloriæ tunc erit corpus, vt fulgeat sicut sol. Vnde & Dominus fulgebunt, inquit, iusti sicut sol in domo patris mei. Et si gloriã, quam Dominus, ad horam ostendit in monte, mortales oculi sustinere non potuerunt quomodo gloriam eius glorificati ferre possent? Sextum erit voluptas. Tunc enim omnes corporei

Quæstio.

In resurrectione corpus septem donis decorabitur.

Luc. 24.

Apoc. 21.

Rom. 6.

Sap. 3.

sensus, veris & æternis voluptatibus delectabuntur. Visus delectabitur in splendore æternæ charitatis. Auditus in suaui melodia hymnorum cœlestium. Gustus in dulcedine cœlestium bonorum & æternorum. Odoratus in suauitate omnium aromatum & odoramentorũ. Tactus ineffabili suauitate & mollicie. Septimum erit Libertas. Adeo enim corpus glorificatum erit liberum, vt ea quæ nobis contraria videntur, ipse possit ostendere. Vt cùm sit subtile in sui natura, se corpulentum & palpabile possit ostendere, & cùm voluerit euanescere: Vt cum gloriosum & fulgens sit in sui natura, se sub obscurum & visibile possit ostendere. Cum nullius cibi aut vestis indigeat, possit manducare & esse vestitum. Quod & de angelis legimus. Quia ergo Dominus volebat probare mortalibus carnem suam verè à mortuis resurrexisse, talem se exhibebat, qualis ab eis, videri, palpari, audiri, loqui, & comedere posset. Verè ergo ab eis videbatur, verè palpabatur, verè loquebatur, verè audiebatur, verè comedebat. Cibus tamen ille non descendebat eo quo nostri descendunt, sed in ipsa consumebatur masticatione.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quid Dominus in hac apparitione cõtulerit discipulis suis. Primum quidem quoniam mœsti erant, contulit eis consolationem, eis annuntiando, cum dixit, pax vobis. Est enim ac si diceret? Non doleatis, sed potius gaudete, quoniam per passionem meam, pax inter Deum & hominem est reformata. Deinde quoniam missurus erat discipulos ad hanc prædicandum, & daturus erat eis potestatem ligandi, atq; soluendi, confirmat eos: primò in fide resurrectionis: se-
Luc. 24. cundò aperit eis sensum iuxta Lucam, vt intelligerent scripturas. Tertiò præcipit eos cum Deo & cum proximo pacem & charitatem habere. Quartò eos mittit ad prædicandum. Quintò eis confert Spiritum sanctum: Et sic ad vltimum dat eis ligandi atque soluendi potestatem. Et primò quidem conuenienter, quos ad officium prædicationis & sacerdotij missurus erat, in fide confirmat. Quoniam primò in se debet esse firmus, qui est alios cõfirmaturus. Confirmat autem eos in fide cum eis manus & latus demõstrat: Et cum (iuxta Lucam) cum eis manducat.

Ostẽ-

Ostendens illam eandem carnem, quæ cõfixa fuit, resurrexisse, quæ rediuiua & tractari potest & epulari. Secũdò verò conuenienter aperuit discipulis sensum, vt intelligerent scripturas. Quoniam qui alios docturus est non solùm fidem debet habere, sed & eam testimoniis scripturarum debet in aliis confirmare: vt videlicet iuxta quod Petrus ait, sit paratus de ea fide & spe, quæ in nobis est, reddere rationem. Et hoc fratres mei, contra illos est qui ad officium prædicationis & Sacerdotij accedunt, cũ sint ignari scripturarũ. Tertiò quoq; congruè præcipit discipulis habere per charitatem, cum Deo & proximo pacem. Quoniam qui mediator inter Deum & peccatores cõstituitur, oportet primò vt ipse & cum Deo & cum homine per charitatem, pacificus & familiaris habeatur. Nã quomodo duos aduersos reconciliare potest, qui ab vtroque per odiũ vel per ignorantiã diuisus est? hoc contra illos est, qui cùm sint Deo ignoti per reprobam vitã, pro peccatoribus presumunt facere reconciliationis legationem. Quintò etiam Discipuli opportunè ad prædicandum mittuntur: quoniam qui in fide sunt firmi, & in scripturis eruditi, & cum Deo & cum homine per charitatem pacifici, conuenienter ad prædicandum possunt mitti. Non autem ipsi per se officium prædicationis assumunt, sed potius à Domino mittuntur. Quoniã nemo se debet ingerere. Et nemo (teste Paulo) debet sibi assumere honorem, sed qui vocatus est à Domino vt Aaron. Et hoc contra illos, qui per ambitionem & simoniam, officium prædicationis præsumũt vsurpare sibi. Quintò quoque conuenienter missis ad prædicandũ datur Spiritus sanctus, qui suggerat eis omnia quæ ipsi loquuturi sunt: quiq; det eis & sermonum affluentiam, & persuasionis efficaciam: Frustrà enim prædicatores loquuntur, nisi in verbo Dei & in spiritu oris eius, rete prædicationis laxetur. Et hoc contra illos est, qui ex suo, non ex Dei spiritu, prædicare conantur, nõ profectum auditorum, sed suam potius scientiam ostentare quæritantes. Sextò etiam cõuenienter datur eis potestas ligandi atque soluendi, vt videlicet quos à spiritu intus illuminatos intellexerint, absoluant. Et quos à Deo excæcatos, ligent. Ecce fratres mei, ad quantã

1. Pet. 3.

Hebr. 5.

dignita-

dignitatem Dominus Discipulos suos, & eorum sequaces, in hoc seculo sublimauit, vt eos patres & pastores, imo etiam Deos hominum constitueret, & eis vice sua, potestatem relaxandi vel imputandi peccata conferret. Quod vtique ideo fecit diuina misericordia, vt peccatores non desperarent, cum iuxta se consilium & medelam pec-

Confessio. catorum suorum inuenirent: Et vt homines hominibus se humiliando, & peccata sua confitendo, per humilitatem sibi Deum placarent, quem per superbiam offenderant. Et vt homines hominibus, peccatores peccatoribus compaterentur, pro inuicem orando, & alter alterius onera portando. Cæterum summopere attendant Sacerdotes, qui, quos, qualiter, & quo animo, & in qua auctoritate absoluere debeant vel ligare. Qui debent absoluere vel ligare? Qui per Spiritum sanctum à peccatis suis absoluti & illuminati sunt. Nam quomodo digne ligatus, poterit ligatos absoluere vel ligare, vel immundus immundos mundare vel damnare? Hinc Dominus accusatoribus mu-

Ioan. 8. lieris adulteræ dixit: Qui sine peccato est vestrum, primus lapidem in eam mittat. Hinc etiam scriptum est: Medice cura teipsum. Quos debent absoluere vel ligare? Populos sibi subiectos, non alienos. Hinc in lege prohibitum est, ne quis mittat falcem in messem alienam: & fratres, non

1. Cor. 5. infideles. Vnde Apostolus: Quid mihi de illis qui foris sunt, iudicare? Et si fuerit quis, id est, priuata persona: Principem enim, & qui secum habet sociam multitudinem non excommunicare, sed potius ferre debemus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul & triticum. Qualiter debent absoluere vel ligare, non præcipitanter, sed morosè, discretè, & iustè. Morosè quippe proferenda est sententia excommunicationis, & à Sacerdote, & per se, & per alios. Tertiò commonendus est peccator, & prius omnia remedia sunt tentanda, antequam ad sententiam excommunicationis veniatur. Et hoc contra illos est, qui præcipitanter mox excommunicant peccatores, non attendentes, quoniam quòd nimis citò fit malè fit. Discretè enim proferenda est sententia, vel absolutionis, vel excommunicationis. Non enim aliquem debet excommunicare Sacerdos propter veniale peccatum, nec propter ignotum vi-

tium,

tium, vt si quis fuerit irosus vel garrulus: nec propter occultum, sed propter crimen manifestum. De cæteris quippe vitiis monere potest, non excommunicare. Vnde Paulus: Si quis inquit, fratres nominatur inter vos fornicator, aut auarus, cum huiusmodi nec cibū sumite. Nominatur autem cum diuulgatur. Rursus nec ligatum absoluere debet, nisi peccatum abiuret peccator, & nisi satisfaciat: & nisi gemitibus, suspiriis, & vultu pœnitentis ostendat interiorem contritionem cordis. Iuste quoque sententia absolutionis vel excommunicationis proferenda est: vt videlicet non ob odium, vel gratiam, sed tantum ob meriti iustitiam proferatur. Hoc contra illos est, qui in absoluendo, vel ligendo, affectum animi proprij pensant, non meritum subiecti. Propter odium absoluendum ligantes, vel propter gratiam ligandum absoluentes: alio iudicio amicum, alio inimicum iudicantes. Sed profecto eorum sententia ante summum iudicem reprobanda est: quoniam vt ait Salomon, pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum. Subiectis tamen sententia pastoris iusta vel iniusta timenda est, ne propter contemptum, culpa, quæ non erat, fiat. Quo animo pastor Ecclesiasticus absoluere debet vel ligare? Læta mente absoluere debet, & tristi ligare. Propterea non nisi vix & in magna necessitate & dolenti animo debet excommunicare. Quemadmodum aliquod membrum de corporis nostri integritate non nisi cum fuerit aridum & cæteris membris nociuum: Et tunc vix, & cum dolore magno solemus amputare. Hoc contra illos est, qui facile & alacriter, & citò, fratres suos peccatores solent excommunicare. Cæterum cùm membrū ab ecclesiastica vnione absciudunt sine animi proprij dolore, ostendunt se Ecclesiæ membris non compaginari vnione charitatis. In qua auctoritate absoluere debent Sacerdotes, in diuina, an sua? Potestas quippè peccata relaxandi solius Dei est. Ministerium verò quod impropriè etiam potestas vocatur, vicariis suis concessit, qui modo suo ligant vel absoluunt, id est ligatos vel absolutos esse ostēdunt. Prius enim Deus interius peccatorem per compunctionem absoluit, Sacerdos verò exterius, sententiam proferendo, eum esse

Ephe. 5.

Prou. 26.

Non excommunicandū nisi in necessitate.

In qua auctoritate absoluere debent Sacerdotes.

absolutũ ostẽdit. Quod bene significatur per Lazarũ, qui prius in tumulo à Domino suscitatur, & post, ministerio discipulorum, à vitiis quibus ligatus fuerat, absoluitur.

Sequitur pars tertia, in qua dominus dubitantem discipulũ in fide confirmat, cùm subdit: *Thomas vnus ex duodecim, &c.* Si quæritis fratres charissimi, quare Dominus electum discipulum in fide voluerit dubitare: magna vtiq; dispensatione. Minus quippè Maria Magdalene nobis profuit, quam Thomas qui diu dubitauit. Ille etenim vulnerum cicatrices tetigit, & de pectore nostro vulnus dubietatis amputauit. Dubitauit ille ne nos dubitaremus. Tangendo confirmatus est ille, vt nos in eo confirmaremur. Confirmat autẽ eum in fide resurrectionis suæ Dominus, cũ subiungit: *Infer digitum tuum huc, &c.* Ob quatuor quippè causas Dominus in corpore suo glorificato retinuit signa cicatricum. Vt carnem crucifixam verè resurrexisse ostenderet, vt eas patri præsentans pro nobis semper interpellet, vt mali in iudicio videant in quẽ transfixerunt, vel quem contempserunt: vt iusti eas cernentes Domino suo pro se inflictas, plus in amore eius semper inardescant. Hac etiam de causa, nunc imago crucifixi in Ecclesia depingitur: vt scilicet cernentes redemptorẽ nostrum pro nostra salute sponte sustinuisse pauperiem, infirmitatem, improperia, sputa, flagella, mortem, magis ac magis in corde nostro ad eum diligẽdum inflammemur. Quid enim non debemus facere pro eo qui tam dignus tam indigna sustinuit, pro nobis tam indignis?

Ad quid nobis conferat dubitatio Thomæ.

Quare imago crucifixi depingitur.

Sequitur pars quarta, in qua confitenti Discipulo dicitur: *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Quia vidisti me, inquit, credidisti. Quid vidit? Quid credidit? Cùm fides sit de his quæ non videntur: aliud vidit, & aliud credidit. Vidit cicatrices in carne, & credidit ipsum per potẽtiam Deitatis verè resurrexisse. Vidit visibilem humanitatẽ, & credidit latentem diuinitatem. *Beati*, inquit, *qui me non viderunt & crediderunt.* Quid sibi vult fratres mei, ista verborum oppositio? Nunquid nos qui non vidimus & credimus soli sumus beati? Et Apostoli qui viderunt & crediderunt, non sunt beati? Vel illi sunt beati, sed nos beatiores illis? Non.

Sed

Sed his verbis ostenditur quoniam maioris meriti est fides, quæ sine sensus experientia credit, quàm ea quæ per experientiam credit. Et quidem maioris meriti esset fides nostra, quàm fides Apostolorum: si tanta, si tam feruens esset & efficax. Sed eorum fides quanto certior, tanto feruentior. Beatissimi fuerunt igitur Apostoli, quibus dictum est: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Sed nos quoque fratres mei, qui nō vidimus in carne Dominum, sumus beati, si verè eum credimus, si eum verè diligigimus, si mandata eius adimplemus. Iuxta tropologiam verò ostenditur nobis, primò quid exemplo Apostolorum facere debeamus: deinde quid emolumēti inde consequuturi sumus. Congregabantur autem discipuli omnes serò domi simul, & clausis ianuis propter metum Iudæorum, & de Domino loquebantur, & eum suspirabant. Nos quoque fratres mei, postquam per diuturnam actionem ad negotia exteriora exierimus, sero per contemplationē ad nosmetipsos redeamus, & intra nosmetipsos nos colligamus: vt quid corrigendum sit in nobis, quid nutriendum, quid euellendum, quid plantandum perquiramus. Non simus sicut quidam, qui sola quæritant exteriora, seipsos ignorantes & negligentes. Simus & simul per vnionem charitatis, vt diligamus Deū plus quàm nos: & proximos nostros sicut nos. Sicut & de ipsis Apostolis dicitur: quia multitudinis credentium, erat cor vnum, & anima vna. Nec erāt diuisi per auaritiæ proprietatem, quoniā nullus aliquid suū dicebat, de his quæ possidebantur: sed erant illis omnia communia. Debent etiam fores cordis nostri esse clausæ propter insidias dæmonum? ne scilicet possint ad interiora nostra per malam suggestionē penetrare, Et ideò debemus, iuxta præceptum Salomonis, omni custodia cor nostrum custodire. Et iuxta Petri mandatū: Sobrij estote & vigilate, scilicet in orationibus: quia aduersarius vester diabolus tanquā leo rugiens circuit, quærens quē deuoret. Si sic fratres mei, si sic fuerimus collecti in nobis per contemplationem simul & charitatem, foribus clausis per custodiā, loquētes crebrò de Iesu & eum desiderantes, proculdubio intrabit in nos, & erit nobiscū sicut ipse promisit, dicens:

Mat. 13.

Act. 4.

Prou. 4.

1. Pet. 5.

Vbi-

Mat.18. Vbicunque duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Et quid conferet nobis? pacem suæ consolationis. Et excludens à nobis omnem dubietatem, cõfirmabit nos in fide, aperiet nobis sensum ad intelligentiam scripturæ. Dabit & nobis pacem geminæ charitatis: mittet & nos ad lucrãdum animas fratrum nostrorum. Inspirans nobis Spiritum sanctum suum ad suggerendũ nobis omnia bona, faciet & nos quasi Deos, dum vel hîc vice sua ligamus vel absoluimus peccatores: vel in futuro iudicabimus pertinaces. Sed si quis durior & tardior in fide fuerit, non desperet, sed pia mente certificari roget, & Dominus apertioribus signis & documentis eum in fide sua certificabit. Qui vndequaque electos suos congregans, & in regnum suum introducens, epulabitur cum eis in lætitia sempiterna. Vnde ipse ait: Et ego dispono vobis quemadmodum disposuit Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Luc.22.

DOMINICA SECVNDA post Pascha.

1.Pet.2. *CHristus passus est pro nobis, vobis relinquẽs exẽplum, vt sequamini vestigia eius, &c.* In hac lectione fratres charissimi, sex nobis proponuntur considerandа: Quis passus sit, & pro quibus, & quanta, & in quo, & quomodo, & qua nostra vtilitate. Quis passus est? Deus impassibilis, incomprehensibilis, immortalis. Res mira fratres, & à retro actis seculis inaudita: quòd impassibilis, passus est; quòd incomprehensibilis, comprehensus est: quòd immortalis, mortuus est. Et hæc, & si contraria videãtur, tamen verè de eadem persona secundum aliam & aliam naturam prædicãtur. Non enim in Christo sunt duæ personæ Deus & homo, sed vna eadem natura constans ex duabus. Tãta autem in Christo vnio est diuinitatis & humanitatis sine confusione, vt quicquid de verbo dicimus, dicamus & de illo homine: Et quicquid cum illo homine dicimus, dicamus & de verbo. Inde est fratres mei, quod audacter Deum mortuum, & hominẽ illum mundi creatorem prædicamus. Non enim præiudicat veritati dictorum

rum inconsequens iunctura dictionum. Pro quibus est passus? pro hominibus, pro seruis, pro peccatoribus. Passus est itaque Deus pro hominibus, Dominus pro seruis: Sanctus pro peccatoribus. Ecce fratres mira & inaudita compassio: mira & inaudita dignatio. Erubescant igitur Domini tēporales, inhumani & crudeles in seruos suos: qui seruorum & pauperum nolunt misereri excessibus, nec compati infirmitatibus: imò & delinquentes inhumanè affligunt, & ægrotantes, frigore & inedia perire sinunt, plus dolentes de infirmitate iumenti sui, quàm serui sui. Quid est hoc? Deus compassus est tibi misero homini & peccatori, & tu non compateris homo homini, seruus conseruo. Qui nullius indiget, tibi indigenti est misertus. Et tu qui indiges, indigenti non misereris. Quanta passus est? defectus & iniurias. Defectus autem passus est, & rei, vt paupertatem & penuriam corporis, vt famem, sitim, lassitudinem. Defectus etiã mentis, vt tristitiam & dolorē. Iniurias etiam passus est, tam à suis, quàm ab extraneis: Exactiones in re, conuitia in verbo, afflictiones in corpore: exactiones, quia exactus tributum reddidit Cæsari: vestimenta eius partiti sunt milites, & super vestem eius miserunt sortem. Conuitia etiam ei intulerūt, vocantes eum filium fabri, voracem & potatorem vini, amatorem meretricum & publicanorum: Vocātes etiam eum seductorem, & improperantes ei: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Afflictiones etiam in corpore passus est, vt alapas, sputa, vincula, flagella, mortem. Fratres mei, si Deus sustinuit tot & tanta indigna pro nobis indignis, quid nos debemus facere pro eo, imò pro nobis? Deus dives omniū factus est pro te pauper: Et tu pro salute tua refugis esse pauper: Deus pro te passus est famem, sitim, lassitudinem & tristitiã, & huiusmodi: Et tu pro tua salute hæc refugis pati? Deus & Dominus omnium sustinuit propter te subiectionē, & reddidit tributum Cæsari: Et tu pro tua salute, refugis subiectionē, & tributum dare Principibus terrarum? Deus propter te sustinuit conuitia, & irrisiones à seruis: Et tu ab æqualibus, hæc tibi dici non potest pati? Deus passus est propter te flagella & mortem. Et tu pro redemptione animæ tuæ

Mat. 21. Ioan. 19. Mat. 11.

Mat. 27.

non potes pati, quæ tamen velis nolis, passurus es tandē? Fratres omnia vilia & aspera sustinuit Deus pro nobis, præter peccatum. E contrario nos miseri subiectionem peccati & diaboli patienter sustinemus: subiectionem verò hominum, paupertatem & afflictionem, (quæ medicina sunt animarum) pati noluimus. Vt quid hæc? nisi quia non lege Dei, sed lege nostra viuere volumus & nostram, non Dei viam sequimur. In quo passus est? super lignum. Disposuerat namq; Deus ab æterno Christum in ligno passurum: tum quia hoc genus mortis erat vilius, tum quia conuenientius. Vilius quippè erat, quia in ligno suspendebantur latrones & rei. Hæc ergo nos pati voluit, qui pro nobis pati viliora voluit. Cōuenientius verò erat, quoniam per lignum diabolus Adam tentauerat & vicerat. Conuenientius ergo erat vt qui per lignum hominem vicerat, per lignū ab homine vinceretur. Conueniēs erat, vt homo qui peccauerat per ligni dulcedinem, sanaretur per ligni amaritudinem. Quod autem triumphaturus esset Dominus de diabolo, prædictum erat à Psalmista:

Psal. 95. Dicite, inquit, in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno. Quomodo passus est? sponte & innocenter. Sponte,

Ioan. 10. quoniam tradidit iudicanti se iniustè. Vnde idem ait: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Innocenter, quoniam peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, patienter quoniā cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Imò Petrum redarguit, & aurē quā amputauerat, sanauit. Nos quoque fratres, magistri nostri vestigia sequentes, patiemur sponte amara & tristia huius mūdi. Quoniam sicut infirmus non peruenit ad sanitatem, nisi tristia patiendo & amara gustando: Ita nos infirmi peccatis nisi dura & amara patiendo, ad veram salutem peruenire non valemus. Patiamur quātum possumus innocenter ad exemplum Domini nostri: vt pœnę temporales non sint nobis pœna culpæ, sed meritum coronæ.

8. Pet. 2.

Innocēter patiēdum.

Sed si quandoque pro peccatis nostris flagellamur, in ipsis flagellis, more dextri latronis nos meritos confitentes, puriores reddamur, non more sinistri latronis in iniquitate nostra induremur, & de correptionibus peiores efficiamur,

mur. Patiamur & patienter, non remurmurantes, non iudicium Dei accusantes, sed Deo gratias agentes, qui filium quem plus diligit, corripit. Scientes quia pœnæ, aut peccata purgant, aut mercedem augmentant. Qua vtilitate nostra passus est? quadruplici. Primò vt peccata nostra portaret: secundum quod prædixerat de eo Esaias: Verè lãguores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. Secundò vt charitatem quam habebat in nos sic nobis ostenderet, & nos ad amandum eum arctius inuitaret. Vnde ipse ait: Maiorem charitatem ac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tertiò vt exemplum quod sequeremur nobis relinqueret. Vnde ipse ait: Qui mihi ministrat, me sequatur, Et vbi sum ego, illic & minister meus erit. Quartò, vt nos ab errore ad viam veritatis, à tenebris ad lucem, à cultu diaboli, ad cultum creatoris nostri, nos reuocaret. Eramus enim antè fratres mei, quasi oues errantes sine pastore, eramus cœci, sine vera luce, eramus seruientes diabolo, ignoto verò creatore. Sed nunc fratres mei, gaudeamus, & redemptori nostro gratias agamus: quoniam nunc sumus conuersi ad Pastorem & Episcopum animarum nostrarum, quem toto corde diligere & totis viribus sequi tribuat nobis omnipotens Pater æternus. Qui cum eodem filio & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Patienter patiendũ. Heb. 12.

Esa. 53.

DOMINICA SECVNDA post Pascha.

Dixit Iesus Discipulis suis: Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, &c. Dominus ac redemptor noster fratres charissimi, quoniã mitis est & humilis corde, vilibus se comparat personis. Non enim ait: Ego sum bonus Rex, bonus imperator, sed ego sum bonus Pastor. Porrò in lectione, quæ hanc præcedit, loquutus fuerat Dominus de fure: hinc consequenter loquitur de mercenario, & de bono pastore. Tres igitur sunt, fur, mercenarius, & Pastor, sicut nominibus, ita introitu, intẽtione, opere, et merito differẽtes. Fur quippè est hæreticus, qui de vnione fidei & Ecclesiæ oues Christi furatur, & in partẽ diaboli trahit & occidit. Qui bene dicitur

Ioan. 10.

Fur hæreticus.

fur, quoniam furtum, id est, obscurū diligit: Iuxta illud, Qui malè agit, odit lucem. Dicitur enim latro à latendo, quoniā sedet in insidiis occultis, vt interficiat innocentē. Non enim coram sanctis doctoribus, sed clam & furtim simplicibus & idiotis, audet suam hæresim prædicare. Sed nec per ostium, teste Domino intrat in ouile ouium, sed ascendit aliundè, quoniā non per humilitatē ostij, i. Christi, sed per superbiā & inanem gloriā, numero fidelium se ingerit, & nomen sibi assumit. Intentio quoque illius est, non prodesse, sed potius præesse & nocere. Vnde Dominus fur, inquit, nō venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Furatur quippè: dum ab vnione Ecclesiæ animas separat. Mactat quippè, dum veneno perfidæ hæresis eas occidit: perdit penitus, dum malo exemplo eas penitus destruit. Opus vero illius est veritatem scripturarū malè interpretando deprauare, veritati falsum admiscere: Calamo legis caput, id est, diuinitatem Christi impugnare: per hypocrisin malitiam suam palliare, & ita decipere: de rebus illorū, quos decipit, viuere, & illos mala doctrina & malo exemplo perdere. Meritum verò illius pessimū est, quoniam non solùm animæ suæ est reus, sed omnium illarum quas malo exemplo & doctrina perdit animarum: Et quot animas perdit, tot damnationes sustinebit. Mercenarius verò est omnis ille, qui in Ecclesia Dei querit præsidere, non ad honorem Dei, nec ad salutem animarum, sed tantùm ad temporalem mercedē: Quales sunt hodie (vnde dolendum est magis) ferè omnes Prælati Ecclesiarum, non manducantes vt Euangelizent, sed potius Euāgelizantes vt manducent: Et quod peius est manducantes, & nō Euangelizantes. Oblationes fidelium & peccata populi comedentes, & tamē eos non corrigentes, nec erudientes. Quæritur Ecclesia non vbi abundet deuotio fidelium, sed vbi abundet amplitudo reddituū. Plus amatur multitudo iniquorum munera offerentium, quàm Ecclesia pauperum fidelium nihil offerentium, vnde mercenarius dicatur, patens est, quoniam à mercede temporali, propter quam prædicat, & qua deficiente ipse cessat. Et quoniam oues non diligit, sed emolumētum quod ab eis percipit, pastor non est, quoniam non oues, sed pascere quærit.

Ioan. 3. Hæreticus dicitur latro.

Intentio hæretici præesse & nocere.

Ibidem. Furatur & mactat hæreticus.

Mercenarius quis.

Quales hodie Prælati Ecclesiarum.

Vnde dicitur mercenarius.

quærit. Vnde Dominus ait: *Mercenarius & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ.* Non enim per amorem eas sibi facit proprias, sed per contemptum à se alienas. Introitus quoq; mercenarij, in Ecclesiam, non est per Christū ostium, sed potius per ambitionem, simoniam, & inanem gloriā. Qui licèt quandoq; sine munere etiam vocatus introeat: quia tamen, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt, quærit: non per Christū ostium, sed per ambitionem intrat: intentio etiam mercenarij, quoniam vana & mala est, quicquid facit, quicquid prædicat, quicquid offert, Deo inacceptum est. Vnde Dominus per Malachiam Prophetam eis loquitur, dicens: Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, munus de manu vestra non suscipiam. Opus autem mercenarij est, honorem & luerū temporale quærere, sese pascere, verbo solo prædicare, malo exemplo corrumpere, curam ouium negligere, veniente lupo fugere. Amant, inquit, primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Et iterum per Prophetam: Væ pastoribus, inquit Israel, qui pascebant semetipsos, Nónne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis, lanis operiebamini, gregē autē meum non pascebatis. Quod crassum erat, occidistis, & quod infirmū non consolidastis: quod ægrotum non sanastis: quod fractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis: quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eò quòd nō esset pastor, & factæ sunt in deuorationem bestiarum agri. Ac si diceret. Cum de orationibus & peccatis populi vos pasceretis, tamen officium pastoris nō fecistis: fractū diuersis tribulationibus Sacerdotali ope non consolidastis, erroneū ad viam salutis non reuocastis: desperatione perditum, pastorali sollicitudine non requisistis. In hoc quoque de quo sermonē facimus Euangelio, Dominus de mercenario dicit: *Vidit lupum veniētem & dimittit oues, & fugit.* Lupus siquidem est diabolus, vel membra eius, qui ouibus Christi insidiātur. Si diabolus oues Christi tentat, abstrahit, & dilaniat, ipse fugit,

Introitus mercenarij in Ecclesia.

Intentio mercenarij.

Mala. 1.

Opus mercenarij.

Mat. 23.

Luc. 20.

Ezec. 34.

In pastores qui neglecto grege Christi quæ sua sunt, quærunt.

Lupus quis.

dum super eas vigilare refugit. Si malus homo bonos opprimit: si pupillum & viduam spoliat: si Ecclesiam inquietat mercenarius, incurrere timens damnum fugit, dū rigoris sententiā contra malos exercere refugit. Et quare fugit? *quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus*, id est mercedem, non oues diligebat. Hinc Dominus per Prophetam: Non ascendistis ex aduerso, nec posuistis vos murum pro domo Israel. Ex aduerso ascendit, & se murum pro domo Israel opponit, qui fortiter se contra persecutores erigens, sese in defensionem pro Ecclesia opponit. Meritū verò mercenarij est, pro bono (si quod fortè egit) merces temporalis: pro malo verò quod egit, malè viuendo, & oues malo exemplo corrumpēdo, damnatio spiritualis. Nam quid meretur pastor, qui per negligētiam suam commissas oues sinens laniari, ad Dominum solus redit? Hinc Propheta: Propterea pastores audite verbum Domini: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum, oues meas de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra nō pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Quoniam in hac vita omni prælatione priuati, & omni miseriæ subiecti, non pascent se, vt solebant, vana gloria, & oblationibus fidelium, sed pascentur potius à vermibus, qui non moriuntur, & ab igne qui non extinguitur. Pastor verò est, qui nō ob temporalem mercedem, sed ob solam Dei & proximi charitatem oues dominicas pascit, non quę sua sunt quærēs, sed quæ Iesu Christi. Porrò vnus & summus pastor est, qui per antonomasiam de se ait: Ego sum pastor bonus. Dicitur autem rectè pastor, quoniam ipse pascit oues suas, bono exemplo, bona doctrina, & sanguine suo. Ipse etiam cum Patre est ostium & ostiarius, id est potestas, per quā ipse aut vicarius eius, ad regendas oues ingreditur. Vnde ipse dicit: Qui intrat per ostium, ipse est pastor ouiū, huic ostiarius aperit. Intentio autem summi pastoris est, non præesse ouibus, sed prodesse: Non enim venit ministrari, sed ministrare: non venit hic regnare sed pati: non venit pasci, sed pascere. Officium verò illius est proprias oues agnoscere, & eas nominatim vocare, eas ducere & præcedere, pascere & custodire. Lupo venienti se opponere, &

Ezech. 13.

Meritum mercenarij.

Ezec. 34.

Pastor quis.

Christus rectè pastor dicitur.

pro

pro ouibus suis animam suam ponere, & oues curare & congregare. Proprias enim oues agnoscit, & per prædestinationis electionem, & per bonæ viræ approbationem. Eas nominatim vocat dum singulos per singulas virtutes sibi notas ad se citat: Vt Abel per innocentiam, Iob per patientiam: Moysen per mansuetudinem: Dauid per humilitatem. Oues ducit, educendo, conducendo, perducendo. Educit de lacu miseriæ: conducit per viam iustitiæ, perducit ad pascua vitæ. Præcedit oues bono exemplo sui, viam demonstrando. Pascit corporaliter, & spiritualiter, & tandem æternaliter. Custodit ab insidiis diaboli, à contagione peccati, à fouea inferni: & non est qui possit eruere de manu eius. Lupo venienti se opposuit, eius insidias aperiendo, eius potestatem refrenando, eius conatum euacuando, oues ab eo protegendo. Pro ouibus animam ponit, quoniam eas à potestate diaboli sanguine proprio redimit. Oues quoque curat, & quas vbicunque proprias agnoscit, à lupo in tempore caliginis dispersas adducit, & recolligit, vt fiat vnum ouile & vnus pastor. Vnde ipse per Prophetam: Ecce ego, inquit, requiram oues meas: Quod abiectum fuerat, reducam, quod perierat, requiram, quod fractum erat, alligabo, & quod infirmum, cõsolidabo, & quod pingue & forte, custodiam. Hoc facit magnus & summus pastor. At nos minimi pastores vicarij eius, qui etiam pastore indigemus, quantum ipse dederit, vestigia eius sequamur. Non sumus mercenarij sed Pastores: non nos, sed oues dominicas pascere quærentes: intremus in ouile ouium non aliundè, sicut fur & mercenarius, id est, non per ambitionem, non per simoniam, non per aliquam vanam & malam intentionem, sed per ostium, quod est Christus: eius scilicet gloriam & ouium suarum profectum quærentes. Intendamus magis prodesse quàm præesse, Christi non nostram, gloriam quærere. Imitemur & studium summi pastoris: proprias oues agnoscamus: intus per confessionem, exterius per vitæ & morum considerationem. Oues nominatim vocemus vnamquamque secundum propriam virtutem ad operandum citantes. Oues educamus de lacu peccatorum. Conducamus per iustitiam bonorum ope-

Iob. 10.

Ezech. 34.

rum: perducamus quantum in nobis est, ad pascua æternorum gaudiorum. Oues præcedamus exemplo bonorum operum. Pascamus eas spiritualiter, & etiam eas quæ indigent corporaliter, vt tandem pascamur cum eis æternaliter. Custodiamus eas, quantum possumus orando & prædicando, ab insidiis diaboli, à contagione peccati, à pœnis inferni. Lupo venienti, id est diabolo vel malo homini, in oues sæuire volenti, nos opponamus: diabolum abiurationibus fugantes, malum hominem sententia pastorali cohibentes. Pro ouibus si opus fuerit, nō solum rem exteriorem, sed & animā nostram ponamus. In hoc enim præcipuè bonus pastor à fure & mercenario discernitur. Oues quoque dispersas requiramus, & de potestate diaboli, quas possumus eripientes, in Christi ouile cōgregemus, abiectas per errorem reducentes, quæ perierant peccando requirentes. Fractas, per pœnitentiam alligantes: infirmas consolationibus & exhortationibus consoli dantes: pingues & fortes vt perseuerent, custodientes.

Corporaliter & spiritualiter oues pascendæ.

Quod si hoc fecerimus, meritū proculdubio nostrum erit magnum, quoniam nō soli, sed cum multiplicatione gregis ad Dominum reuertemur, tot coronas quot animas ad eum duxerimus, recepturi, & sicut scriptum est, tanquā stellæ firmamenti fulgebunt qui erudierint multos. Ecce fratres chariſſimi, audistis officium nostrum & periculum nostrum. Audite è contrario officium vestrum & periculum vestrum. Porrò officium bonarū ouium est, magnū & summum pastorem agnoscere per fidem, eum diligere, & pro eo animam ponere per charitatem, eum audire & sequi per obedientiam: fieri cum illo sub aliis vnum ouile per dilectionem, & Sacramentorum communionem. Minorem etiam pastorem debent bonæ oues agnoscere, & diligere, audire, & sequi atque pascere: Et si qua vitia habent, tegere, & sub eo vnum ouile cum aliis fieri. Pastorē debent oues agnoscere, id est bonam vitam & mors eius notare & approbare. Debēt etiam eum diligere tanquam spiritualem patrem & animæ suæ custodem, & pro eo orare. Qui enim pastorem suum non diligit, eum audire & sequi contemnit. Debent etiam bonæ oues Pastorem suum per obedientiam audire, & per imitationem sequi.

Dan. 12.

Officium bonarum ouium.

Porrò

Porrò cùm sint tres, mercenarius, fur, & pastor: fur, quia malè prædicat & malè viuit, non est audiendus nec sequendus. Mercenarius verò, quia benè prædicat & malè viuit, audiendus nec sequendus. Vnde Dominus: Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Pastor verò, quia benè prædicat & benè viuit, audiendus est & sequendus. Vnde Dominus, Vocem pastoris oues audiunt & sequuntur: alienum autem non audiunt, nec sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum. Debent etiam oues pastorem suum pascere, id est, stipendia temporalia ei ministrare, vt videlicet in cura pastorali tantò sit vigilantior, quantò est ab exterioribus curis liberior. Vnde Apostolus: Quis pascit gregem, & de lacte eius non comedit? Et alibi: Si vobis, inquit, spiritualia seminauimus, est magnum si vestra temporalia metamus? Debent etiam oues pastorem suum non iudicare, sed potius, si qua sunt, eius vitia tegere & dissimulare: reminiscentes quoniam Cham, qui pudenda patris irrisit, maledicitur. Sem & Iapher, qui obtexerunt, benedicuntur. Debent etiam oues sub vno pastore vnum ouile fieri, per fidem & charitatem, & Sacramentorum vnionem: quoniam oues soliuagas & erroneas diabolus rapit. Oremus ergo & nos fratres mei, vt Pastor pastorum, Dominus noster Iesus Christus, det nobis officium boni pastoris adimplere, in vobis studium bonarum ouium facere, quatenus vtrique ad pascua æternæ viriditatis peruenire mereamur. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum. Amen.

Oues debent suum pastorem pascere.
1. Cor. 9.
Ibidem.
2. Tim. 4.

DOMINICA III. POST PASCHA.

OBsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, &c. Tria facit Apostolus in hac lectione, fratres charissimi. Primò monet nos Apostolus, vt in nobis abstinenter viuamus. Secundò, vt inter Gentes benè conuersemur. Tertiò, vt subiecti & humiles simus. Primùm, obtinemus vitia fugiendo. Secundùm, virtutes consequendo. Tertiùm, superbiam quæ ex eis nasci solet, euitando. Primò igitur hortatur nos abstinenter & mundè

1. Pet. 2.

viuere, cùm ait: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam*. In quibus ostendit fratres mei, à quibus abstinere debeamus, & quare & qualiter: à quibus? à carnalibus desideriis, id est, à gulositate, à vinolentia, à luxuria, à voluptate, à cupiditate, à vana gloria, & à cæteris vitiis, quibus carnales delectãtur, & quibus delectando carnales efficiuntur. De quibus ait Paulus: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Quare ab his abstinendũ est? quia militant aduersus animam. Hoc est quod Paulus ait, Caro concupiscit aduersus spiritum. Qui enim à vitiis & concupiscentiis carnis possidetur, spiritualibus virtutibus euacuatur: quoniam gulositas extinguit abstinentiam, vinolentia sobrietatem, luxuria castitatem, voluptas seueritatem, cupiditas mundi contemptum, & cętera vitia, cæteras virtutes extinguunt. Et vitia quidẽ dicuntur carnalia, quia ex carne oriuntur, & in eis caro delectatur, & per ea homo carnalis efficitur. Virtutes verò dicuntur spirituales, quoniam ex studiis spiritus oriuntur, & in eis spiritus delectatur, & per eas homo spiritualis efficitur. Qualiter à desideriis carnalibus abstinere vos obsecro.

Gal. 6.
Gal. 5.

Vitia dicũtur carnalia.
Virtutes spirituales

Tanquam aduenas & peregrinos. Omnes peregrini sunt aduenæ, sed non omnes aduenę sunt peregrini. Sunt enim quidã aduenæ, id est, aliundè venientes, qui exilium pro patria colunt & diligunt, qui & inquilini vocantur. Peregrini verò dicuntur à peragrando & trãseundo semper de loco ad locum. Nos quoque fratres mei, aduenæ sumus in exilio huius mundi, tum quia creati fuimus in primo parẽte nostro, vt essemus ciues cœli, à quo per primã prævaricationem ejecti sumus in hoc exilium: tum quia maior pars nostri anima, natione cœlestis non terrena est. Aduenæ verò sumus, & non peregrini, si cœlestis patriæ, ad quam creati sumus, obliti, mundum pro cœlo diligimus & colimus: exiliũ pro patria, miseriã pro beata vita. Quales multi nostrûm, vnde magis dolendũ est, sunt hodie, fratres mei, qui beatam vitam non esse credentes, terrenis inhærent, pro terrenis litigant, pugnant, occidunt, vel erigunt turres, & sumptuosa construunt ædificia, ac si semper victuri essent. O miser homo, quotidie transis de puc-

pueritia ad iuuentutem, de iuuentute ad senectutẽ, de senectute ad mortem, & te possessorẽ mundi arbitraris & ciuem? Cur homines quotidie morientes, cur tumuli & ossa mortuorũ, quæ quotidie cernis, non mouent & monent te? vt intelligas te in hoc mundo aduenam & peregrinum esse? Crede ergo oculis tuis, & demonstra te in hoc mundo aduenam & peregrinum esse, & dic cum Propheta: Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. Plora & suspira, & dic inter miserias huius exilij. Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Quatuor facit fratres mei, peregrinus: ad finẽ viæ quotidie festinat: meliorem sequitur viam: nullis retinetur blandimentis: non solùm à superfluis, sed etiam à quibusdã necessariis se abstinet. Nos quoque fratres, tanquam veri peregrini ad finem huius exilij, ad æternam patriam festinemus. Meliorem enim viam sequamur, rectiorem, planiorẽ, mundiorem. Rectiorem, nec ad dexteram vanæ gloriæ, nec ad sinistram infamiæ declinantes: planiorẽ, montes elationis, & valles desperationis fugientes. Mundiorem, paludes luxuriæ & voluptatis euitantes. Nullis quoq; retineamur blandimentis. Sicut peregrinum non retinent florida prata, non liquida flumina, non amœna loca: ita nec nos fratres, retineat pulchritudo huius seculi, non fluxus diuitiarũ, nec aliqua voluptas, aut honor secularis. Non solùm ab omnibus superfluis, sed etiam à quibusdam necessariis more peregrini abstineamus, euitantes superfluitatem curarum, possessionũ & diuitiarum: Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: victum quoque & vestitũ habentes, his contenti sumus. Et etiam ipsa necessaria quantum possumus, circuncidamus more peregrini, & restringamus.

Psal. 38.

Psal. 119.

1. Cor. 9.

1. Tim. 6.

Sequitur pars secunda, in qua monet Apostolus, vt benè inter Gentes conuersemur, dicens: *Conuersationem inter Gentes habentes bonam.* Hoc est quod dicit Paulus, Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Tria sunt fratres mei, quæ formant bonam conuersationẽ: innocenter viuere, nulli scandalũ ponere, sed cunctis vtilia & grata quærere. Et si enim aliquis est bonus in se, si tamen verbo & exemplo

Rom. 12.

alios

alios scandalizat non benè conuersatur. Rursum, & si nullum offendit, sed tamen prodesse aliis contemnit, non benè inter gentes conuersatur. Rursus & si neminem offendit, & aliis prodesse quærit, si tamen hoc gratè & amabiliter facere nescit, non benè inter Gentes conuersatur. Qui igitur innocenter in se viuit, nullum offendit, sed cunctis vtilia & grata quærit, bonam inter Gentes habet conuersationem & gratam. Quid boni confert bona conuersatio? Infamiam extinguit, ora detractorum obstruit, homines glorificare Deum facit, bono exemplo malos conuertit. Propter hanc ergo multiplicem vtilitatem, appentenda est conuersatio bona. Vnde & subdit, *Vt in eo quod detractent de vobis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Itaq; fratres mei, cum omni studio appetamus benè inter gentes conuersari.

Bona conuersatio quid conferat.

Sequitur pars tertia, in qua monet omnes Apostolus ad subiectionis humilitatem, & primò liberos, cùm subdit: *Subiecti estote.* Ac si diceret, & si genere vel gratia liberi estis, tamen non superbiatis, vel de prælatione contendatis, sicut faciunt amatores huius mundi, sed potius subditi estote. Et quoniam subiectio sine merito, est vitiosa, nisi fiat quomodo debet, & cui debet, & quare debet, addit, *omni humanæ creaturæ propter Deum.* Facienda est ergo subiectio non coactè, sed spontè. Coacta enim subiectio misera est. Rursus etsi fiat spontè, sed non cui debet, vitiosa est: Seruire enim diabolo, vitiosum est. Propterea addit, *omni humanæ creaturæ* id est, omni homini, videlicet non tantùm maioribus, sed etiam æqualibus & minoribus. Hoc sequens Dominus Apostolicus, vocat se seruum seruorum Dei. Iuxta illud: Quantò maior es, humilia te in omnibus. Rursus subiectio, & si fiat quomodo debet, & cui debet, sed non quare debet, bona non est. Qui enim alieno se subdit indebitè, vt propter temporalem intentionem, propter ambitionem & cupiditatem, subiectio talis bona non est. Propterea adiungit Apostolus, *propter Deum.* Propter eum quippè solùm nos ad inuicem humiliare, & inuicem nos subdere debemus, qui quod præcipit ipse facit, vt alter alteri ministraremus, &

Papæ seruus seruorum Dei. Eccle. 3.

alter

alter alterius pedes lauaremus. *Siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus quasi à Deo missis, ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorum* Hoc est quod Paulus ait: Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea. Si autem peccas, time, quia non sine causa gladium portat. Ad hoc enim fratres mei, Deus ordinauit potestates in hoc seculo, vt bonos custodiant, malos coerceant. Qui etsi quandoq; sua potestate abutantur punientes iustos, iustificantes malos: tamen Deus hoc facit prouenire, ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*: qui quæ ignorant, spernunt: & quæ sibi displicent, damnant. *Quasi liberi*, in mente, subditi scilicet estote hominibus, *et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*, sed generis vel gratiæ. Hic tangit quosdam fratres mei, quibus libertas est occasio magis peccandi: qui quantò sunt in corpore liberiores, tanto sunt ad peccãdum laxiores. Et quia liberi sunt generis, fiunt serui peccati & diaboli. Sed sicut serui Dei qui nullam seruitutem abhorrent, nisi seruitutem peccati: & nullam libertatem plus appetunt, quàm libertatem mentis: *Omnes honorate*, iuxta illud: Honore inuicem prœuenientes. *Fraternitatem diligite*, & affectu & effectu. *Deum timete*, cum amore, & amate cum timore. *Regem honorificate*. Iuxta illud: Cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal: cui tributũ, tributum. Ad extremum monet seruos, vt sicut conditione, ita voluntate subdantur dominis temporalibus. *In omni timore*, id est, non solùm seruili, sed etiam filiali, vt scilicet timeant & diligant eos. *Nec solùm*, inquit, *bonis et modestis, sed etiam discolis*, id est, asperis & immoderatis subiecti estote. *Hæc enim est gratia*, vt scilicet modestia & patientia seruorum: mitiget & temperet intemperantiam dominorum. Humilitatem voluntariæ subiectionis fratres mei, toto corde amplectemur, quoniam hæc vincit crudeles æquanimiter patiẽdo: hæc vincit superbos se humiliando: hæc vincit iracundos, mansuetudinem exhibendo: hæc vincit contumeliosos, nihil respondendo. Hæc vincit inuidos, gloriam fugiendo:

Rom. 13.

Quare potestates ordinatæ.

Libertas sæpè est occasio peccati.

Ioan. 13.

Rom. 13.

do: hæc vincit cupidos, modico cõtenta existẽdo: hęc meretur gloriã hominũ omnibus se subdendo: hæc meretur imitationẽ Christi, nõ ministrari, sed ministrare appetẽdo: hæc meretur à Deo exaltari, se semper humiliãdo. Quam virtutẽ det nobis omnipotẽs Dominus mente & corpore consequi, Per Dominũ nostrum Iesum Christũ, Amen.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Ioan. 16. *Dixit Iesus discipulis suis: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem.* Iturus ad passionem Dominus & Redemptor noster, ea quæ discipulis suis euentura erant eis prædixit. Quare? Triplici ratione: Vt se Deum omniũ futurorum præscium demonstraret: Vt discipulos contra aduersa præmuniret: Vt in aduersis eos sperare consolationem prædoceret. Sunt autem quatuor partes huius lectionis. Primò enim prædicit Dominus discipulis suis recessum & reditum suum. Secundò ponitur mutua interrogatio discipulorum illud non intelligentium. Tertiò ostendit Dominus quid vel in recessu, vel in reditu suo, discipulis euenturum erat. Quartò per similitudinem illud explanat. Iturus igitur Dominus ad passionem, primò eos præmunit de recessu suo, cùm dicit: *Modicum & non videbitis me.* Sed ne de absentia eius desperarent, spondet eis, quod post modicum eum viderent, cùm subdit: *Et iterum modicum & videbitis me.* Et ne iterum corporali tantum præsentiæ eius adhærerent, dicit post modicũ se ascensurum ad Patrem, vt cum scilicet ad cœlum sequi desiderarent. Similiter facit, fratres charissimi, quotidie Dominus electis suis, post aduersitatem dans eis consolationem, & post consolationem, aduersitatem. Si enim semper eis daret aduersitatem in hoc mundo, desperarent, & si semper daret eis præsentem prosperitatem, ei adhærerent, & futuram non desiderarent. Itaque benignus & misericors Dominus electis suis in hoc mundo nunc faciem auertit, nunc ostendit. Quasi enim faciem auertit, dum quasi eos deserens, sinit persequutionibus tribulari. Faciem suam ostendit, dum eos in bono proficere facit. Sed vtrunque fratres mei, facit Dominus magna & vtili dispensatione. Eos sinit turbari, ne de se præsumant: eos

facit

facit prosperari, ne deficiant. Propterea fratres, in aduersis positi, semper à Deo meliora speremus. In prosperis verò, semper timeamus: in aduersis in Deo speremus. Quoniam iuxta Salomonē, quis sperauit in Domino, & confusus est? In prosperis verū timeamus, quoniā beatus est vir qui semper est pauidus. Et beata est ciuitas quæ in pace bellum timet. Sequitur pars secunda, in qua discipuli ad inuicem quærunt. *Quid est hoc quod dicit: Modicum & non videbitis me, &c. Nescimus*, inquiunt, *quid loquitur* Sed cùm illa Domini verba difficilia nō sint, sed potius plana ad intelligendū, quid est hoc quod discipuli dicunt, nescimus quid loquitur? Nisi quia cum quem Christū Dei filiū esse credebant, per passionē à se recessurum, & per resurrectionem rediturum ad se non credebant. Propterea quod Dominus sæpè dixerat se passurum & resurrecturum, ad literam adimplendum esse non credebant. Sed per illa verba aliquod aliud mysterium significari æstimabant? Hinc est quod dicunt: *Nescimus quid loquitur*, id est, nescimus ex quo sensu hæc verba ab eo proferantur. Rudes quippè erant & adhuc carnales, & nequaquam putabāt filium Dei dicere, quod ad tantam iniuriarū abiectionem deueniret, quòd tam viliter pateretur & moreretur. Vnde & à Petro ei dictū est: Absit hoc à te Domine, non erit tibi hoc. Sed Dominus reprehendens hanc vanam eius æstimationem, ait: Vade retrò satanas, non sapis ea quæ Dei sunt. Quoniam enim in hac sententia diuinæ voluntati Petrus erat aduersarius, satanas vocatur. Et vt relinqueret quæ malè sapiebat, & diuinam sequeretur sententiam inuitatur Petri & discipulorum Christi adhuc rudium, sunt etiam hodie quidam similes, qui putant viros iustos & Dei ministros nequaquam, quod hic paupertatem, abiectionem, & afflictionem patiantur, vel quod ab iniquis, contumeliis, iniuriis, tormentis, & morte puniantur: æstimantes eos qui talia agunt, vel patiuntur, hic à Deo esse reprobatos: & econtrariò putantes eos qui hic prosperantur, esse beatos & Dei amicos. Sed talia æstimanti dicendum est, vade retrò satanas, non sapis ea quæ sunt Dei. Qui vtiq; in multa tribulatione, tanquam aurum in fornace hic electos suos

Eccle. 2.

Prou. 28.

Mat. 16.

Quare Petrus satanas vocetur.

Tribulatione electi probātur.

suos intendit probare, vt eos magis puriores in thesauro suo valeat collocare.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus ea quæ prædixerat, per consequentia eorum, quæ inde discipulis erant cuentura, cõfirmat, dicẽs: *Amen, amẽ, dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autẽ gaudebit.* Ex eo enim quòd Christum mortuum & in sepulchro positũ, modico tempore non viderunt, & discipuli plorauerũt, & mundani homines, quorum vitam arguebant, gauisi sunt. Ex eo verò quòd post resurrectionem eum viderunt, tristitia discipulorum conuersa est in gaudium, & gaudium mundanorum hominũ, conuersum est in tristitiam & metum. Nec solùm illos, fratres mei, sed etiam quoscunq; fideles, est necesse in hac valle lachrymarũ tristari, plorare & flere. Qua de causa? duplici: tum propter grauem peccatorum conscientiã, tum propter cœlestis patriæ dilationem. Cùm enim recordamur quæ & quanta peccata perpetrauimus, & quanta pœna illis peccatis in inferno præparetur, necesse est nos plorare, quoniam lachrymę lauant delictum, quod est pudor ore confiteri. Rursus, cùm meditamur inter miserias huius exilij quanta beatitudo sit in cœlo præparata iustis, necesse est nos flere, iuxta illud: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Propterea hunc ergo geminum fletum, geminauit, dicẽs: *Plorabitis & flebitis vos.* Hunc ergo geminum fletum omnes nos, fratres mei, appetere & amare debemus, vt dicamus cum Psalmista: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte. Quod si nostrum cor durũ & aridum fuerit, oremus continuè ad Dominum, vt ipse per misericordiam suam largiatur nobis istarum geminarũ gratiam lachrymarum: Qui, etsi quandoq; differat, non tamẽ semper auferet à nobis misericordiam suam, sed nobis lachrymarum gratiam conferet desideratã. Quod benè significatur per Axa filiam Caleph, quæ sedens super asinam, & ad sponsum suum pergens, plorauit suspirans, & dicens: Da mihi benedictionẽ pater:

Plorandũ duplici de causa.

Psal. 136.

Psal. 41.

Iosue. 15. Iudic. 1.

Austra

Australem & aridam terram mihi dedisti: da mihi, quæso, irriguum superius, & irriguum inferius. Et concessit ei pater. Anima quoq; nostra dum cœlestem sponsum mente petit, sedens super asinam, id est bestialis motus carnis compescens & regens, suspiret, & clamet ad patrem cœlestem, & dicat: Da mihi Domine, benedictionem tuam: Nam mentem siccam & durã dedisti mihi: da mihi quæso irriguum superius, & irriguum inferius. Vt videlicet tum pro peccatis meis, tum pro desiderio patriæ cœlestis plorem. Et benignus Dominus, quandoque nostram audiet petitionem. Has itaq; fratres mei, lachrymas sanctas appetamus: quoniam hæ proculdubiò conuertentur in gaudium: cùm gaudebimus de peccatorum nostrorum integra remissione, & de cœlestis patriæ consequutione. Iuxta illud: Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolabuntur. *Mat. 5.* Sicut econtrariò mundanorũ gaudium hominum, qui sic *Luc. 6.* prosperantur in vita sua, ducunt in bonis dies suos, & lætantur cùm malefecerint: vertetur in lachrymas sempiternas. Iuxta illud, Væ qui ridetis, quoniam plorabitis. *Luc. 6.*

Sequitur pars quarta, in qua Dominus dicta per similitudinem demonstrat, dicens: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit filium, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hoc est quod per aliam similitudinem Psalmista dicit, Qui seminant in lachrymis, in exultatione *Psal. 125.* metent: Euntes ibant & flebant mittẽtes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione portãtes manipulos suos. Porrò conuenienter cõparat Dominus animam iusti mulieri prægnanti. Nam sicut mulier ex complexu viri concipit intus puerum, ita anima per gratiam Sancti spiritus, concipit in mente per fidem, spem, & charitatem, mercedem fructus æterni. Conuenienter quoque comparat laborem & dolorem iusti in hac vita, mulieris parturitioni. Nam sicut mulier spe filij nascituri dolorem sustinet patienter: ita iustus laborem & anxietatem temporalem spe æternæ hæreditatis sustinet patienter. Conuenienter etiam comparat susceptionem æterni præmij, susceptioni nati filij: quoniam sicut non nisi per parturitionem susci-

temporalis, merces desiderata. Quod contra illos est, qui per temporalem prosperitatem ad æternam patriam se putant posse peruenire. Sicut autem gaudium de puero nato facit obliuisci dolorem parturitionis, ita gaudiũ æternæ beatitudinis, facit obliuisci laborem temporalis tribulationis: vt in comparatione gaudij æterni, labor temporalis, qui præcessit, nullus videatur: iuxta illud Apostoli,

Rom. 8. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Econtrariò tanta erit magnitudo pœnæ gehennalis in reprobis, quod faciet eos obliuisci gaudium æternæ prosperitatis. Vt scilicet in comparatione æternæ pœnæ prosperitas temporalis tanquam fumus fuisse videatur, vel somnus. Deinde Dominus adaptans similitudinem præmissam, subiungit: *Et vos quidem nunc tristitiam habetis*, subaudis de meo recessu: *Iterum autem videbo vos*, post resurrectionem, *& gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Nos quoq; fratres mei, dum in hoc seculo tentamur & affligimur, quasi Domino nos derelinquente, tristitiam habemus: sed si aduersa æquanimiter tolerauerimus, & in tristibus gratias Deo egerimus, iterum post generalem resurrectionem videbit nos, & à nobis videbitur facie ad faciem Dominus: & gaudebit cor nostrum, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis. Quod nobis præstare dignetur, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, Amen.

DOMINICA QVARTA post Pascha.

Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, &c.* Quatuor facit fratres mei, in hac lectione Apostolus: Primò enim dicit omne bonũ à Deo esse. Secundò ostendit nullum malum à Deo esse. Tertiò ostendit quod bona dat Deus gratis. Quartò monet nos vt sectemur bona, & fugiamus mala. Ostendens igitur primò omne bonũ à Deo esse ait: *Omne datũ optimum, &c.* Sunt autem fratres mei, quatuor species bonorum. Nam bonorum, alia sunt temporalia, alia naturalia, alia spiritualia, alia cœlestia. Temporalia bona sunt, quæ à nobis exterius possidentur, vt res

Quatuor species bonorum. Temporalia.

&

& possessiones, diuitiæ, potestates, & honores. Et hæc quidem in natura sua bona sunt, quoniã à bono creatore creata sunt. Iuxta illud: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Hæc autem benè vtentibus eis, materia sunt benè agẽdi, & malè vtentibus eis, occasio malè agendi. Hæc enim tantum valent bona temporalia iniquo, quod gladius furibundo. Naturalia verò bona sunt, quæ Deus confert à creatione vnicuique, vt bona animæ & bona corporis. Bona animæ, vt ratio, memoria & prouidentia. Bona corporis, vt forma, fortitudo, velocitas, & huiusmodi: quæ similiter cùm in sua natura bona sint, tamẽ malè vtẽtibus illis sunt mala, sicut benè vtentibus sunt bona. Spiritualia verò bona sunt, vt fides, spes, charitas, sapientia, iustitia, fortitudo, temperantia, & cæteræ virtutes, cæteraque Spiritus sancti dona, quæ gratuita dona, siue gratiæ dicuntur per excellentiam: quoniam gratos homines & bonos efficiũt, & à malis nec haberi nec vsurpari possunt. Cœlestia verò bona sunt, immortalitas, impassibilitas, & cætera bona, quæ in resurrectione electis conferentur. De quibus dicitur: Quoniam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę præparauit Deus diligentibus se. Sunt igitur istorum quatuor genera bonorum: duo prima, tam bonorum quàm malorum communia: reliqua verò duo tantùm bonorum sunt, & ideò magis appetenda. Est enim tantùm temporale datum bonum, sed naturale est melius, Spirituale verò est optimum, Cœleste verò donum, est perfectum donum. Et tamẽ omne datum, siue bonum, siue melius, siue optimum, & etiam omne donum perfectum desursum est. Itaq; fratres mei, nemo se decipiat, nemo bonũ quod habet, sibi attribuat, nemo suis viribus, nemo suæ industriæ, nemo suo labori, bonum quod habet, sibi adscribat, sed summo & æterno Patri, à quo omne bonum descendit, gratias agat. Temporale verò bonũ & naturale, quia communia sunt, etiam malorum, parua reputet. Spirituale verò & cœleste bonum, nisu toto acquirere desudet, & desideriis, precibus & suspiriis, ea à cœlesti Patre postulet, qui est Pater luminum omnium: siue lucis temporalis, quam in principio ad illuminãdum mundũ creauit:

Gen. 1.

Naturalia.

Spiritualia.

Cœlestia.

1. Cor. 2.

Omne bonum desursum.

siue spiritualis, qua intus peccatores illuminat: siue æternæ, quam in empireo cœlo Angelis & electis suis præparauit. Et temporalem quidem lucem dat ad solatium, spiritualem ad meritum: æternam verò in præmium. Proinde fratres mei, nos qui temporalem lucem videmus, ità cauȝtamur, vt per eam ad æternam veniamus. Quj verò temporalem lucem non videtis, non graue feratis, si ea luce carcatis, quam periun & infideles, serpentes & bufones habent. Spiritualem verò lucem omnes habere studeamus, per quam ad æternam, in qua Deus videbitur, peruenire mereamur.

Mala à Deo non sunt.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quod mala ex Deo non sunt, cùm subditur: *Apud quem nō est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ideò fratres mei, non est transmutatio, quoniā nulla mutatione variatur. Neq; enim per generationē vel corruptionē mutatur, qui principio caret & fine. Neq; per augmentū vel diminutionē, qui maior vel minor esse non potest. Neque per alterationem vel loci mutationem; qui inuariabilis & immensus est. Vnde & ad eum per quendam sapientem dictum est: Mundum mouens, nō moueris, locum tenens, non teneris: tempus mutans, non mutaris: vaga firmans, non vagaris. Sed ita creaturas ipse immutabilis mutat, non tamē eas transmutat: quoniam trans naturalem bonitatem eas per vitium non depranat, quod apertius exponitur, cùm subditur: *Nec vicissitudinis obumbratio*, id est, nec tenebræ vicissim obumbrantes. Vt enim Ioannes ait: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Illuminat enim, non obtenebrat. Cæterum, tenebræ aliæ sunt noctis, aliæ sunt aduersitatis, aliæ æternæ damnationis, aliæ peccati. Porrò diem vicissim Deus obumbrat per mortem, vnde ei dicitur: Aeterne rerum conditor, noctē, diemq; qui regis, & temporum das tempora, vt alleues fastidium. Prosperitatem quoq; vicissim obumbrat Deus per aduersitatem. Vnde & idem de se testatur, Formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Vitam etiam reproborum obumbrat Deus per tenebras æternæ damnationis, quoniam ipse in fine mittet eos in tenebras exteriores. Mentem quoque hominum nunquam vicissim obum-

1. Ioan. 1. Tenebrarum diuersitas.

Esa. 45.

obumbrat Deus per tenebras interiores, id est vitiorum. Ita quippè immittit mentibus claritatem virtutum, quod nunquam immittit tenebras vitiorum. Quod si legitur Pharaonem & cæteros malos induratse vel excæcasse, hæc vtique fecit, non immutando malitiam, sed subtrahendo gratiam. Itaque fratres mei, bona semper dicamus nos habere à Deo, non ex nobis: Et mala dicamus semper nos habere, non à Deo, sed ex nobis. Nec nos excusantes Deum accusemus more veteris Adæ, dicentes, Non possum Dei grauia præcepta adimplere: non possum vitio resistere, quoniam infirmus & impotens naturaliter sum. Hoc enim est ac si dicamus, hoc non mihi, sed Deo ascribendum est, qui me talem creauit. Proh nephas, ascribimus iusto iniquitatem & pio crudelitatem, & discipuli ignorantiæ accusamus Dominum, vt videatur nescire quod fecit, & nescire quod iussit. Et quasi oblitus fragilitatis humanæ, cuius auctor ipse est, homini imposuerit mandata quæ ferre non potest. Sed fratres mei, nemo magis nouit vires nostras quàm ille qui eas nobis dedit. Nec enim aliquid impossibile imperauit, qui iustus est. Nec damnaturus est hominem, pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.

Quomodo malos indurat Deus. *Exod. 4.*

Nihil impossibile imperauit Deus.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quod Deus dat gratis nobis sua bona, cùm subditur: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus aliquod initiũ creaturæ eius.* Quod de vna gratia dicit, de cæteris omnibus intelligendum reliquit. Prima siquidem & maior gratia, quam Deus hìc confert nobis, est, quod nos generatos per concupiscentiam carnis, filios iræ, regenerat per gratiam baptismi in filios adoptionis & misericordiæ: quòd de filiis damnationis facit filios electionis: quòd de filiis diaboli, facit filios Dei. Et ita quidem nos regenerat verbo, id est, per verbum veritatis. Non ait per baptismũ solùm, quoniam & in baptismo verbum mundat. Nam si subtrahas verbum, quid est aqua baptisterij, nisi aqua? Regenerauit igitur nos in filios suos Deus per verbum veritatis, id est, per filium suum: siue per verbum fidei, quod ipse filius nobis prædicauit. Hoc est quod Ioannes ait: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,

Verbum mũdat in baptismo.

Ioan. 1.

bis qui credunt in nomine eius. Fecit autem hoc non meritis nostris, quæ nulla erant, sed voluntarie, id est, sola sua
1 Ioan. 4. gratuita voluntate. Vnde Ioannes: In hoc apparuit charitas Dei, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos. Si enim quæratur quare Deus nos elegit in filios suos: Vera & absoluta est responsio, quia sic voluit: quod inde maximè patet, quoniam necessitate nõ fuit coactus, qui cogi non potest: nec sua vtilitate tractus, qui bonorum nostrorum non eget: nec meritis nostris astrictus, quæ nulla præcesserant. Sed si aliqua merita subsequi videntur, sua proculdubiò gratia sunt: quoniam ipse
Rom. 9. operatur in nobis & velle & perficere. Agamus igitur fratres mei, Deo gratias, qui ob solam suam gratuitam voluntatem, nos à numero reproborum segregans, in filios suos elegit, beneficiis suis cumulauit, nobis æternã beatitudinem præparauit, si tamẽ in gratia baptismi perseuerauerimus, si eius mandatis obsequuti fuerimus. Porrò ad quid nos voluntarie genuit verbo veritatis? *Vt simus initium aliquod creaturæ eius*, vt videlicet in illã dignitatem & principalitatem creaturarũ repararemur, in qua creati
Quomodo homo est initiũ creaturarum. fuimus. Homo enim initium creaturarum est non tempore, sed causa & dignitate. Tempore enim non est homo initium creaturarum, quoniam non homo ante cæteras creaturas, sed potius cæteræ creaturæ ante hominem creatæ sunt. Causa verò est homo initium creaturarum, quoniam cæteræ propter hominem, non homo propter creaturas creatus est. Dignitate etiã est homo initiũ creaturarũ, quoniã cęteris creaturis dominij & rationis prærogatiua antecellit. Vendicemus igitur fratres mei, diuina nobis opitulante gratia, prærogatiuam & dominiũ quod habuimus à principio in creaturis. Non subdamus nos per auaritiam rebus temporalibus, sed potius eis dominemur. Non admiremur eis, sed potius contemnamus eas in obsequium Dei, & in nostram, proximique necessitatem expendamus.

Sequitur pars quarta, in qua monet nos Apostolus sequi bona & vitare mala, cùm subdit: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum*, subaudis verbũ Dei. Ad audiendũ enim vaniloquia, scurrilitates, adulationes, detracti-

ones,

nes, & blasphemias, non aures aperire, sed potius obturare debemus, ne per eas venenata verba introeuntia animam valeant suffocare. Vnde Sapiens: Sepi aures tuas spinis, ne audeãt linguã nequam. *Tardus*, inquit, *ad loquendum, & tardus ad iã.* Quoniã Apostolus simplicioribus loquebatur, monet eos vt veloces sint ad audiendum verbum Dei, & tardi ad loquendum: quoniam veritas tutius auditur quàm prædicetur. Hoc contra illos qui antequam nouerint esse discipuli, fiunt magistri. Et quod non didicerunt, docere præsumunt. Sed omnis homo fratres mei, magis auribus quàm lingua debet vti, & cùm loquitur, cum præconsideratione loquatur. Iuxta illud Sapientis: Cùm vis aliquid alieno dicere, prius dic tibi. Cæterùm, istam tarditatem ita moderemur, vt neq; loquamur ante tempus, nec cessemus in tempore. Nam sicut vitiosa est festinantia, nimia loquendi, ita & nimia tarditas. Scriptũ est enim, Væ mihi, quia tacui. Non enim murum & ostium quod nunc clauditur, nunc aperitur, orat Propheta ori suo apponi, dicens: Pone Domine, custodiã ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Non autem eo modo intelligi debet, quod dicitur tardus ad iram, quo intelligitur tardus ad loquendum. Non enim sicut aliquando bonum est irasci, sed præcipitur nobis, vt si semper iram vitare non possumus, saltem quantum possumus cuitemus ipsam, iræque motum surgentem statim refrenemus & retardemus: quoniam mora & tarditas remedium iræ est, & ita cùm retardatur, mitigatur. *Ira*, inquit, *viri, iustitiam Dei non operatur.* Litoptes est, minus dicens, & plus significans. Cùm enim mens viri ira perturbatur, iniustitiam operatur. Propterea fratres, discite irã vitare, & mites, mansuetiq; esse quoniã quãtò magis eritis mansueti & tranquilli, tantò eritis magis Deo similes & propinqui, in quem nullus motus cadit. Vt autem iram & iniustitiam vitare valeatis, radices earum à vobis abiicite, omnẽm immunditiam & abundantiã malitiæ: vt videlicet non sitis immundi in vos corde, nec malitiosi in proximos. Et ita cũ mansuetudine obedientiæ *susci ipe verbum insitum*, id est, semi-natum in vobis. Ordo fratres mei, congruus est, quoniam nisi prius euellantur à nobis spinæ & tribuli immunditiæ

Eccle. 28.

Potius aus ribus quã lingua vtendum.

Esa. 6.

Psal. 140.

Mora & tarditas remedium iræ.

T 4 &

& malitiæ, cæterorumque vitiorum, non poterit in nobis
Psal.16. germinare verbum. Scriptum est enim, Declina à malo, & fac bonum. Itaque fratres mei, spinas scilicet vitiorum à cordibus vestris prius euellite, vt ita prædicatum Dei verbum in nobis valeat fideliter adhærere, per iugem memoriam in vobis radices figere, per crebram meditationem in vobis exercere, per bonam voluntatem florere, per bona opera fructificare, per perseuerantiam animas vestras saluare, operante in vobis Dei verbo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA IIII. POST PASCHA.

Ioan.16. *VAdo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis.* Iturus Dominus & Redemptor noster, fratres charissimi, per passionem ad Patrem: discipulis suis suũ prædixit recessum, ne si subitò & ex improuiso recederet, eos vltra modum mœstificaret. Prędicit igitur eis sicut in hac lectione audiuimus, quatuor: quòd ad patrem iret, quòd hoc eis expediret, quòd consolatorem eis mitteret, & quod bona eis ipse consolator conferret. Primò igitur prædicit se itutum ad Patrem, cùm subdit: *Vado ad eum qui misit me.* Quid est Domine, quod dicis? Tu semper es cum Patre, & Pater semper tecum: quomodo ad eum ire potes, cum quo semper vnum & idem es? Nónne cùm hoc dicis in terra, tu es cum Patre in cœlo, & Pater tecum in terra? Fratres mei, quomodo filius Dei descendit à Patre in terram, & ita à mundo ascendit ad Patrem? Descendit humiliatus, ascendit glorificatus: descendit per humilitatem incarnationis, ascendit per sublimationem glorificationis. Descendit quippè per humiliationem, per dissimilitudinem, per loci obscuritatem. Per dissimilitudinem, quia de creatore factus est creatura, & de impassibili passibilis. Per loci obscuritatem: quia qui in cœlo magis esse cernitur, per loci puritatem, apparuit incarnatus in mundo, in quo Deus minus esse videtur per loci obscuritatem. Ascendit quoq; per glorificationis exaltationem. Iuxta illud, Gloria & honore coronasti eum. Ascendit & per dissimilitudinis accessionem: quia de passibili factus est impassibilis: de mortali immortalis.

Quomodo Christus descendit in terrã et ascẽdit ad cœlum.

Psal.8.

Ascen-

Ascendit & per loci puritatem: quia secundum carnem ascendit ad illum locum vbi diuinitas clarius apparet per elementi puritatem. *Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis.* Cùm enim videbitis me ascendentem in cœlum, non erit opus vobis interrogare quò vadã, videntes quod ad cœlum ascendam. Qui enim interrogat, dubitat. Sed quamuis sciatis me ad patrem ire, ad quem vtique ire gloria & gaudium est, tamen inde tristitia implebit cor vestrum. Si enim fratres charissimi, in recessu alicuius amici & familiaris nostri non possumus non tristari, quomodo discipuli in recessu summi magistri Dei & Domini nostri, tam sibi dilecti, poterunt non contristari? Propterea necessariũ erat eis, vt hæc eis dicerentur, & vt consolatio citò ad futura eis promitteretur. Porrò fratres mei, omnis Christi actio, Christiani est eruditio. Sicut enim Christus est filius Dei per naturam: ita Christianus est filius Dei per gratiam. Sicut ergo est generatus à patre ineffabiliter: ita Christianus est regeneratus per baptismum à Deo patre inuisibiliter. Sicut Christus est missus in mundum, vt patris impleret dispensationem: ita Christianus est missus à Deo patre in mundum, vt eius impleat voluntatem. Si ergo ad exemplũm Christi Christianus nec loquitur, nec operatur ex se, sed ex Deo, patris quærit gloriã: consummato sic bene termino huius vitæ, potest & etiam dicere eum Christo: Vado ad eum qui me misit, & nemo de huiusmodi transitu iusti debet dubitare vel interrogare quò vadis? vt quidam seculares minus credentes solent dicere: Quis scit quò vadunt animæ morientium? Sed fidelis non interrogat, nec dubitat, sed scit absque dubietate animam iusti ad requiem sibi à Deo præparatam ire. Quod quamuis ita verum sit, tamen fidelis iusti obitum sine tristitia nõ potest aspicere, quoniam pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinum.

Omnis Christi actio, Christiani est eruditio.

Sequitur pars secunda in qua Dominus ostendit ascensum suum ad Patrem discipulis expedire, cùm subiungit. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam,* & quare expediat subiungit: *Si enim nõ abiero, paracletus non veniet ad vos.* Quid est Domine quod dicis? Nónne tecũ erat & est spiritus paracletus inseparabiliter? Nónne

etiam eum in terra discipulis dedisti? Propterea quomodo non potest venire paracletus, qui essentialiter vbique est? Venire fratres mei Spiritum sanctum in nos, nihil aliud est, quàm donum & gratiam eius venire in nos. Et gratiam quidem spiritus sancti iam dederat Dominus discipulis in terra, sed non ita plenarie sicut in die Pentecostes. Sed quare fratres mei, nisi Dominus Iesus ad Patrem iret, Spiritus sanctus ad discipulos non plenariè veniret? Quia quamdiu discipuli Dominum carnaliter videbant, non altius mentem suam ad contemplationem Deitatis erigebant. Propterea auferenda erat eis species corporalis, & in cœlum ipsis cernentibus subuehenda, vt mente Dominum sequerentur ad cœlum, & illuc semper desiderio suspirarent, quo Dominum ascendisse cōspexissent. Sed etiam hodie fratres mei, nisi subtrahatur nobis ad tempus consolatio temporalis prosperitatis, non erigitur desiderium nostrum ad gaudia æternæ consolationis. Propterea orat sponsa in Cantico amoris dicens, fuge dilecte mihi, & assimilare capræ, hinnuloq; ceruorum, super montes aromatum. Capra hinnulusq; ceruorum, cum fortè ab homine videntur, quam citò fugientes, se subito subtrahunt humanis aspectibus. Est ergo, ac si dicat sponsa: Si ita Domine Iesu Christe est necessarius mihi temporalis & corporalis recessus tuus, fuge per corporalem recessum super montes contemplationum & virtutum, vt illuc te sequatur desiderium nostrum. Oremus & nos fratres mei, Domine Iesu Christe, si scis nobis expedire, subtrahatur à nobis consolatio temporalis prosperitatis: vt magis ac magis erigatur desiderium nostrū ad gaudia perpetuæ consolationis.

Spiritum sanctū in nos venire quid.

Cant. 9.

Sequitur pars tertia, in qua promittit Dominus se missurū discipulis spiritum sanctum, cùm subdit: *Si autē abiero, mittam eum ad vos.* Ac si diceret: Non tristemini de recessu meo corporali, quoniam non relinquam vos orphanos, non relinquam vos desolatos, sed mittam vobis cōsolatorem. Vocatur autem consolator spiritus sanctus, quoniam eius est inspirare mentibus consolationem, dolentibus remedium, inconsultis consilium, insipientibus sapientiam, tristibus iucunditatem. Vnde Propheta: Secundum

Quare spiritus sanctus vocatur consolator. Psal. 93.

eundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meã. Et idem de eodem: Qui sanat contritos cordo, & alligat cõtritiones eorũ. Quia ergo tanta & tam vtilis consolatio nõ potuit dari Apostolis, nisi Dominus ab eis corporaliter recederet, orandum fuit eis, vt ipse ab eis ad tempus corporaliter absentaretur: quatenus Spiritus sancti superexcellens consolatio eis inuisibiliter præberetur. Orandũ quoque est & nobis fratres charissimi, quantumuis temporalis prosperitatis consolatio nobis ad tẽpus subtrahatur, vt Spiritus sancti consolatio nobis inuisibiliter præbeatur. *Psal. 146.*

Sequitur pars quarta, in qua ostenduntur quatuor commoda, quę Spiritus sanctus erat discipulis collaturus: correctio scilicet, doctrina, prophetia, & virtus. Quod correctionem esset eis daturus, ostenditur, cùm dicitur: *Cùm autem venerit ille, arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio.* Arguit enim Spiritus sanctus mũdanos homines, vel per ora prædicatorum, vel per interiorem inspirationem. Per ora prædicatorum, sicut per Ioannẽ clamat. Genimina viperarũ quis docebit vos fugere à ventura ira? Agite dignos fructus pœnitentiæ. Per interiorem inspirationem, vt quando sine prædicatore interiorẽ inspirat conpunctionẽ. Vnde Dauid ad Dominũ: Commouisti, inquit, terram, id est, terrenam mentem: Vt à securitate sua mota timeret, & cõturbasti eam, vt à se diffideret. Sed quia Domine, diabolicum est, non tuum, ad desperationẽ impellere, sana per gratiam, contritiones eius, quia commota est. Arguit autem Spiritus sanctus mundum de tribus: de peccato infidelitatis, quod exponens subdit: *Quia non crediderunt in me,* cùm me scilicet carne præsentẽ viderent. Arguet & de iustitia, de iustitia scilicet fidei. Iustitia autem fidei est, credere quod non vides, quod ipse exponens subdit: *Quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Quasi diceret: Arguet eos, quia nec in me præsentem in carne, nec in me ad dexteram patris sedentem, credere noluerũt. Arguet & de iudicio, id est, de damnatione: quia inquit, Princeps huius mundi iam iudicatus est. Quasi diceret: incutiet eis timorem, ne damnantur, sicut diabolus damnatus est. Quòd sit collaturus doctrinam, *Mat. 3.* *Psal. 59.* *Spiritus sanctus arguit mundum de tribus.*

ostẽ

ostendit cùm dicit: *Quoniam adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò. Cùm autē venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, subaudi necessariam. In quo Dominus tradit doctoribus formam æstimandi personam cui loquuntur: vt videlicet simplicioribus simpliciora, & perfectis perfectiora dogmatizent. Hoc contra quosdam est, qui simplicibus quibus subtiliora & obscuriora prædicant, vel plana, verbis obscurioribus obnubilant, volentes magis quantū sciant, aliis ostentare, quàm prodesse: Cùm doctor doctorum Dominus Iesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientię absconditi, simplicia & simplici sermone simplices docuerit, seruans locum Spiritui sancto, qui in die Pētecostes rudes subitò fecit sapientes. Et cùm doctor gentium dicat: Ego non potui loqui vobis tanquam

1. Cor. 3.

spirituliabus, sed tanquam carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. *Cùm autem*, inquit, *venerit ille spiritus, &c.* Sicut Spiritus sanctus vocatur spiritus consilij, & spiritus consolationis: ita dicitur spiritus veritatis. Et quare? Subdit: *Quia docebit vos omnem veritatem*: subaudi, vobis necessariam. Et hoc ad differentiam malignorum spirituum, qui dicuntur spiritus erroris & falsitatis, quoniam docent omnem errorem & falsitatem. Qui etsi nonnunquam dicant aliqua vera, tamen illa dicunt ad decipiendum. Vnde miror illorum dementiam, qui diabolum consulere & illi credere non verentur, nec timent. Insanissimum quippè est inimicum salutis suæ, de salute sua consulere. Vt autem ostendatur eadem esse operatio filij & spiritussancti, non alia docebit spiritussanctus, nisi ea quæ filius habebat docere, si discipuli portare potuissent. *Non enim*, inquit, *loquetur à semetipso*. sed sicut est à patre & filio: ita scit & loquitur à patre & filio, audire quippè spiritus sancti à patre & filio, nihil aliud est quàm scire à patre & filio. Quod autem collaturus sit spiritussanctus prophetiam, ostendit cùm subdit: *Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*: Quod impletum est in Ioanne Euangelista, qui per spiritum sanctum, Apocalypseos librum scilicet propheticum scripsit: Et in Agabo Propheta, & filiabus Philippi: qui in spiritu futura

Maligni sunt spiritus erroris & falsitatis.

præ

prædixerunt. Quod verò collaturus sit gratiam virtutum ostendit, cùm subdit: *Ille me clarificabit*. Clarificabit quippè me, cùm discipulos meos faciet in nomine meo virtutibus & signis choruscare. Clarificabit me, cùm claritatē meam faciet per vniuersum mundū innotescere. Itaque fratres mei, oremus illum paracletum, illum spiritum cōsilij, spiritum consolationis, & doctorem veritatis, vt arguat intus nos de peccato: cōmoueat intus temeritatem mentis nostræ, faciat peccata nostra nobis displicere: arguat nos & statuat contra faciē nostram, vt turpitudinem nostrā erubescentes, nos accusemus, peccataq; nostra ploremus, vt ipse per misericordiā suam sanet nos, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Cui est honor & gloria per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA QVINTA post Pascha.

Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos, &c. In hac lectione fratres charissimi, hortatur nos Apostolus Iacobus, vt non tantùm audiamus verbum Dei, sed etiam faciamus. Ostendens primò cui sit similis ille, qui tātum est auditor verbi Dei. Secundò quid boni consequatur ille qui eius est factor. Tertiò ostēdit quæ sit falsa religio. Quartò quæ sit vera. Ostēdit igitur primò de auditore verbi Dei, & nō factore, quid patiatur, quoniā scilicet à seipso fallitur. Frustratur enim hic opinio illius, quia est falsa: & in futuro spes eius, quia erit vana, quoniam nihil proderit ei in futuro verbū Dei audiuisse quod noluit facere. Et hoc ostendit per similitudinem dicens: *Quia si quis est auditor verbi & non factor, hic cōparabitur viro cōsiderāti vultū natiuitatis suæ in speculo. Consideravit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Sicut enim illi nihil profuit vultum suum vidisse in speculo, qui statim oblitus est, ita nihil prodest verbum Dei audiuisse ei qui noluit facere: imò etiam nocet. Vnde Dominus ait de Iudæis: Si non veniſſem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: subaudi tantum quantum habuerunt: quia audierūt, & non fecerunt. Et alibi: Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciēs, plagis vapulabit multis. Et Apostolus Petrus:

Iacob. 1.

Ioan. 15.

Luc. 12.

Melius

2.Pet.2. Melius est viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitionem eius retro abire. Nemo igitur fratres vestrum se fallat, putans se misericordiam inuenire, ideò quod frequenter audit Missam, & legem Dei, & prædicationem. Qui enim audit & nō obedit, seipsum plus obligat & fallit. Sed & propterea nemo dicat vt quidam solet. Non audiam verbum Dei, quoniam si audirem & non obedirē, magis reus fierem. Nemo fratres hoc dicat quoniam ignorans ignorabitur. Et iterum: Verba oris eius iniquitas & dolus: Noluit intelligere vt bene ageret. Ignorantia quippè, quæ nascitur ex contemptu, neminem excusat, sed potius accusat: præsertim in re quam necessarium fuit scire. Sicut igitur reus est qui verbum Dei audit, & non obedit, ita reus est, vt qui obediret, audire noluit. Comparat autem Apostolus satis conuenienter sacram scripturam speculo. Quoniā sicut mulieres sponso suo placere cupientes, aspiciunt vultum suum in speculo, vt fœda corrigant & pulchra plus ornent, ita animæ fideles Christo placere cupientes, aspiciunt se in sacra scriptura, vt ea quæ in se turpia sunt, emundent, & pulchra plus ornent. Consideremus igitur fratres vultum .i. cognitionem natiuitatis nostræ in speculo huius scripturæ Iob: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Et possumus considerare hîc qualis sit homo, quia scilicet per conceptionem reus, per breuitatem vitæ semper formidolosus, per miserias culpæ & pœnę calamitosus.

2.Cor.14. Psal.35. Verbū dei audiendū et faciendum. Iob.14.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quid boni cōsequatur factor verbi, cùm subditur: *Qui autem perspexerit in lege libertatis, & permāserit in ea, factus factor operis, non auditor obliuiosus, hic beatus in facto suo erit.* Legem libertatis vocat hic Apostolus euāgelium, quoniam liberat nos à seruitute veteris legis, à seruitute peccati, & à seruitute diaboli. In qua qui perspexerit intelligendo, & permanserit in ea assiduè meditando, factus factor operis obediendo, non auditor obliuiosus, hic beatus in facto suo erit. Sunt autem fratres mei, quidam qui in lege perspiciunt bene eam intelligentes, sed non permanent in ea, nisi quandiu in ea lucra perspiciunt temporalia, vt sunt

Lex libertatis euāgelium.

quidam

quidam prædicatores & Sacerdotes. Sunt & quidam qui in ea assiduè permanent, meditando, legendo, & inquirendo, vt quidam studiosi magistri, sed non ad hoc vt eam faciant, sed vt sapientes appareant: Sed nec isti, nec illi sunt beati, sed solus factor legis erit beatus.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quæ religio sit falsa, cùm subditur: *Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* In vno exemplo ostendit quod vniuersaliter intelligitur. Vniuersaliter quippè illa religio est falsa: quæ cùm cætera vitia caueat, vnum cauere negligit. Sicut enim non est aliquis sanus, nisi omnia morborum genera euitauerit: ita nullus verè religiosus erit, nisi omnia vitiorum genera saltem criminalia euitet. Sunt enim, vt hîc legitur, quidam, qui cùm Ecclesiam frequentent, ieiunent, orent, contineant, eleemosynas tribuant, cæteris euitatis vitiis, linguam solam non refrenant, sed seducunt cor suum: quia quanto se putant religiosiores & à peccato liberiores, tanto sunt in lingua effreniores, aliorũ peccata iudicantes, detrahentes, maledicentes, vaniloquio dediti & multiloquio. Sed horum vana est religio: quia vt ait Salomon: Mors & vita in manibus linguæ. Et idem Iacobus: Sicut modicus ignis magnam incendit syluam: ita & lingua cùm modicum sit membrum, totã contaminat vitam. Similiter sunt alij in Ecclesia, qui cùm corpus edomuerint, luxuriam euitauerint, linguam refrenauerint, & cætera vitia fugerint, tamen auaritiam non cauẽt, dicentes se prouidere vel filiis vel filiabus, vel familiæ, vel pauperibus, & ita cor suum seducunt, cùm scriptum sit: Omnis auarus, quod est idolorum seruitus, non habet partem in regno Christi & Dei. Itaque fratres mei, omni custodia custodite cor vestrum. Quid enim valet cæteras portas vrbis obseraſſe, si per vnam hostis intrauerit? Itaque fratres mei, nihil valet cætera vitia euitasse, si vnum adhuc remansit.

Religio.

Omnia vitia cauẽda.

Prou. 18. Iacob. 3.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quæ sit vera religio, cùm subditur: *Religio sancta & immaculata apud Deũ & patrem hæc est, visitare, &c.* Quasi diceret: hic est verè religiosus, quia apud Deum Patrem, & propter

Deum

Deum patrem, est sanctus & immaculatus. Et in quo sit sanctus, ostendit cùm subdit: *Visitare pupillos in tribulationibus eorũ.* In quo vero sit immaculatus ostendit, cùm subdit: *Et immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Religio fratres mei, est cultus Deo debitus. Dicitur autem religio a religãdo, quia scilicet nos religat & cõfœderat vni Deo. Consistit autem in tribus, vt hic innuit Iacobus, in timore Dei, in puritate sui, in dilectione proximi. In timore Dei non seruili, sed filiali, vt scilicet sit timor cum amore, & amor cum timore. Deus enim timendus est, quia est Deus, & amandus, quia est Pater. In timore igitur & amore Dei, & in obseruantia mandatorum eius consistit vera Religio. Vnde Salomon: Time Deũ & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. Obseruantia verò mandatorum Dei consistit in duobus: in puritate sui, vt scilicet se custodiat homo immaculatum a vitiis huius seculi, & in dilectione proximi, vt scilicet visitet pupillos, viduas, & egẽtes in tribulationibus eorum. Itaq; fratres, timeamus pariter & diligamus Deum, ex timore cauentes eũ offendere, & ex amore ei obedire studentes. Custodiamus propter amorem eius nos immaculatos a vitijs huius seculi, ab ingluuie, à luxuria, a cupiditate, ab auaritia, ab inuidia, ab ira, a superbia & à cæteris vitijs, & his contrarias virtutes amplectamur, abstinentiam, continentiã, mundi contemptum, munificentiã, mansuetudinem, amorem, humilitatem, cæterasque virtutes, Visitemus etiam egentes in tribulationibus suis, pascendo esurientes, potando sitientes, hospitando peregrinos, vestiendo nudos, visitãdo infirmos & incarceratos, redimendo captiuos, sepeliendo mortuos, errantes corrigendo, inconsultis consulendo, & cætera opera pietatis exercendo, hæc enim fratres, hæc est sancta & immaculata religio, cuius & meritum & prẽmium det nobis omnipotens Dominus, Amen.

Religio quid.

Religio in tribus consistit.

Eccle. 2. Obseruatio mandatorum Dei in duobus consistit.

DOMINICA QVINTA post Pascha.

Ioan. 6. Dixit Iesus Discipulis suis: *Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* &c. Quadripartita est lectio ista fratres mei. Primò enim instruit Dominus discipulos suos ad petendum: Secundò

prædicit

prædicit eis quando rectè scient petere. Tertiò ostendit tunc patrem ad audiendã eos fore propitiũ: quartò subiungitur discipulorum responsio. Primò enim instruens discipulos suos ad petẽdum, ait: *Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* His verbis instruit nos Dominus fratres mei, vt si volumus petitum dari nobis, petamus quid, & à Patre, & in nomine Iesu Christi. Et si ista tria concurrerint, confirmat per duplicationem affirmatiui aduerbij, *Amen*, quia dabit nobis. Ille petit quid, id est, aliquid: qui petit illam vnam petitionem, quam Psalmista postulat, dicẽs: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et de qua Dominus alibi, primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius. Illud enim in comparatione temporalium bonorum, verè est quid, quia est perpetuum, immutabile, & sufficiens. Quicquid verò temporale est, non est verè quid, quia est variabile, labile, & insufficiens: Vnde illorum nullum satiat habentes. De quibus Salomon: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Non enim verè est, quod modò est, modò non est. Qui ergo tale petit, quicquam non petit. Vnde & hìc Dominus subiũgit: *Vsque modò non petistis quicquã in nomine meo.* Multa siquidem petierant discipuli à Domino. Petierant Iacobus & Ioannes vt sederent, alter ad dexteram, & alter ad sinistram eius in regno suo. Petierant, vt ignis de cœlo combureret Samaritanos. Petierat beata virgo vinum in nuptiis. Petierant discipuli salutem filiæ Chananeæ: & tamen dicit eis Dominus: Vsquemodo non petistis quicquam. Quia enim temporalia quærebant, quicquam non petebant. Sed quid petere debeãt, ostendit cùm subdit: *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Et accipietis, subaudis, si à Patre, & in nomine Iesu petatis. In hac vita fratres mei, non potest esse plenum gaudium, sed particulare, insufficiens, & breue. Particulare, quoniam si in aliquo succedit, huic homini non succedit. Insufficiens, quoniam in quo ei succedit, in eodem optat melius adhuc succedere sibi. Breue, quoniam vt ait Salomon: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Cæterùm econtrario in

Psal. 26.

Mat. 6.

Eccle. 1.

Mat. 20.
Ioan. 2.

Prou. 14.

Luc. 9.

futura vita erit plenum gaudium, quoniam erit vniuersale, sufficiens & æternũ. Vniuersale, quoniam in omnibus benè succedet: sufficiens, quoniam nemo melius sibi succedere volet. Æternũ, quoniã nullus mœror ei succedet. Itaque fratres mei, edocti à Domino, non petamus mala à Domino, vt quidam faciunt, petentes damnũ proximi, vel mortem inimici. Nec petamus à Domino vana, vt quidam faciunt, petentes diuitias, glorias, honores, voluptates, & gaudia mundana, sed potius petamus immutabile bonum, petamus vt gaudium nostrum sit plenum. Sed & si quando temporalia bona petimus, propter regnum cœlorum & ad regnum cœlorum ea petamus.

Quæ à domino petenda, & non.

Bona temporalia quo fine petenda.

Non nego enim fratres mei, a Domino petenda esse temporalia, præsertim cum Ecclesia quotidie oret pro pace, pro sanitate, pro fertilitate: sed ista cum finis rectitudine, & cum conditionis discretione, petenda sunt. Qui enim ea propter se, non propter regnum cœlorum consequendum petit, malè petit, nec exaudiri meretur. Vnde Iacobus, petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insinuatis. Rursus, qui sine conditionis discretione petit temporalia, stultè petit, nec exaudiri meretur. Indiscrete petit Paulus à se tolli angelum satanæ, qui vtique sibi nec erat arius erat ad cõseruationem humilitatis: vnde nec exauditur, sed ei dicitur. Virtus in infirmitate perficitur. Vnde idem de se ibidem dicit: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ qui me colaphisat. Proinde fratres mei, regnum Dei propter se & principaliter petamus: Temporalia verò non propter se, sed propter illud, & cum conditionis discretione: vt videlicet det nobis ea, si placet, & si scit ea nobis expedire. Qui nouit melius nobis quæ expediant nobis. Quem modum petendi ipse nobis exemplo sui demonstrauit, qui cum conditione calicem passionis à se transferri rogauit, dicens: Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Cœlestium verò & spiritualium bonorum tanta est dignitas, quòd ea absolutè & sine conditione postulamus. A quo petere debemus? A Deo Patre. Porrò, cùm Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sint vnus auctor & donator, tamen

Iaco. 4.

2. Cor. 12.

Mat. 26.

omnes

omnes ferme orationes dirigit Ecclesia ad Patrem, paucas ad Filium, pauciores ad Spiritum sanctum. Sed præcipiente mediatore nostro Iesu Christo, à Patre omnia bona petamus, quoniam ipse est principium filii & spiritus sancti, omniumque bonorum. Vnde & in oratione dominica ad Deum patrem dirigimus sermonem, vocantes eum patrem, quoniam more patris pius est super nostras petitiones iustas, si per obedientiã & sanctitatẽ digni eius filij extiterimus: alias tãquam degeneres & indignos minimè nos audit. Scriptum est enim. Qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio eius execrabilis est. Et Esaias: Cùm leuaueritis ad me manus vestras, auertã faciem meam à vobis, & cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam vos. Manus enim vestræ sanguine plenę sunt. *Prou 28.* *Esa. 1.*

In quo petere debemus? in nomine, id est, in fide Iesu Christi. Quod vtique facimus, si veri Christiani, Christi veram fidem & doctrinã tenemus. In Christo enim, & per Christum mediatorem nostrum, qui est auctor & actor nostræ redemptionis, per quem habemus accessum, & qui pro nobis interpellat apud patrem, salutem à patre obtinebimus. Vnde & omnes ferè orationes, per Dominum nostrum Iesum Christum, concluduntur. Quoniam non est aliud nomen in cœlo, nec in terra, in quo oporteat nos saluari. Quia ergo Iudæi & pagani, falsique Christiani, in fide Christi non petunt, æternam salutem obtinere non possunt. Itaque fratres mei, si petieritis quid, & à patre, in nomine Iesu Christi, illud proculdubio pater dabit vobis. Non ait illis, pro quibus petetis? Nam praua vita reproborum multotiens obstat, ne Dominus orationes pro eis factas exaudiat. Vnde Dominus per Prophetam: Et tu fili hominis non assumas laudem & orationem pro populo isto, quoniam non exaudiam te. Et alibi: Si steterint Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum. Ac si diceret: nec etiam eos qui in impetratione orationis probantur viguisse, audiam pro istis, sed & si fratres mei, non dabitur pro quibus reprobis postulaueritis: tamen dabitur vobis, quoniam vos de opere pietatis, sine mercede non eritis. Iuxta illud Psalmistæ: Et oratio mea in sinu meo conuertetur. Et illud euãgelij: *Christus auctor & actor nostræ redẽptionis.* *Act. 4.* *Hier. 9.* *Hier. 15.* *Psal. 34.*

Luc. 10. Et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Sin autem, ad vos reuertetur. Illud quoque notandũ est, quoniam nõ ait, mox dabit vobis: Quoniam & si Dominus differt, tamẽ non aufert petitiones vestras, sed prorogat, vt vos magis rogetis, & magis mereamini: Qui tamen post longam instantiam proculdubio dabit vobis: quoniam vult vt pater, & potest vt Deus. Quoniam verò prædicta Euangelij verba Apostolis adhuc simplicibus plana & aperta videbantur, & ideò aliquando aliquid potentibus & non consequentibus, non vera esse videantur ostendit Dominus ea subtilius quàm sonarent, perscrutãda, cùm subdit: *hoc in prouerbiis loquutus sum vobis.* Prouerbium quippè est sermo breuis & planus, subtilius quã sonet intelligendus.

Prouerbium.

Sequitur pars secunda, in qua prædicit Dominus discipulis, quando rectè scient petere, cùm subdit: *Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de patre annuntiabo vobis.* Hæc hora fratres, fuit post ascensionẽ & Spiritussancti missionem, quando illa verba quæ discipulis prius minus intelligentibus, fuerant prouerbia facta, sunt ad intelligendum plana & aperta quando & per Spiritum sanctum de arcanis Dei patris, filius eos altius instruxit: de qua hora & subdit: *In illo die, in nomine meo petetis* Tunc enim tantùm æternam salutem, vel ad eam petierunt. Vtinam fratres mei, & vos & nos, Dominus per Spiritum sanctũ suũ intus inuisibiliter erudire dignetur, vt verba sacræ scripturæ, quæ nobis sunt quasi obscura prouerbia, fiant vobis lucida & aperta, quatenus de Dei gloria & dulcedine altius valeamus intelligere, & per contemplationem degustare: vt omnibus spretis temporalibus, eam solam desideremus & flagitemus, dicentes cũ Psalmista: Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Nemo fratres, de ingenio suo, nemo de studio suo, vt quidam faciunt, scripturas intelligere præsumat: Quoniam nisi clauis Dauid, quæ aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nobis aperiat, clausus erit nobis sanctarum liber scripturarum: Et clausa erit nobis contemplatio diuinæ dulcedinis, de qua ait Psalmista: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam

Psal. 72.

Apoc. 3.

Psal. 30.

absconditi

abscondisti timentibus te. Hoc est quod Dominus ait: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Mar. 11. Luc. 10. Potest etiam fratres, & hæc hora intelligi vita futura, quando non iam exterius per prouerbia loquetur Dominus, sed rebus ipsis nobis loquentibus, palàm de patre annuntiabit nobis. Iuxta quod Paulus ait, videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum. 1. Cor. 13. *In illo*, inquit, *die in nomine meo petetis.* Rutilante quippè æterni diei sole animabus sanctorum, non iam temporalia, sed solam stolam immortalitatis, & sibi iam alteram habentibus, & fidelibus adhuc in terra laborantibus, vtranque nouerint postulare.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus patrem fore pronum ad audiendum discipulos, quando petierint in nomine suo, dicens: *Et non dico, quia rogabo patrē prò vobis, ipse pater amat vos.* Ac si dicat. Tunc quando petetis patrem in nomine meo, dico quia non rogabo tunc patrem pro vobis, tanquam durum ad audiendum vos: Ipse enim pater amat vos, sicut & ego: & propitius erit ad audiendum vos. Patet igitur fratres mei, per contrarium, quoniam qui diuitias, vel honores, vel aliquid temporale petit à patre, non petit illa à patre in nomine Iesu, id est ad salutem æternam, sed potius ad explendam voluntatem suam: proculdubio in tali petitione durum & difficilem inueniet patrem. Sed si forte dederit ei requisita, dabit ea in ira sua. Sed quid est cùm subiungit: *ipse pater amat vos, quia vos me amastis, & quòd quia à Deo exiui, creditis.* Nunquid discipuli prius tempore vel causa amauerunt Dominum, & ideò pater amat eos? Non fratres mei, imò teste Ioanne: Ipse prior nos dilexit. Quia ergo pater discipulos amauit, discipuli Deū amauerunt & crediderunt. 1. Ioan. 4. Causalis enim coniunctio significat ibi, non causam essendi, sed causam intelligendi. Quod enim discipuli amauerunt & crediderunt Deū, non fuit Deo causa, vt eos diligeret, sed hominibus fuit causa, quia intellexerunt quod Deus eos amabat. Non enim Deum potuerunt amare, nisi Deus eos amasset, & eis amorem suum inspirasset. *Exiui*, inquit, *à patre, & veni in mun-*

dum: & iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Ac si dicat: Non sufficit vobis credidisse quod exiui à patre per æternam natiuitatem, nisi & credatis me venisse in mundum per temporalem natiuitatem, & me iterum relinquere mundum per corporalem recessum, & ascendere ad Patrem per corporalem ascensionis glorificationem. Hos enim cum cæteris articulis fidei, fides catholica exigit, vt credamus.

Sequitur pars quarta, in qua discipuli respondent ad hoc quod Dominus se in prouerbiis loquutum esse dixerat: & venturam horam, in qua non in prouerbiis, sed palàm eis loqueretur: *Ecce*, inquiunt, *palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.* Quoniam namque discipuli exteriorem verborum Domini planitiem intelligebant, putabant ipsa verba plana esse, & nullius subtilitatis profunditatem continere. Quorum etiam hodie sunt similes, qui solam scripturæ sacræ superficiem attendentes, nulla putant ibi arcanorũ mysteria cõtineri. Sed scriptura sacra ita est temperata, quod in ea potest & paruulus ambulare, & gygas natare In ea per exteriorem historiam vel moralitatem, pascuntur rudes, & per interiorem allegoriã exercentur sapientes. *Nunc scimus*, inquiũt, *quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: In hoc credimus, quia à Deo existi.* Quia nãque Dominus eos de suis omnibus dubitationibus non solùm instruebat, sed etiam interrogantes, quas facturi erant, respondẽdo præueniebat, & ad occultas cogitationes respondebat, sic cum omnia scire, & à Deo confitentur venisse. Ad occultas quippè cogitationes & dubitationes respondere, diuinum est non
2. Par. 6. humanum. Vnde & ad eum per Sapientẽ dicitur: Tu solus nosti corda filiorũ hominum. Quia ergo fratres mei, vbicunque lateamus, ante oculos diuinæ maiestatis sumus: qui opera, dicta, cogitationes, & voluptates quãtumcunque occultas, speculatur, propterea magna indita est nobis necessitas honestè conuersandi. Quoniam si erubescimus aliquid turpe dicere, vel facere, ante oculos Regis vel Principis terreni, quanto magis ante oculos Dei omnipotẽtis aliquid turpe facere vel dicere debemus erubescere? Abstergamus igitur fratres mei, fletibus pœ-

tentiæ,

nitentiæ, nostrorũ sordes peccatorum: corrigamus vitam nostram, & emundemus conscientiã nostram: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi soli Deum videbũt. Oremus igitur ipsum quatenus ipse qui solus potest, emundet cor nostrum, vt ipsum in corde suo videre mereamur per omnia secula seculorum, Amen. *Mat. 5.*

IN LÆTANIA MAIORI,

Confitemini alterutra peccata vestra, & orate pro inuicẽ vt saluemini. &c. Ad tria bona fratres mei, nos hortatur Apostolus in hac lectione, ad mutuam videlicet confessionem, ad mutuam orationem: & ad mutuam correctionem. Sunt autem hæc tria bona, magna coram Deo, & valde nobis necessaria. Confessio quippè necessaria est nobismetipsis: oratio & correctio nobis & aliis. Per mutuam enim confessionem nosmetipsos mundamus, & per mutuam orationem nos coadiuuamus. Per mutuam correctionem, alter alterum Deo lucrifacimus. Porro ad confessionem nos monet cùm dicit: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Videte fratres mei, quid sit confessio, & vnde dicatur, quantũ sit necessaria, cui fieri debeat, & quando, & quomodo. Est autem confessio, flebilis propriorum peccatorum enarratio. Hæc autem flebilis esse debet, quoniam qui ad iactantiam, vel ad delectationem peccata sua refert, non curat ea, sed auget. Et hoc fratres mei, contra illos est, qui peccata sua, non cum habitu flebili, sed potius cum risibili peccata renarrant. Sed illi profectò peccata sua non confitentur, sed potius prædicant. Dicitur autem confessio quasi communis fassio: vt scilicet corde, ore, opere, confiteamur nos peccasse: corde pœniteamus, ore nos accusemus, opere satisfaciamus. Est autem confessio adeò nobis necessaria, quòd per eam peccata nostra dimittantur, & sine ea non dimittantur. Quod per confessionem peccata dimittantur, apparet in Dauid, qui cùm accusaretur à Nathan Propheta de adulterio cum Bersabee, & occisione viri eius, per paradigma diuitis centum oues habentis, & vicino pauperi vnicam ouiculam rapientis, peccatum suum coram omnibus non erubuit confiteri dicens: Peccaui coram Domino: & ait mox ei Dominus per prophetam, *Iaco. 5.* *Confessio necessaria.* *Mutua oratio.* *Confessio quid.* *Corde, ore, & opere confitendũ.* *2. Reg. 12.*

Translulit Dominus à te peccatum tuum. Ecce fratres quis sufficiat pensare viscera diuinæ misericordiæ, qui ad solam confessionem peccata & tam grauia destruit.

Psal. 31. Hinc ipse Dauid dicit: dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Quod verò sine confessione habenti tempus & loco cum peccata non dimittantur, ostendit Propheta cùm dicit: dic tu prius iniquitates tuas, vt iustificeris. Et Philosophus: Si operam, inquit, medicantis expectas, oportet vt vulnus detegas. Cui fieri debet confessio? Confessio criminalium debet fieri Sacerdoti, & nominatim, qui solus habet potestatem ligandi atque soluendi, sicut & lepræ iudicium solis Sacerdotibus in lege erat commissum.

Esa. 43.

Cui debet fieri confessio.

Confessio verò venialium, alterutrum & cuilibet, etiam minori, potest fieri: quoniam propter venialia non separatur homo à Deo, nisi vltra modum per incuriam excedat: sicut nec per scabiem vel per impetiginem, aliquis in lege separabatur à castris. Fit autem hæc confessio, non quod possit à peccatis absoluere: sed quia propter propriã humiliationem, & peccatorum nostrorum accusationem, & fratris orationem, mundamur à peccatis. Vnde & non dicimus: Ego dimitto tibi peccata tua: sed dicimus orando: Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Quãdo debet fieri confessio hæc? Omni tempore, quo nos peccasse cognoscimus, Siue enim domi, siue in agro, siue in via, peccauero: debeo statim dicere fratri qui mecũ est: peccaui, ora pro me. Qui si non aderit, debeo confiteri Deo, dicens: Domine peccaui, miserere mei. Præcipuè fratres in prima diei hora, debemus confessionem facere de his quæ in nocte delinquimus, & in completorio de his quæ in die peccauimus. Et maximè fratres, quando accedere volumus ad Missam, vel ad aliud Sacramentum celebrandum, vel suscipiendum, per confessionem nos mundare debemus. Quæ confessio benè significatur per labium æneum in lege, quod posuit Moyses ad introitum tabernaculi, in quo sacrificaturi manus emundarent. Quomodo confiteri debemus? Cùm cordis compunctione, cum vultus humilitate, cum pectoris tunsione, cum corporis supplicatione, cum vocis flebilitate.

Quãdo debet fieri confessio.

Quomodo debemus confiteri.

Ad

Ad mutuam verò orationē nos hortatur Apostolus cùm subdit: *Et orate pro inuicem, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Est autem oratio prius mentis affectus ad Deum: qui quandoq; pigritante animo excitatur per vocem. Oratio igitur non est vox, sed potius mentis affectus, qua scilicet affectamus aliquid obtinere à Deo. Et hæc debet esse pia, quoniam quæ ad pietatem pertinent, debemus per orationem postulare. Quando enim animus noster in oratione pigressit, debemus illum per vocem excitare, vt sonus oris intrans per aures, excitet pigritiam mentis. Oratio igitur quæ fit solo corde, & si non labiis, Deo accepta est. Vnde & Susanna tacens dicitur clamasse, propter vehementem mentis intentionem, & à Deo audita fuisse. Oratio verò quę solis labiis fit, non est ante Deum acceptabilis. Vnde & ipse dicit: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Ostendit autem hic Apostolus pro quibus sit orandum, & quid, & oratio cuius, & qualis valeat & quantum. Pro quibus est orandum? pro inuicem, id est, pro fratribus. Pro hæreticis enim & infidelibus, & in Spiritum sanctum peccantibus, non ita tenemur orare. Vnde & Ioannes, Est, inquit, peccatū ad mortem, pro eo non dico vt quis oret. Pro quibus si oramus, eorum non salutem, sed conuersionem petimus, & cum conditione videlicet subiungendo: sicut & vis, & scis Domine, ita eis facias. Quid est orandum? *Vt saluemini.* Non ait, vt honoremini, vel gloriemini, vel delectemini in hoc seculo. De huiusmodi enim postulantibus, Iacobus ait: Petitis enim & non accipitis, eò quòd indignè petatis, vt in concupiscentiis vestris insinuatis. Sed petamus vt in Euangelio præcipit Dominus, Primùm quęrite regnum Dei & iustitiam eius, & hęc omnia adiicientur vobis. Cuius valeat oratio ostēdit, cùm subdit, *Iusti.* Nam oculi Domini super iustos & aures eius ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Qualis oratio valeat, ostendit, cùm dicit, *deprecatio assidua*, id est, quæ intentionem habet & instantiam. Nam laxa & lassa oratio, impetrare nō solet. Quantum verò valeat, ostendit, cùm dicit: *multum valet.* Oratio quippè nobis à Deo impetrat veniam peccatorum,

Quid est oratio.

Dan.13.

Mat.15. Esa.29.

1. Ioan.5.

Iacob.4.

Mat.6.

Psal.33.

collationem gratiarum, auersionem aduersitatum, consolationem prosperitatum. Oratio diabolum fugat, iram Dei placat, nostram viam dirigit, & ad regnum Dei perducit. Oratio valet & a quo fit, & pro quo fit. Et si illi pro quo fit non valet, illi tamen a quo piè fit, valere potest. Scriptum est enim, Et oratio mea in sinu meo conuertetur. Porrò quantum oratio valeat, ostendit exemplo Eliæ, & est argumentum à minori. Nam si vnus homo sicut & nos passibilis, minas vnius mulierculę fugiēs, famem sustinens, & mortem timens, vna oratione pluuiam auertit, & iterum eam terris dederit: quid facient plurium iustorum orationes etiam assiduæ? Ad correctionem verò & conuersionem fratrum peccantium nos hortatur, cùm dicit: *Si quis autem ex vobis errauerit, & cōuertit quis eum*, scilicet verbo & exemplo, vel oratione: *scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, seruabit animam eius à morte.* Ostendit autem quàm vtilis sit conuersio fratrum, & conuerso, conuertenti. Quantum est vtilis conuerso, qui saluat animam eius à morte. Sicut enim precios̄ior est anima quàm corpus: ita maior est eleemosyna quæ saluat animam nunquàm moriturā, quàm quæ saluat corpus necessario moriturum. Quantum verò sit vtilis ipsi conuertenti, ostendit cùm subdit: *Et operit multitudinem peccatorum*: subaudi propriorum. Scriptū est enim: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Nec solùm conuersio fratris operit peccata conuertentis: sed & ei acquirit coronā. Quot enim quis saluat animas, tot habebit coronas. Inde scriptum est: Quoniam sicut stellæ firmamenti fulgebūt, qui multos erudierint. Quæ enim fratres chariss̄imi, quæ eleemosyna, quæ victoria potest esse maior, quàm ad similitudinem nostri Redemptoris frangere feras inferni, eripere vasa captiuitatis, eruere reos de faucibus diaboli, & Christo lucrari? Itaque fratres mei, mortem iam nobis instātem, & districtum Dei iudicium semper ante oculos nostros habeamus, & peccata criminalia quasi mortem fugiamus. Venialia verò & quotidiana peccata quotidie mutuis cōfessionibus curemus, orationibus ad inuicē nos adiuuemus, alter alterius onera portemus,

Psal. 34.

3. Reg. 17.

Eccle. 3.

Dan. 12.

erran-

errantes lucrari Deo satagamus, vt si nõ possumus, cũ tot triumphis cum quot Petrus & Paulus, saltẽ cum vno vel duobus, vel cum quot possumus, ad magnam diem iudicij & æternę remunerationis perueniamus, largiente Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum. Amen.

IN LAETANIA MAIORE.

Quis vestrũm habebit amicum, & ibit ad eum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Lectio ista, fratres charissimi, per duas parabolas bipertita est. Quoniam enim Deus & Dominus noster, nos orantes multotiens non statim audit, sed differt: vt magis & magis orantes, magis & magis mereamur. Ideò per primam parabolam hortatur nos, ne ab oratione fatigemur, vel de impetratiõe desperemus, sed potius oportunè, orationi instẽm: promittens quoniam importunè petẽtes, oportunè proculdubiò à Deo exaudientur. Sumit ergo istam parabolam de homine qui ad amicum suum in necessitate recurrit: Quem licèt excusantem & se non posse subuenire dicentẽ, tamen etsi non amicitia, saltẽ importunitate eum flectit sibi subuenire. Quantum ergo ad literam pertinet, duo in hac parabola sunt nobis considerãda: videlicet negligentia, quã habemus in nos, & bona voluntas, quam Deus habet erga nos. Et negligentiam quidem habemus in nos, quoniam in petitione & acquisitione æternę salutis negligentes sumus: in petitione verò & acquisitione temporalium feruentes sumus. Nam si ingruat nobis aliqua necessitas temporalis, soliciti sumus, dormire non possumus, & de media nocte surgentes discurrimus: amicos & vicinos fatigamus: fletibus & suspiriis, precibus & promissis, pulsare non cessamus, donec quod nobis deerat, accipiamus. Cùm verò ingruat nobis assiduè maxima omnium necessitatum, euitatio videlicet mortis æternæ. Et ad hanc euitandam negligentes sumus, dormimus, non surgimus ante lucem, vt Deum & eius Sanctos, precibus & promissione emundationis pulsemus: quatenus dimissis peccatis nostris, mortem æternam euitare possimus. Quod si pro-

Luc. 11.

Diligentia in rebus tẽporalibus.

promiserit Rex nobis vel Princeps secularis se daturũ nobis diuitias vel honores huius mundi, quanto desiderio eum sequimur, & quanta diligentia ei famulamur? Ad iussum eius lustramus mundum, transfretamus æquora: visitamus barbaras nationes, non retinemur frigore, non æstu, non periculis, non gladiis: Et hoc totum vt consequamur, quas fortè nunquam consequuturi sumus falsas & breues huius mundi diuitias & honores. Nunc autem cùm promittit omnipotens & verax Deus beatũ & æternum regnum, negligimus ei obedire, & famulari contemnimus, nec etiam per ipsa prospera eum sequi volumus. Vt quid hoc fratres? nisi quia radicem nostram in amorem mundi figimus, & Deo promittẽti regnum cœlorum, vel non credimus, vel contemnimus. Tamẽ Deus pater more pij patris, bonam voluntatem habet erga nos, negligentes excitat, promissis inuitat, petere imperat.

Negligentia nostra in rebus cœlestibus qualis.

Et certè fratres, qui præcipit petere, cupit dare. *Petite*, inquit, *& accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* In quibus verbis fratres mei, nobis ostendit quomodo postulandum sit, vt mereamur audiri. Non enim si sola voce petamus, audiri meremur. Ipse enim alibi dicit: Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum. Si ergo volumus intrare, petamus corde, quæramus opere, pulsemus perseuerationc. Petamus deuotè orando, quæramus benè operando, pulsemus instanter perseuerando. Et ne dubitemus fratres, de impetratione: quoniam, teste Veritate, qui prædicto modo petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Iuxta mysticum verò sensum, amicus noster, ad quem in nocte necessitatis recurrere debemus, Deus pater est, qui, vt ait Apostolus, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, misit filium suum in similitudinem carnis peccati. Amicus verò ille, qui de via venit ad nos, est animus noster, qui totiẽs à nobis recedit, quotiens suæ & nostræ salutis oblitus, ad terrena concupiscendum exit. Tunc verò de via ad nos venit, quando de strepitu terrenarum cupiditatum ad meditandum de nostra, suaque salute redit. Redit autem famelicus,

Mat. 7.

Ephe. 2.

licus, quoniam in terrenis cupiditatibus nulla satietas inuenitur. Nec nos, quid ante eum ponamus, habemus, quia diuina gratia, quæ cibus animi est, in manu hominis non est. Fame igitur amici cogente, non est morandum, vt faciunt qui salutem animæ suæ procrastinant: sed de media nocte peccati & ignorantiæ quàm citò surgendum, & ad amicum vnicum nostrum, scilicet Deum Patrem, quam citò festinando, tres panes sunt ab eo postulandi, id est, fides trinitatis, vel triplex sacræ scripturæ intellectus, scilicet historicus, moralis, & mysticus: quibus animi nostri esuries valeat satiari. Sicut enim iustus ex fide viuit, ita & de omni verbo quod procedit de ore Dei. Ille de intus respõdens se excusat, dum clausa exauditionis ianua auxiliũ ferre dissimulat. Et ex hoc videtur, quia ostiũ prædicationis, clausum est: & pueri, id est, sancti prædicatores à carnea veste iam exuti, cum Deo sunt in cubili æternæ requici. Et ex his nõ videtur possibile quod Deus surgat, vel per se, vel per ministros suos ad erudiendum nos. Quod hodie fratres, eueniſſe videtur, dum prædicationis ostium non minus in prædicatoribus quàm in audientibus videtur iam clausum esse, vtrisque pariter deficientibus. Attamen nos fratres, si perseuerauerimus precibus, suspiriis, & fletibus pulsantes, dico vobis quoniam cum suo amore, cum nostro clamore flexus, nobis panem ministrabit spiritualem.

In terrenis nulla satietas.

Rom. 1.

Sequitur alia parabola, in qua ostendit Dominus, quoniam non nisi bona dat Deus Pater, & ea dat nõn propter meritum vel importunitatem nostram compulsus, sed ſtatim propter affectum paternalem. Ostendit autem hoc, sumpto à minori argumento: quoniam si patres carnales cùm non sint ex se boni, sed potius mali, nouerunt filiis suis petentibus non mala, sed potius bona temporalia largiri, non merito vel improbitate filiorum tracti, sed paterna pietate: multò magis cœlestis pater, cùm naturaliter sit bonus, dabit filiis suis petentibus bona spiritualia & æterna, ductus sola, quam habet naturaliter, pietate. Iuxta literam, fratres mei, pẽsemus in hac parabola, quàm sit terrena & animalis pietas parẽtum carnalium in filios suos, & quàm sit vera charitas cœlestis Patris in filios suos.

Car-

Carnalis patris studium in filiorum nutritione.

Carnalis quippè pater plus intendit nutrire corpus filij sui, quàm animam: sollicitus multum ne filius suus esuriat, ne sitiat, ne à serpente feriatur, ne aliquo casu moriatur, thesaurum ei congregat: quocunque modò eum ditare festinat & hæreditare: instruit eum in calliditate acquirendi diuitias & conseruandi. Cæterũ si videat eum mendacem, si periurũ, si fallacẽ, si cupidũ & auarum, si rapacem & violentũ, cõtemnit, imò potius gaudet, vocans eum sapientem & probum. Sed quid inde cõtingit? Postquam malus filius à malo patre instructus excreuerit, paternam vincit malitiam. Et primùm in ipsum parentem exsurgit, eius vitam odit, eum exhæredat, & fame pereuntem se eum nosse dissimulat. O miser pater, cur filium super hoc accusas? Hoc facit quod tu eum docueras. Si eum pium inuenire volebas, quare eum pium esse non docueras? Si eum iustum inuenire volebas, quare eum iustum esse non docueras? hoc quod tradidisti ei, reddit tibi. Tales erant Israëlitæ, quos vocat Ioannes genimina viperarum, id est, venenosos venenosorum filios. Et Dominus per Ezechielem: Ego sum Deus zelotes vindicans peccata parentum in filios, paternæ scilicet malitiæ discipulos. Sicut enim puniuntur parentes propter prauam instructionem filiorum, ita puniuntur filij propter malam imitationem parentum. Cœlestis verò pater vera dilectione diligit filios suos, non solùm in hoc quòd ab æterno eos elegit, & quòd eos sanguine filij sui redemit, & quòd eis æternũ regnum præparauit, sed etiam in quotidiana correctione & eruditione. Odit enim eos in malo, & diligit eos in bono & ad bonum, in quo vera consistit dilectio. Qui enim parcit virgæ, odit filium suum. Et pater filium quem plus diligit, corripit. Sic ergo cœlestis pater filios suos reuocat à malo, prohibitionibus, minis & flagellis. Trahit verò eos ad bonum, mandatis, promissis, & beneficio gratiarum suarum. Itaque patres & matres familiâs, cœlestem Patrem imitamini, filios, nepotes, & etiam quoslibet amicos vestros, diligite in bono & non in malo. Diligite eos plus in anima quàm in corpore, plus ad Deum quàm ad mundum. Optate & acquirite eis plus spirituales diuitias quàm corporales, plus cœlestes

Luc. 3.

Prou. 13.

Cœlestis pater.

lestes quàm terrenas. Ab vbere instruite eos in Dei timore, in fide, in spe, in charitate, in pietate, in patientia, & humilitate, cæterisq; virtutibus & bonis moribus: Attendentes quoniã gloria patris, est filius sapiens: Et opprobrium parentum, est filius insipiens. Et sicut filius bonus est parentum suorum benedictio: ita filius malus est parentum suorũ maledictio. Sicut enim bonum filiorũ, est parẽtum qui eos docuerunt: ita malum filiorũ est parentum, qui eos corrigere neglexerunt. Et ad hoc habemus exemplũ, reprobationem videlicet Heli, filiorumq; suorum. Iuxta verò mysticum sensum, per panem significatur charitas, qua anima reficitur: & econtrariò per lapidẽ, duritia mentis in malo induratæ, figuratur: per piscẽ verò, qui in absconditis aquarum viuit, fides quæ de absconditis & inuisibilibus est, exprimitur. Sicut econtrario per præsentem serpentem, venenum infidelitatis vel hæresis significatur. Per ouum quoque, in quo est spes fœtus, spes exprimitur: sicut econtrariò per scorpionem, qui cauda, id est, fine corporis percutit, finalis desperatio denotatur. Si quis ergo fratres mei, à cœlesti Patre postulauerit fidem, spem & charitatem, nunquid benignus & misericors pater dabit ei vitia harum virtutum contraria? videlicet infidelitatem, desperationem, & mentis duritiam? nequaquam. Quoniam apud eum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quin potius si aliquis per ignorãtiam ab eo sibi noxia postularet, ipse qui nouit melius nobis, quid expediat nobis, eum non exaudiret. Vnde nec Paulum rogantem pro stimulo carnis amouendo, quod vtiq; ei noxiũ faciebat fore, noluit exaudire. In quo fratres, nobis præbet exemplũ, vt in bonis, nõ in malis nostros exaudiamus amicos. Qui enim aliquãdo in malo exaudit, sed ei esse inimicũ ostendit. Hinc est fratres, quod pius & misericors Dominus, nos in multis malis desideriis, indiscretis petitionibus nostris, nos non exaudit: in quo se verum patrem & verum amicum esse nobis ostẽdit. Ipsum ergo super omnia & prę omnibus diligamus. Ipsum totis viscẽribus amplectamur: pro eo omnem turpitudinem & omne vitium vitemus: mundum fugientẽ fugiamus, & omnia trãsitoria, antequã ab eis relinquamur, relinquamus.

Prou. 10.

Iacob. 1.

2. Cor. 12.

Ad

Ad æterna bona toto desiderio festinemus, vt Deum Patrem verum in decore suo videre mereamur. Amen.

IN VIGILIA ASCENSIONIS Domini.

Ephes. 4. *VNicuique nostrũ data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, &c.* Hanc lectionẽ, fratres charissimi, sollicitè debemus perscrutari, quoniã doctrina in ea continetur, sine qua non potest esse salus. Agit enim hìc Apostolus de gratia Dei, per quam solam, vt ait ipse Apostolus, sumus id quod sumus. Inter articulos quippè fidei nostræ, etiam hoc necessàriũ cõtinetur, vt credamus quod quicquid boni habemus, à Deo gratis habemus. Quis vero gloriatur se aliquod bonum habere à se, vel ex meritis suis, gloriam non habebit apud Deum. Habet igitur hæc lectio quinq; partes. Primò enim dicit Apostolus vnicuiq; gratiam datam esse à Christo: Secundò hoc probat auctoritate scripturæ. Tertiò ipsas gratias enumerat. Quartò ad quem vsum datæ sint, demonstrat. Quintò quem finem habeant, manifestat. Ait igitur primò Apostolus, *Vnicuique nostrùm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Tria dicit: quod vnicuiq; nostrùm data est gratia, & quod secundum mensurã, & quod à Christo. Licèt autem per hoc quod ait Apostolus: *Vnicuique nostrũ*, intelligat solos ministros esse, tamẽ vniuersaliter verum est vnicuique homini gratiã à Christo datam esse. Cùm enim gratia dicatur quicquid gratis datur, quicquid habet homo siue bonum naturæ, siue bonum fortunæ (vt dici solet) siue bonum gratiæ: quia à Deo datum est gratis, gratia Dei dici potest. Quia tamen bona naturæ & bona fortunæ tam bonorũ quàm malorũ sunt cõmunia, antonomaticè virtutes & vsus earũ, quoniã propria sunt bonorũ tantùm, gratiæ solent appellari. Noluit enim Dominus aliquam suam creaturã penitus ab aliqua participatione bonitatis suæ esse exortem, ne indecora & suo auctore indigna esse videretur, sed quamlibet creaturam suam aliqua sua gratia priuilegiauit. Quare? triplici ratione: vt haberet quælibet creatura aliquid in se, in quo diuinæ bonitatis largitatem in se demonstraret: vt haberet vnde Deo largitori gratias referret: vt haberet materiam per quam

Quicquid boni habemus, à Deo gratis habemus.

Quid dicatur gratia.

apud

apud Deum promereri posset. Itaque fratres mei, vnusquisque de gratia sibi data se dignum exhibeat: de ea Deo auctori gratias reddat: per eã fratribus suis subministrando, maiora promereri satagat. Qui habet sapiẽtiam, rudes instruat. Qui habet potestatem, Ecclesiam, pupillos, & viduas defendat. Qui habet diuitias, inde inopibus suffragetur. Qui habet gratiam familiaritatis apud Principem: pro pauperibus apud eum loquatur. Qui habet eloquentiam, inde inconsultis patrocinetur. Qui nouit aliquam artem, inde indigentibus opituletur. Caueat vnusquisque ne commissum sibi à Deo talentum occultando, eo ipso, cæterisq; bonis mereatur spoliari. Est autem vnicuique nostrûm gratia data, secundum mensuram. Noluit quippè Dominus omnes gratias alicui dare. Quare? triplici ratione; Ne aliqua creatura se quandoque creatori suo æquaret, ne se nullus indigere putaret, ne cæteras creaturas cõtemneret. Sed voluit potius vnumquemq; nostrûm alterius gratiæ indigere: vt videns quisque se illius gratiæ indigere, qua frater suus perfulget, eum sibi præferret, eiusque auxilium postularet. Et in hoc ipso disceret de gratia sibi data, indigentibus ministrare, quemadmodum volebas cæteros de gratiis suis ministrare sibi. Itaque fratres mei, vnusquisque multum deesse nobis putemus: gratias fratrum nostrorum admiremur, vt ita nobis vilescamus, & fratres nostros nobis præponamus. Et sicut eos de gratiis suis nobis ministrare volumus: ita & de gratia nobis data eis ministremus. Vt per hoc etiam gratias quas non habemus, promereri valeamus: fit autem hæc gratiarum distributio à Christo simul cùm Patre & Spiritusancto. Qui sicut sunt vnus auctor, ita & vnus largitor, à Christo tamẽ dicuntur distribui gratiæ, eò quòd ipse est caput omniũ fidelium: cuius capitis membra sunt omnes fideles. In Christo autem tanquã in capite continetur omnium plenitudo gratiarum. Ipse enim omnes gratias habet, non tantũ in potestate ad distribuendũ, vt Deus, sed etiã in vsu, vt homo, habet gratias omnes quas eũ habere decet. Et de plenitudine eius (teste Ioãne) qui non habet spiritum ad mensuram, accepimus omnes ad mensuram. Quod benè significatur in vnctione Aaron, super caput

Quare Deus vnũ omnes gratias noluit dare.

Christus caput omnium fidelium.

Ioan. 1.

cuius cum plenitudo vnctionis à Mose effunderetur, distil lauit per barbã & per cætera membra, vsq; in extremam oram vestimenti eius. Sic fratres mei, de plenitudine gratiarum, quibus Christus à Patre inuisibiliter vnctus est, distillat prius & abundantius in barbam, id est, in viriles & perfectiores, deinde in cęteros, etiã vsq; ad extremos. Vnde fratres mei, suspiriis & gemitibus eũ oremus, quatenus de sua plenitudine gratiarum, & si non tantum quantum super Apostolos, cæterosq; Sanctos, vel aliquantulũ irroret super nos, tanquam vltima Ecclesiæ suæ membra.

Sequitur pars secunda, in qua gratias donari à Christo probat per auctoritatẽ Prophetę, cùm dicit: *Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Consistit autem in hoc vis probationis, quoniam tale est negotium, quod nec à puro homine, nec à puro Deo potuit ministrari. Captiuos quippè eripere de inferno, & in altum ducere, & dona spiritus sancti hominibus dare, homo non potuit nisi Deus esset. Descendit ergo prius assumendo in se hominem, & hoc est quod Apostolus exponens, subdit: *Quòd ascendit, quid est nisi quia descendit primùm in inferiores partes terræ?* Ac si diceret, quomodo posset ascendere, nisi primò descendisset? descendit autem non tantùm in inferas, sed etiam in inferiores partes terræ, id est, ad inferna, ea confringens, & captiuitatem captiuam educens. Populus enim sanctorum, qui in inferno detinebatur, non tantùm captiuitas, imò etiam captiuata captiuitas erat. Ille hoc quippè quod à patria Paradisi, ad quam obtinẽdam creata fuerat, per diabolicam fraudem ad huius mundi miseriam expulsa exulabat, captiuitas erat. Rursus & in hoc, quod miseria huius vitæ, ad maiorem inferni miseriam captiuata fuerat, non tantùm captiuitas, imò etiam captiua captiuitas erat. Hanc ergo captiuam captiuitatem, more triumphatoris, duxit secum Dominus in altum. Sicut enim aliquis præliaturus contra hostem, se prius armat, deinde cautè hostem aggreditur & per magnum laborem eum superat: posteà eum ligans, eius munitionem dissipat, & captiuos educit, & cum signis victoriæ ad sedem suam rediens, donaria satellitibus suis distribuit

buit: ita fecit & Dominus. Prius enim præliaturus cum diabolo, se humilitate armauit. Per occultam sapientiam eum aggressus est, per patientiam superauit, per fortitudinem eum alligauit, & infernum frangens, suos qui ibi captiui tenebantur, eduxit, & cum triumpho in cœlū ascendens, dona Spiritus sancti suis dedit. Non quod hac sola vice ea dederit, qui vtiq; à principio semper suis gratiam suā largitus est: sed quod occultum erat, donorum cœlestium se largitorem esse visibiliter demōstraret. Repræsentat autem hanc Christi victoriam sancta Ecclesia per processiones, quas in his diebus facere consueuit. Procedit quippè in processione tanquā victor crucifixus in carne, cruce: cum armis videlicet cum quibus triūphauit. Cum quo aqua benedicta procedit, id est, gratia qua suos irrorat & munit. Procedunt autem vexilla suæ victoriæ signa. Procedit & draco tanquam victus ante victorem: qui solo capite vigens est, vacuus in parte posteriori, quoniam ad primā peccati partem, id est, cogitationem suggerere valet. Ad cōsuetudinem verò, vel ad perficiendū peccatum, seruos Christi cogere non potest. Et certè hostis infirmus est, qui nisi sibi consentiente lædere nō valet. Subsequitur autem populus fidelium in processione crucifixum, tanquam liberati liberatorem, expectantes ab eo suarum dona gratiarum. Subsequamur ergo eum fratres mei, subsequamur eum non solo pede, sed vera fide, & firma dilectione, & operum & mādatorum eius exequutione: quoniam sic eum sequentibus non deerit, sed proculdubio lætabitur, & hic stipendia gratiarū suarum, & in futuro beatitudinem præmiorum. Ne autem videretur alicui, quod quibusdam hæreticis visum est, duas in Christo esse personas, ostendit Apostolus, quoniam vna & eadem persona est & ille qui descendit, & ascendit vt homo: & ille qui dona Spiritus sancti dedit, vt Deus, subiungens: *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia*, de eo per Prophetas prædicta. *Et idem ipse est qui dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, &c.* Est autē hęc pars tertia, in qua Apostolus enumerat quasdam gratias administrationū, quas Deus cōtulit ministris Ecclesiæ suæ, per quas in hoc seculo eam regerent & erudirent.

Processiones.

Draco.

Apostoli. Inter quos principales sunt Apostoli, quos Dominus noster Iesus Christus misit à latere suo, vt fidem salutis ignaris annuntiarent. *Prophetæ.* Alij sunt Prophetæ, qui per Spiritum sanctum ventura prædixerunt, vt Agabus & filiæ Philippi. *Euangelistæ.* Alij sunt Euangelistæ, qui videlicet Euangelij scribendi priuilegium habuerunt. *Pastores et Doctores.* Alij sunt Pastores & Doctores, qui videlicet sanctam Ecclesiam regunt & docent. Benè autem fratres mei, Apostolus nō ait tantùm Pastores, sed etiam adiunxit Doctores. Apertè demonstrans quoniam Prælati sanctæ Ecclesiæ, non tantùm Pastores, sed etiam Doctores debent esse: vt videlicet quos pascunt exemplo, doceant verbo. Quod manifestè contra illos est, qui in Ecclesia magisterium assumunt, cùm ipsi in sacra scriptura cæci sint. Nam iuxta ipsam Veritatem, si cæcus cæcum duxerit, nónne ambo in foueam cadunt? Hæ autem Ecclesiæ admirationes, si cum interiori gratia charitatis, cæterarumque virtutum habeātur, proculdubiò magni meriti sunt: alias non iuuant habentes, sed potius nocent. Quid enim Iudæ profuit Apostolatus? Quid Balaam & Caiphę prophetia? Quid hæreticis profuit Euangelium scripsisse? Quid prauis magistris docuisse? Proinde fratres, nos qui in Ecclesia susceepimus administrationē, oremus nobis à Deo largiri gratiā interiorem, per quam dignè valeamus exterius administrare.

Matt. 15. Quādo iuuāt Ecclesiæ administrationes.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur ad quem vsum Dominus prædictas gratias hominibus dederit, cùm subditur. *Ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Ad quem vsum gratias illas dedit, in opus ministerij? Ad hoc quippè dedit homini Apostolatum, vt ipse annuntiet. Ad hoc dedit Prophetiam homini, vt ille futura prædicet. et. Ad hoc dedit Sapientiam homini, vt ille doceat. Quod apertè damnat illos qui in commissa administratione desides sunt. Locum Pastoris tenent, & non pascunt: stipendia prædicatoris accipiunt, & non prædicant: volunt vocari Doctores & non docent. Qui meritò secuti æternæ damnationis succidendi sunt, quia terram occupant, & fructum non faciunt. Et opus ministerij ad quid prodest? Ad consummationem Sanctorum, & ad ædificationem corporis Christi. Vt videlicet per ministe-

Apostolatus. Prophetia. Sapientia.

Opus ministerij ad quid prodest.

rium

rium Doctorum, & electi singuli, in quibus oportet, proficientur, & totum corpus Christi, id est, Ecclesia, in membris ædificetur, ne vel aliquibus membris Ecclesiæ aliquid desit: vel ipsi Ecclesiæ desit aliquod membrum. Deficientibus enim Doctoribus in Ecclesia, frustrantur electi doctrina: & impletur illud Propheticum, Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Et Ecclesia ipsa suis membris mutilata est, non habens linguam ad erudiendum, nec oculos ad viam videndam. Dicitur autem Ecclesia corpus Christi, quoniam Christus caput Ecclesiæ est quadam similitudine dictus. Cùm enim caput & membra vnius sint naturę, tamen caput præsidet, excubat, & regit omnia corporis membra à secretario cerebri sui, vbi est sedes sensuum, sapientiæ, & vigoris: diffundens per medullas beneficia vegetationis & sensus, ad inferiora membra sibi neruis & venis compaginata. Membra verò corporis totius, suo capiti parent & famulantur: capiti pariter & sibi inuicem colligata, sese coadiuuantia & subministrantia sibi. Sic fratres mei, sic Christus, vt esset caput nostrum, factus homo, vnius naturę nobiscum præsidet, excubat, & regit omnia membra Ecclesiæ. Et de thesauris sapientiæ & virtutis, gratiarumque suarum, infundit in inferiora membra sua sibi fide & dilectione compaginata. Quæ membra Ecclesiæ? id est, omnes quotquot sumus fideles, debemus capiti nostro Christo obedire & famulari, & ei per charitatem compaginari. Alias amittimus beneficia gratiæ suæ, & arefacti tanquam nociua membra amputamur à corporis Christi vnitate. Debemus quoq; fratres mei, ad inuicem, tanquam vnius corporis membra, per charitatis vinculum colligari, & nos ad inuicem coadiuuare, & alter alteri subministrare. Nunquid enim oculus sibi soli videt? imò & cæteris membris. Nunquid pes se solum portat? imò & cætera membra. Nunquid manus se solam defendit, vel sibi soli necessaria attrahit? Imò & cæteris membris. Similiter vnusquisque fidelis de gratia sibi à Deo data, non sibi soli, sed cæteris Ecclesiæ membris subministret. Sapiens, qui est quasi oculus Ecclesiæ, non sibi soli, imò etiam cæteris fidelibus sapiat & prævideat. Prædicator, qui est lin-

Doctores necessarij in ecclesia. Treno. 4.

Sapiens. Prædicator.

gua Ecclesiæ, non se solùm, imò etiam cæteros erudiat.

Plebs. Plebs verò inferior, quæ est quasi pes Ecclesiæ, non se solam, sed etiam totum corpus Ecclesiæ, suis sustentet laboribus.

Princeps. Princeps verò, qui est quasi manus Ecclesiæ, non se solum, sed etiam totam Ecclesiam defendat.

Sequitur pars quinta, in qua ostenditur quem finem prædictæ administrationes habere debeant, cùm subditur: *Donec et occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.* Porrò duplex finis hic notatur, & intentionis & cessationis. Ministri quippè sanctæ Ecclesiæ hac intentione prędictas administrationes debent administrare, non vt hic ditentur, non vt hic glorientur, non vt hic gulæ & ventri satisfaciant, sed vt cum plebibus suis sibi subiectis irreprehensibiliter possint occurrere Christo ad judicium suum venienti. Tunc quoque fratres mei, omnis talis administratio cessabit. Tunc enim Sancti non indigebunt corrigi, nec instrui, nec regi ab homine, quos præsentia diuinæ maiestatis illustrabit. Certemus ergo fratres, certemus omni solicitudine, vt simul Christo venienti irreprehensibiles possimus occurrere, & hoc in vnitate fidei & agnitione filij Dei. Duo quippè ponuntur hîc, in quibus vera beatitudo animarum cõsummabitur: vnio videlicet mentium & agnitio diuinæ Maiestatis. Porrò tunc non erit fides, quæ vmbratilis est, sed potius plenaria omnium scientia. Sed ideò dixit Apostolus, *in vnitate fidei*, quoniam illi soli qui hîc quantum possunt, fidei veræ obseruant vnitatem, ad illam plenariam peruenient mentium vnionem. Vbi Sancti cum Deo, & à Deo, in charitate vnientur, vt non nisi vnum & idem penitus velle queant. Vnde & si qua erunt singulorum propria, per charitatem erunt communia. Agnitio verò diuinæ Maiestatis & splendoris, in electis vitę beatitudinem consummabit. Iuxta quod Dominus ait: *Hæc est autem vita* *Ioan. 17.* *æterna, vt cognoscant te Deum verũ, & quẽ misisti Iesum Christũ.* Quanta fratres, quãta putatis dulcedo, quãta beatitudo erit, videre illam maiestatem, illum splendorem, in quem desiderant Angeli sancti conspicere, cuius visio & præsentia, omnem ignorantiam, miseriam, labem, & infirmitatem expellet. Sicut enim ferrum ex propinquitate

ignis

ignis ita inflammatur & igneſcit, vt non iam ferrum; ſed totum videatur ignis: ita ſpiritus Beati, ex præſentia diuini ſplendoris & caloris inflammabuntur, vt non iam creaturæ, ſed totæ diuinæ videantur: & hoc fiet in animabus. In corporibus verò occurremus in virum perfectum, in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti. Tunc enim perfecti erimus in membris, & in decore, & tam in viribus quàm virtutibus & in ætate. Vnde & ſubdit: *In menſura*, non quidem ſtaturæ corporis, *ſed plenitudinis ætatis Chriſti*. In plena enim ætate in qua Chriſtus erat, quando paſſus eſt, reſurrecturi ſumus. Ad illius igitur reſurrectionis ineffabilem beatitudinem fratres, toto deſiderio tendamus: ſpe illius vitam præſentem faſtidiamus, ſpe illius omnia tranſitoria contemnamus, ſpe illius omnia dura & aduerſa cõplectamur, vitia fugiamus, & bona facere contendamus: diſſolui & eſſe cum Chriſto cupiamus, vt tandem læti in gloria ſua eum videre mereamur: Ipſo præſtãte qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

Subleuatis Ieſus oculis in cœlũ dixit: Pater clarifica filiũ tuum, &c. Dominus & Redemptor noſter, fratres chariſſimi, inſtante iam ſua paſſione, fudit ad Patrẽ hanc, quam modò audiuiſtis, orationem. Cæterùm cùm filius ſit eiuſdem auctoritatis & potentiæ cum Patre, & ea quæ petebat æquè daturus eſſet, ſicut & Pater, quare poſtulauit à Patre: cùm poſtulare videatur eſſe minoris, impotentisque perſonæ? Triplici ratione, videlicet vt humilitatem & humanitatem pro nobis aſſumptam, in qua minor eſt Patre, verè in ſe exprimeret: Vt in hoc ſicut & in cæteris, ſemper Deo Patri deferret: Vt nobis exemplum & formam orandi demõſtraret. Nos quoq; fratres, Dei & Domini noſtri ſemper ſequentes exemplũ, humilitatem, vilitatemq; noſtrã ſemper profiteamur. Nihil nobis, ſed Deo patri omnia attribuamus, fratribus noſtris ſemper deferre ſtudeamus, deuotioni, orationiq; quę Chriſtianorũ inexpugnabile munimentũ eſt, nos aſſuefaciamus. Sunt autẽ huius lectionis duæ partes. In prima orat Dominus pro ſui clarificatione: In ſecũda pro ſuorũ conſeruatione. Ioan. 17.

Oraturus igitur Dominus, primò oculos suos ad cœlum subleuat: deinde Patrem inuocat, se etiam filium nominat, & sic demùm rogat. Quod ille fratres mei, verius facere potuit, qui oculos cordis sui semper ad cœlum erexit, & verè Deum Patrem habuit, & verè se filium exhibuit.

Mat. 17. Vnde & ei à Patre dictũ est, Tu es filius meus dilectus in quo mihi benè complacui. Nos tamen pro modulo nostro eum sequentes, oraturi prius subleuemus ad cœlum oculos cordis, & desiderij nostri, spei, & intẽtionis nostræ. Nam qui oculos suos statuerunt declinare in terram, ideò non merentur exaudiri. Inuocemus & Deum Patrem, credẽtes eum pium & paternalem affectũ gerere super nos: quòd nos primò creauit, posteà per sanguinẽ filij recreauit: quod nos gratis in filios adoptionis generauit, quod nobis cœleste regnum præparauit, quod super filiorum petitiones exaudiendas pius tanquam Pater sit. Qui enim hæc non credunt, non merentur exaudiri. Exhibeamus quoq; nos quantũ possumus, dignos Dei Patris filios. Exhibeamus, inquam, per dilectionem, obedientiam, & imitationem. Qui enim per contemptum & inobedientiam, prauosque mores degenerant, à Deo non merentur audiri. Si ergo fratres, oculos intentionis nostræ ad cœlum leuauerimus, si in Deum Patrem firmiter crediderimus, si nos dignos eius filios pro posse nostro exhibuerimus: tũc securè eum rogare poterimus. Porrò rogans Dominus primò exponit petitionem suam, secundò finem, tertiò modum, quartò vtilitatem, quintò meritum. Et petitionem quidem suam exponit, cùm dicit: *Clarifica filiũ tuum.* Verũ cùm filius Dei in deitate, qua Patri semper est æqualis, nec maior, nec sanctior, nec glorioſior esse possit, in ea non petiit glorificari, sed potius vel in humanitate, vel in operum claritate, vel in credentium fide, vel in iudicij potestate. Et quoniam ipse à desiderio labiorũ suorum fraudari non potuit, in his quatuor à Patre clarificatus fuit. In humanitate quippè clarificauit Pater filium, quando eum resuscitauit: & in carne glorificata eum ad dexteram suã collocauit: In operibus verò eum glorificauit, quando vel ante, vel post resurrectionem, miraculis & virtutibus cùm verum esse filium Dei demonstrauit. Vnde ipse

Filius à patre in quatuor clarificatur.
In humanitate.
In operibus.

per

per vocem de cœlo factam dixit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. In fidem etiam credentium eum clarificauit: quando credentes in eum sanctitate & opere claros fecit. Vnde & ipse filius, in sequẽtibus dicit: Et clarificatus sum in eis: videlicet in discipulis. In iudicij verò potestate, eum amplius clarificabit, quando ostendet eum iudicem omnium, iudicem saluantem suos, & damnantem reprobos. Finem verò petitionis suæ exponit, cùm dicit: *Vt filius tuus clarificet te.* Significat autẽ hæc coniunctio, vt, non solam consecutionem, sed etiam causam finalem & consequutionem quidem significat, quomodo cum Pater & filius tanquam relatiua sint simul naturâ & cognitione, cognito & clarificato filio, consequens est vt & pater cognoscatur & clarificetur. Rursus cùm pater & filius sint substantialiter similes, & in vno simul cognoscatur reliquum, consequẽs est vt cognito & clarificato filio, cognoscatur & clarificetur etiam pater. Causam verò finalem significat, quoniam hoc fine postulat filius clarificari à patre, vt in hoc clarificetur pater. Ac si dicat: Pater clarifica me ad laudem & honorẽ nominis tui. In quo fratres mei, dat nobis exemplum, vt quicquid volumus & petimus, non ad nostram, sed ad laudem & honorem Dei velimus & petamus, dicentes cum Psalmista: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriã. Clarificauit autem filius patrẽ tribus modis: eius nomen hominibus prædicando, in eius nomine signa & miracula faciendo, ei omnia attribuendo, & ad eum omnia referendo. Quem & nos imitantes fratres charissimi, clarificemus quantũ possumus, nomen Dei, eius gloriam semper prædicando in eius nomine bona pro posse nostro faciendo, omnia bona nostra ei attribuendo, & ad eum referendo. Modum quoque clarificationis exponit, cùm subdit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam,* subaudi, ita esse verum omnibus manifesta. Quod quidem in parte iam impletum est. Manifestum enim iam est fidelibus Christum habere à patre potestatẽ omnis carnis: & fidelibus, qui ab hoc seculo migrauerũt, iam dedit vitam æternam. In fine verò vniuersaliter omnibus erit manifestũ, quando iudex apparebit omnium,

Psal. 113.

Filius patrẽ clarificauit tribus modis.

dans suis vitam æternam, & reprobis pœnam, & tunc plenariè pater in filio, & filius clarificatus erit in patre. Potestatem verò dicit Christus sibi à patre esse datam, quoniam quæ erat ei, inquantum est Deus, natura, factum est ei inquantū est homo, gratia. Vtilitatē exponit, cùm subiungit: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Vtilitatem dico non suam, sed nostram. Ipse enim non nostri, vt alius indiget, cui dicit Psalmista: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non enim à nobis credi vel cognosci voluit propter se, sed propter nos. Ipse quippè cùm summe beatus esset, non indigebat à miseris cognosci, vel ad miseros accedere. Sed nos cùm miseri essemus, indigebamus summè beatum agnoscere, & ad eum accedere, aliàs non poteramus vitam æternam habere. *Quoniam hæc est*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Potrò cognitio patris & filij cum sancto spiritu, duplex est. Prima est in fide, altera in specie. Prima est in via, altera in patria. Prima est ænigmatica, altera aperta. Vtraque tamen suo modo potest vocari vita æterna, quoniam ad vitam æternam ducit. Cognitio verò speciei dicitur vita æterna, quoniam vitam æternam cōfert. Cognitio quippè & visio diuinæ maiestatis & gloriæ, omnem expellet ab electis miseriam, & omnem eis confert beatitudinem. Visio serenî & læti aëris, reddit hominem lætum: Quid ergo mirum, si diuinæ maiestatis incomparabilis iucunditas videntem iucundum efficiat? Visio solaris luminis & caloris, homines illuminat & calefacit. Et quid mirum si diuini splendoris & charitatis immensitas, præsentes illúminet & inflammet? Præsentia fragrantium aromatum quæq; proxima suauiter aromatisat: Quid mirum si diuitię suauitatis & fragrantiæ ineffabilitas præsentes aromatiset & delectet? Muficorum instrumentorum melodia, homines delectat audientes: Quid mirum si diuinæ consonantiæ harmonia ineffabilis præsentes alliciat & delectet? Mellis & nectaris dulcedo gustantes delectat: quid mirum si diuinæ bonitatis dulcedo admirabilis, gustantes pascat & delectet? Gustate & videte, inquit Psalmista, quoniam suauis

Psal. 15.

Cognitio patris & filij cū spiritu sancto duplex.

Psal. 33.

suauis est Dominus. Et si temporalia ista vilia & transitoria fratres charissimi, sic afficiunt, pascunt, & delectant: quàm incomparabiliter illa diuina iucunditas, ille splendor, illa suauitas, illa dulcedo suos afficiet, pascet, & delectabit in æternum? Et quidem comparatio terrenorum ad æternitatẽ nulla est, sed nos, vt possimus magnalia Dei potuis balbutinus quã eloquamur. Quoniam nec oculus vidit, *Esa.64.* nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę præparauit Deus diligentibus se. *1.Cor.2.* Meritum exponit, cùm subdit: *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* Christus quippe solus verè meruit & mereri potuit. Ad hoc quippe quod aliquis propriè mereri dicatur, duo concurrunt, videlicet vt sit auctor operis sui, & vt præ se habeat maiorem, apud quem mereatur. Nisi enim sit auctor operis sui, mereri non potest: quia nemo pro alieno debet opere coronari, nec damnari. Et nisi habeat præ se maiorem, meriri non potest: quoniam nemo meretur si non est à quo præmium præstoletur. Hac ergo ratione homo vel angelus mereri non potest, quoniam & si habeat præ se maiorem: tamen operis sui auctor esse non potest, quoniam omnium bonorum, quæ ipse fecit, non est auctor, sed tantum ministeꝛ, quoniam Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. *Rom.9.* Sed nec Deus pater vel spiritus sanctus mereri potest, quoniam & si sit auctor operis sui, tamen maiorem apud quem mereatur, non habet. Christus quoque solus est, qui inquantum Deus est, auctor operis sui esse potest. Et inquantum homo est, maiorem apud quem mereatur, habet. Christus ergo solus meruit & mereri potuit. Dicũtur autem Sancti mereri, quoniam & si non per se bona operantur, tamen Deo cooperantur: Et ideo cùm solum suum opus coronet Deus in nobis, dicuntur tamen pro meritis coronari: diuinam gratiam non nisi propriè merita nostra vocantes. Cùm *Tit.3.* apertè clamet Apostolus, quoniam non ex operibus iustitiæ, quæ facimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et exponens ergo redemptor noster meritum suum, ait: *Ego te clarificaui super terram.* Non ait in terra, quoniã in illis qui per contemptũ mundi

Quomodo sancti dicũtur mereri.

non in terra, sed super terram sunt, maximè Deus clarificatur, dum clarificat eos. Sed & ipsa opera, per quæ Deus clarificatur, non terrena, sed potius super terram sunt. Opus iniũctum consummaui, sed non ex me, quoniã tu ipse es, qui illud mihi iniunxisti: vt illud facerem, mihi dedisti. In quo confunditur illorũ superbia, qui opus suũ ex libero arbitrio, & ex propriis viribus se duxisse ad effectum opinantur. Filius Dei dicit sibi datum esse à patre, vt faceret quod fecit: & tu vermis insolens, dicis te ex te fecisse quod fecisti. *Et nunc*, inquit, *clarifica me tu pater apud temetipsum*: Ac si apertè dicat: feci quod iniunxisti: redde præmiũ quod merui. *Clarifica me apud temetipsum*: me scilicet per resurrectionem glorificando, & ad dexterã tuam collocando. *Claritate*, inquit, *quam habui antequã mundus fieret, apud te*: id est claritatem, quam semper habui & habeo apud te, me habere hominibus declara. *Manifestaui nomen tuum*, nomen scilicet paternitatis tuæ. Nam nomẽ diuinitatis aliquibus notum fuerat, sed quod haberet filium sibi consubstantialem, notum non erat: Quibus? *hominibus quos dedisti mihi de mundo*, id est, illis quos de massa præuaricationis segregatis, per fidẽ mihi coniunxisti. *Tui*, inquit, *erant* electione, *& mihi eos dedisti*, vocatione. Cùm filius possideat omnia eadem auctoritate cum patre, tamen in omnibus deferens patri, dicit patrem dedisse sibi tanquam homini, vel etiam tanquam filio. Quoniam quemadmoduum per natiuitatem Deus ex Deo, ita est habens ex habente.

Sequitur pars secunda, in qua filius interpellat patrem pro suorum conseruatione. Primò eorum meritum ostendendo, postea pro eis orando. Porrò meritũ eorum ostendit, cùm subdit: *Et sermonem meum seruauerunt*. In quo demonstrat nobis fratres mei, quod si volumus eum interpellare pro nobis apud patrem, eius sermonem obseruemus: quoniam qui filij sermonem aspernantur, frustrà eum apud patrem intercessorem præstolantur: quoniam sermo filij ex patre est. Vnde & subdit: *Et non cognouerũt quia omnia quæ dedisti mihi, sunt abs te*. In quo etiam illud intelligi datur, quoniam sicut mandata non obseruantur, nisi prius cognoscantur: ita nec perfectè possunt

cognosci,

cognoſci, niſi prius obſeruentur. Obſeruando quippè Euangelium, meremur vt ad interiorem eius intelligentiam penetremus, & vt illud non ab homine, ſed à Deo eſſe cognoſcamus. Vnde Propheta: A mandatis tuis intellexi. *Pſal.118.* Inde eſt quod qui negligunt Euangelium, illud non intelligunt: Et propter ſimplicitatem Euangelici ſermonis, illud non eſſe à Deo, ſed à ſimplicibus hominibus inuentũ putant. Cæterùm, ne diſcipuli blandirentur ſibi, putantes ſe, vel obſeruationem, vel cognitionem diuini ſermonis à ſe habuiſſe, addit: *Quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis*, non ſolùm in aure corporis, ſed etiam in aure mẽtis. Sed etiam in hoc quod dicit non ſua, ſed patris verba eis dediſſe: confundit illorum præſumptionem, qui non de diuina doctrina, ſed de ſuo ſenſu præſumunt populis annũtiare: Cùm dicat Dominus Prophetæ: Et tu annuntiabis *Ezech.3.* eis ex me. *Et ipſi*, inquit, *acceperunt*. Ac ſi dicat, & ſi omnino eis gratis datum eſt, tamẽ in hoc quod gratanter acceperunt & retinuerunt, meruerunt. *Et cognouerunt*, inquit, *quia à te exiui*: vel per æternam natiuitatem, vel per incarnationem. Et ne videretur iam percepiſſe illam apertam cognitionem, quæ erit in futuro, exponens dicit: *Et crediderunt* vere *quia tu me miſiſti*, id eſt incarnari conſtituiſti. Poſtea orans pro diſcipulis ſuis ait, *ego pro eis rogo, non pro mundo*, videlicet pro conſeruatione eorum. Et non tantùm pro eis (vt poſt exponit) ſed etiam pro eis qui crediturí ſunt per verbum eorum in me. In qua ratione fratres mei, etiam pro nobis orauit, ſi fidem & doctrinam Apoſtolorum ſectamur. *Non pro mundo*, inquit, *rogo*, id eſt pro amatoribus mundi. Quid eſt Domine Ieſu quod dicis? Nónne tu pro peruerſis hominibus & pro inimicis noſtris tu nos orare præcepiſti? Nónne tu pro peruerſis hominibus & amatoribus mũdi, id eſt, pro illis qui te crucifixerunt, ne amitterent locum & gentem, oraſti dicens: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt? Vtique. *Luc.23.* Sed pro illis quos in præſentia ſua ab amore mundi ad amorẽ Dei nouerat conuertendos, rogauit. Sed nos fratres, pro quibuſlibet peruerſis rogamus, quia cùm cõuerti omnes poſſint, tamen qui ſunt conuertendi, vel qui nõ, ignoramus. *Sed pro eis*, inquit, *quos dediſti mihi*: id eſt,

quos ab amore mundi segregans, meos per fidem & charitatem fecisti. Et tuum est Pater mi, exaudire me pro eis orantem, *quia tui sunt*, non solùm possessione, quemadmodū dicitur: Quia Domini est terra & plenitudo eius: nec solùm ministerio, quemadmodū dicitur: quia tribus Leui Domini est, sed etiam tui proprii æterna prædestinatione, electione, & dilectione. Et ne viderentur illi iā non esse patris, ideò quia dati à Patre ipsi Filio subdit: *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Nec mirum, si in dominatione & possessione vnum sint, qui voluntate maiestate, & substantia vnum sunt. In quo nobis demonstratur carnales quoq; fratres, patres, & filios, sicut sanguine, ita amore & possessione vnū esse debere. Patremq; abundantem, Filio mendicante: vel filium abundantem, patre mendicante pariter condemnari. *Et clarificatus sum*, inquit, *in eis*, id est in eis quos dedisti mihi, quos fide & operibus atque vita clarificaui, clarificatus sum. Clarifica quoq; & nos, quę sumus Domine Iesu Christe, vt & tu in nobis sanctificeris. Sanctifica, inquam nos, vt & tu in nobis sanctificeris. Clarifica opus tuum: vt in eo clarus artifex appareas. Sanctifica seruos tuos, vt in eis clarus Dominus appareas. *Et iam*, inquit, *Ego non sum in mundo.* Quare? quoniā per passionem, resurrectionem, & ascensionem ad te venio. *Et hi*, inquit, *in mundo sunt*, id est in inundanis tribulationibus sunt diutius permansuri, quia ad Euangelium prædicandum necessarii sunt: Et ideò pro eorum conseruatione, ego te rogo. Roga quoque Patrem Domine Iesu Christe pro nobis, qui adhuc in hoc nostro mundo sumus, qui hinc à maligni spiritibus infestamur, à propriis concupiscentiis superamur, à mundanis tribulationibus quassamur: iamque periclitantes clamamus ad te, qui iam in hoc mundo non es, qui iam ad dexterā Patris coæqualis residēs, qui spiritus, carnē, tempestatesque in manu habes, te adiutore semper inuocamus, ad te sint semper oculi nostri ne pereamus: spiritibus impera, carnem frena, tēpestates sedā, ad te nos guberna, vt semper te videre & benedicere mereamur vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

IN

IN ASCENSIONE DOMINI.

PRimum quidem sermonem feci de omnibus (ô Theophile) quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est, &c. Euangelicam & Apostolicam historiam fratres charissimi, scripsit Lucas Euangelista, rogatu Theophili viri religiosi. Vnde transiens de vna ad alteram primò transitu vtitur, in quo dicta dicentis continuat: secundò, prædicta breuiter epilogat: tertiò, ab Ascensione Domini Apostolus historiam inchoat. Vtens igitur primitus transitu ait: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile.* Vocat autem primum sermonē Euangelium. Primum: & quantū ad ordinem scribendi, & quātum ad dignitatem. Præcellit quippè Euangelū dignitate suæ materiæ, omnibus scripturis tam veteribus quam nouis. Sermo autem dicitur à sero seris, Euangelium autem dicitur sermo, quoniam seritur in cordibus fideliū. Vnde & iuxa Euangelicam parabolam Verbum Dei semen bonum dicitur: quod cùm cadit in bonam terram, facit fructum, aliud quidem tricesimum, aliud sexagesimū, aliud centesimum. Vtinam fratres charissimi, Christus seminet hodie semē Euangelii sui in corda vestra per os nostrum, & faciat illud fructificare in vobis fructum centuplum, qui solus potest: Quoniam neq; qui plantat, neque qui rigat aliquid est: sed qui incrementum dat Deus. De qua verò materia fecit sermonem, ostendit cùm subdit: *De omnibus quæ cœpit Iesus facere & docere.* De operibus enim & doctrina Christi totū Euangelium contextū est. Omnis enim Christi operatio & eruditio, animæ Christianæ est cibus & informatio. Quando enim Christus tacebat, instruebat operādo. Et quando non operabatur, instruebat & docebat. Ordo quoque congruus est. Primò enim cœpit facere, & postea docere. Et quod prius ostenderat exemplo, pòst ostendebat verbo. Dans exemplum discipulis & prædicatoribus suis, eundem ordinem obseruandi. In quo mea, & mei similium confunditur præsumptio, qui multa vobis prædico, quæ tamen non facio. Sed vtinam fratres, per vestras orationes ipsa cōfusio generet in me pudorem, pudor correctionem, correctio emendationem,

Act. 1.

1. Cor. 3.

Facere & docere.

tionem, vt quod prius non feci, saltem postquàm prædicauerim, facere incipiam. Et quid est fratres quod ait Euã-
Ioan. vlt. gelista. Quare fecit sermonem de omnibus quę cœpit Iesus facere & docere. Et quis hoc possit, præsertim cùm dicat Ioannes Euangelista, quod si opera Christi per singula scribantur, non arbitror mundum capere qui scribendi sunt libros. Sed puto fratres, quia cùm ait omnibus, non ad singula generum, sed ad genera singulorum referendum est. Etsi enim nõ de omnibus omnia, saltem de omnibus aliqua scribere potuit. Scripsit quippè de operibus, de prædicationibus, de itineribus, de passionibus Christi, & de cæteris quæ necessaria erant humanæ saluti. In quo terminauerit primum sermonem, ostendit cùm dicit: *Vsque in diem qua præcipiens Apostolis*. Et quid præcipiens? Quod Apostoli post eius ascensionem facere deberent. Quod verò ait: *per Spiritum sanctum*: ad vtrumque, siue Apostolorum electionem, siue ad eius ascẽsionem referri potest. Vtraque enim per Spiritum sanctum impleta est.

Sequitur pars secunda, in qua Lucas prædicta recapitulat, dicens: *Quibus & præbuit seipsum viuum*. Qui sunt illi? Illi soli quos elegit. Nam alij non fuerunt digni, quibus Dominus se rediuiuum exhiberet: Præbuit autem seipsum rediuiuum diuina potestate, quam cum Patre & Spiritu sancto habet communem. Iuxta quod ipse prædixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, &
Ioan. 10. iterum sumendi eam: Qua potestate omnes defunctos exhibebit rediuiuos, post passionem suam propriam, &
1. Pet. 3. omnibus aliis dissimilem. Ipse enim solus nostra peccata, non sua tulit super lignũ. *Per dies quadraginta apparens eis*. Quare fratres charissimi, Christus non statim post resurrectionem, sed post multos dies ascendere voluit in cœlum? Vt per frequẽtem apparitionem, fidem resurrectionis in Apostolis confirmaret. Et quare post quadraginta dies? Vt discipulos, quos per quadraginta horas mortuus
Ioan. 16. mœstificauerat, per totidem dies rediuiuus lætificaret, iuxta quod eis promiserat, quod tristitia eorũ verteretur in gaudium. Simul etiam vt per Sacramentum quadragenarii, qui ex decẽ per quatuor multiplicatus perficitur, impletionem decalogi per Euãgelium in eis se perfecturum

signi-

significaret. Apparuit autem in multis argumentis. Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem. In multis verò argumẽtis apparuit, quoniã multis probationibus fidem suæ resurrectionis in eis cõfirmauit. In hoc videlicet quod se obtulit ad videndum, ad audiendum, ad contrectandũ: quod iuit & rediit inter eos, quod loquutus est, quod comedit & bibit. Vnde Ioannes & audacter & apertè loquitur. Quod fuit, inquit, ab initio: quod vidimus & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt. Et quæ fratres mei, quæ resurrectionis ambiguitas post tanta probationum argumenta in cordibus discipulorum potuit remanere? Ad hoc etiam facit quod subditur: *Et loquens de regno Dei.* Sicut enim semper ante passionem suam de regno Dei loqui consueuerat: ita & post semper de eodem loquebatur. Vnde & in similibus verbis, similique benedictione & fractione panis à duobus discipulis in Emaus agnitus est. In quo omnibus, & præcipuè illis qui in Ecclesia locum eius tenent, exemplum relinquit, vt nunquam de vanis, nunquam de otiosis, nociuisque sermonibus, sed semper de regno Dei, & de his quæ ad illud spectant, loquantur.

Argumẽtum quid.

1. Ioan. 1.

Luc. 24.

Sequitur pars tertia, in qua historiam dominicæ Ascensionis largius prosequitur, subdens: *Et conuescens præcepit eis, &c.* Pensemus fratres quantæ dulcedinis fuit hoc hodiernum & extremum conuiuium. Fuit quippè conuiuium charitatis, conuiuium gaudij, conuiuium eruditionis. Sicut enim aliquis paterfamiliâs peregrè profecturus, extremum conuiuium suis amicis & familiaribus conuocatis, cum eis carius celebrat, & quomodo res suas ordinare debeant, eis mandat. Ita summus Dominus dulcius & tenerius extremũ conuiuium cum suis celebrauit, & quid agere deberẽt eis præcepit. Vnde & subditur: *Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederẽt.* nec à loco, nec à significato discederẽt, scilicet à communitate & communione, ne discederent à visione & desiderio pacis: *sed expectarent promissionem Patris*: Quæ vtique promissio & mea est: quia eam *audistis*, inquit, *per os meum.* In quo monemur & nos fratres ne à communione Ecclesiæ recedamus & pacis, si Spiritus sancti gratiã in nos aduenire desideramus.

A cõmunione Ecclesiæ non recedendum.

In diuisis enim & in inquietis cordibus, non potest habitare Spiritus sanctus. Quas autē gratias per Spiritum sanctum erant accepturi, subsequenter ostendit, emundationis scilicet virtutem, & testificandi audaciam. Et de emūdatione ostēdit, cùm subdit: *Quia Ioānes baptizauit aqua*, subaudis sola. *Vos autem non post multos hos dies, baptizabimini Spiritu sancto*, peccata scilicet vestra à vobis emundante, & ignorantiā vestrā illuminante. Quia verò quidā Iudæi audierant eum loqui de regno Dei, & de impletione promissionis Patris: Interrogant eum, si in tempore hoc restituturus esset regnum Israel, temporale. s. & mundanum, quod adhuc expectāt Iudæi venturum: non memores, quia Dominus responderat Pilato, regnū suum non esse de hoc mūdo. Quorum simplicitatem Dominus
Ioan. 18. redarguit dicens: *Non est vestrum nosse tempora, &c.* scilicet ventura: *vel momenta*, id est, venturas rerum mutationes: *Quæ pater posuit in sua potestate.* In quo illos manifestè damnat, qui tempora, & euentus futuros per augúria, & sortilegia, atq; diuinationes inquirūt. Hoc enim facinus est magnum, & tam in veteri quàm in nouo testamento prohibitū. Et qui hoc faciunt, duplex damnū incurrūt, & hîc deceptionē, & in futuro damnationē. Deinde secundam gratiam, quam Spiritus sanctus erat eis collaturus ostendit cùm subdit: *Sed accipietis virtutem Spiritus sancti*, ad duplicem scilicet vsum, ad vestri sanctificationem & ad signorum, miraculorumque ostensionem. Tertiam quoque gratiam subiungit cùm dicit: *Et eritis mihi testes*, bene viuendo, audacter nomen meum prædicando, mirabiliter operando, fortiter pro me moriendo. *In omni Iudæa & Samaria, & vsque ad extremum terræ.* Quasi diceret: Salutem quam operatus sum in medio terræ, prædicabitis primò domesticis, deinde vicinis, postea remotis & extremis. Vtinam fratres mei, & in nos spiritus sanctus descendens, det nobis & peccatorum emundationem, & virtutum sanctificationem, & prædicandi fortitudinem & audaciam: vt abiecta terrena cupiditate & fortitudine, verbum Dei coram Regibus & tyrannis & iniquis constanter prædicemus. *Et cùm hoc dixisset*, subaudi, & eduxisset eos in montem Oliueti. Ob hoc quippè

fratres,

fratres, hodie solennis processio rectè fit ad memoriam illius processionis, quam hodie redemptor noster in mōtem Oliueti fecit: Qui discipulis suis chara pacis oscula relinquens, & eis benedicens: *videntibus illis eleuatus est*, vt visam eius ascensionem testificari possent. Sed à quo eleuatus est? Nunquid fratres mei Dominus tanquā impotens, auxilio indigebat alieno, quo eleuaretur, sicut Enoch, qui legitur translatus, Et sicut Helias, qui legitur curru transportatus? minimè. Illi enim tanquam puri homines, nec etiam per cœlum aëreum in paradisum terrenam, per se transire poterant. Sed redemptor noster tanquam verus Deus, se in cœlum empireum, sua eleuauit potentia. Eleuatus est igitur ipse homo, à se Deo. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Porrò hæc nubes tulit ei non adiutorium, sed ministerium. Elementa quippè suo creatori famulantur. Marmor montis vnde Dominus ascendit, seruat vsque hodie vestigia pedum eius tanquam ceræ impressa. Quod vt paumentum, ferrum non sinit sibi apponi, sed repellit. Nubes, id est, aër condensatus, tanquam baiulus, eum susceperit. Cœli cœlorum tanquam Dominum eum susceperūnt. Rationalia animalia, id est, Angeli & homines, visam sui Domini ascensionem testificantur, pariter & admirantur: Vnde & subditur, *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, &c.* Quæ causa fuit mei extitit, quod discipuli tam attentè Dominum contemplabantur ascendentem? Multiplex Amor, tristitia, gaudium, admiratio, desiderium, spes. Amor, quia quantum possumus amata concupiscimus. Sicut enim amici amicum transfretantem, quamdiu possunt, de specula prospiciunt: & quando amicum videre non possunt, prospiciunt nauem. Ita discipuli amantissimum Dominum ascendentem contemplati sunt, quamdiu potuerunt. Et quando ipsum iam non poterant contemplari, contemplabantur nubem: Et quando nec iam nubem poterant contemplari, contemplabantur viam. Tristitia, quoniam de eius corporali recessu, quem adeò diligebant, non poterant non contristari. Gaudium, quoniam de glorificatione & exaltatione eius, quem adeò diligebant, ineffabiliter gaudebant. Admiratio, quoniam supra modum

Quare fit processio in die Ascensionis.

admirabantur humanã naturam primò sic humillimam, modò super omnes cœlos sic sublimatã. Desideriũ, quoniam desiderabant eũ toto affectu subsequi, & si corpore in terra retinebantur, tamen cum mente in cœlum sequebantur, & cum eo in cœlo simul habitabant. Spes, quoniã sperabant quo suum & summum caput præascenderat, se inferiora membra conscensuros. Et dum hæc fiunt: *Ecce duo viri*, id est angeli in specie virorum. Duo, vt in ore duorum vel trium testium staret omne verbum. *Astiterunt*, vt se comministros ostenderent. *Iuxta illos*, vt videlicet homines per ascensionem Christi iam sibi adæquatos & appropriatos, demonstrarent. Vnde & de cætero se ab hominibus non permittunt adorari, *qui & dixerũt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* quasi stupidi & per excessum in cœlum raptis? viri autem vocantur, quoniam virtutibus viriles erant. Galilæi dicuntur, quoniam spe & desiderio ad cœlum transmigrabant. Stantes verò erant. Quoniam ad sequendum Dominũ suum mente iam parati erant: *Quid statis aspicientes in cœlum?* Hæc interrogatio non est inquirentis vel increpãtis, sed potius erudientis, hoc est quod sequitur. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum.* Quasi dicat, non expectetis nũc eum rediturum vel nunquam. Veniet enim non in præsentiarum, sed in fine ad iudicium. *Veniet* autem sic, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, id est, ita apertè, ita gloriosè, ita cum nubibus, ita cum ministerio angelorum, ita vobis dulcis & lætus. Quem vt nos quoque cum ipsis læti & securi videre mereamur: simus interim sicut & ipsi viri spiritualibus virtutibus, simus Galilæi, spe & desiderio ad cœlestia transmigrantes, simus stantes & parati ad eum sequendum. Simus quoque aspicientes in cœlum plus oculis mentis quàm corporis, terrena omnia despicientes, omnem sordem euitantes, mente tota iam cum Christo in cœlestibus habitãtes. Appropiemus quantum possumus mente ad eum, vita & desiderio atq; operibus: Vt tandem læti ad eum contendamus ipso duce, qui hodierna die ascendens in cœlum, sedet ad dexteram Patris, cum eo & Spiritu sancto viuens & regnãs in æternum. Amen.

Viri Galilæi.

IN

IN ASCENSIONE DOMINI.

Nouissimè recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus. Historiam Dominicæ Ascensionis, fratres charissimi, quæ die celebrata est hodierna, exponit in prælibata lectione Marcus Euangelista. Distinguitur autem lectio ista capitulis sex. Primò Dominus apparet discipulis suis: secundò eos increpat; tertiò eos instruit: quartò opem promittit; quintò in cœlum ascendit: sextò, ostenduntur discipuli Domino paruisse, ipso cooperante. Describit igitur primùm Euangelista Dominum apparuisse, cùm dicit: *Nouissimè recumbentibus, &c.* Porrò nouissimè, id est, quadraginta dierum, nouissimo die, id est hodierno, Dominus apparuit vndecim discipulis suis recumbentibus cum beata virgine, cæterisque simul cum eis conuersantibus. Nec solùm eis apparuit, sed etiam teste alio Euangelista, cum eis manducat. Sed quare fratres mei, Dominus mox in cœlum ascensurus, cum non indigeret, manducauit? Ob tres causas. Vt per comestionem veritatem carnis suæ, quam in cœlo sublimaturus erat, demonstraret. Vt mox recessurus dilectis suis desideratam suæ præsentiæ copiam, in extremo largius exhiberet: vt charitatis dulcedinisque suæ memoriam in suorum pectoribus per extremi familiaritatem conuiuij arctius infigeret. Pensemus ergo fratres, quantæ pietatis, quantæq; dulcedinis fuerit istud extremũ conuiuium hodiernum. Quemadmodum namque aliquis paterfamiliâs peregrè profecturus, suisque vale facturus, suos amicos & familiares conuocat: cum eis extremum cõuiuium celebrat, eis maiorem in fine dilectionem demonstrat, cum de rebus suis ordinat. Ita facit hodie Dominus & redemptor noster in cœlum ascensurus cum chara matre, charisque discipulis suis extremum conuiuium celebrauit: eis maiorem in fine dilectionem exhibuit. Quid post ascensionẽ suam agere deberent, præcepit, vt sequentia demonstrant. *Mar.16.* *Luc.14.* *Quare Christus in cœlum ascensurus manducauit.*

Sequitur pars secunda, cùm subditur: *Exprobrauit illis incredulitatem illorum & duritiam cordis: Quia his qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant.* Exprobrare est vitiũ alicui improperare. Porrò improperant quidam *Exprobrare quid.*

quidam palam alicui, quem non diligunt, vitium suum, causa odij & diffamationis, quod non bonum, imò maximum malum est. Cæterùm qui Domini vult exemplum sequi, exprobret peccatori vitium suum familiariter, sola charitatis, correctionisque causa. Exprobratio namque palam facta, quoniam non ex fonte charitatis, sed odij videtur manare, peccatorem non emendare solet, sed potius prouocare. Sed exprobratio seorsum facta, quia de bono zelo procedere videtur, peccatorem nobis amicat & emendat. Sanè non omnis qui aliquid non credit, incredulus est: sed ille vero nomine incredulus dici potest, qui non credit quod credere debet, præsertim cùm sufficiens testimonium habeat, cui iure fidem debeat adhibere. Quales fuere quidam discipulorum, qui Dominum verè resurrexisse non credebant, licèt alij discipuli, qui Dominum iam rediuiuum viderant, trectauerant, & cum eo manducauerant & biberant, eis Dominicæ resurrectionis sufficiens testimonium ferrent. Tales quoque sunt vsq; hodie miseri Iudæi, qui nec propter suorũ Prophetarum, nec propter Apostolorum & Euangelistarum, nec propter signorum, miraculorumque testimonia, Dominicam credere volunt resurrectionem. Nascitur autem talis incredulitas ex cordis duritia, quod nulli credere vult nisi sibi: putans omnes præter se aut deceptos aut falsos esse. Sed fratres mei, sicut stulta credulitas est cuilibet credere: ita praua incredulitas est nulli credere. Vnde Ioannes, Nolite, inquit, omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint; quasi diceret: Postquã probaueritis quòd spiritus ex Deo sint, eis fidem adhibete. Sed fratres mei, quare Dominus electos discipulos suos permisit de sua resurrectione tamdiu dubitare? Non hæc frustrà, sed prouida & vtili nobis hæc permisit dispensatione. Plus nobis quippè profuerunt illi qui tardè & vix crediderunt, quàm illi qui statim crediderunt. Credituli nempè facilè credunt, etiam rei nondum probatæ. Incredituli verò econtrà, rei multis modis probatæ vix credere volunt. Quis ergo non credat, quòd etiam incredituli non credere non potuerunt? Quis non credat quod Thomas incredulus, visu propriori, & attrectatu manus diligenti credere compulsus

Incredulitas nascitur ex cordis duritia.

1. Ioan. 4.

Quare dominus electos discipulos permisit de sua resurrectione dubitare.

Credituli. Incredituli.

pulsus est ? Quis non credat, quod Paulus incredulus & fidei persequutor, à Domino sibi loquente prostratus, excæcatus, & post ab eodem reilluminatus credere coactus est ? Credamus ergo fratres, absque dubitatione, quod etiam increduli crediderunt, & agamus Deo gratias, qui ideò discipulos suos dubitare voluit, ne nos dubitaremus: ideò eos ad tempus incredulos esse voluit, ne nos increduli essemus. *Act. 9.*

Sequitur pars tertia, in qua Dominus discipulos suos, quid post ascensionem suam agere debeant, instruit, dicens: *Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* Discipuli prius à Domino electi & edocti, post ad prædicandum missi sunt. In quo confunduntur illi, qui antequam docentur, docere & prædicare præsumunt: antequam sint discipuli, fiunt magistri. Confunduntur quoque & illi, qui nec vocati, nec missi, sua auctoritate magistrare & prædicare præsumunt, non attendentes quod ait Apostolus: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ? *Ite*, inquit, *in orbem vniuersum*. Ecce fratres, quàm magnus ager, quàm paucis colonis traditur ad colendum. Et revera Dominus alibi dicit, Messis quidem multa, operarij autem pauci. Propterea prohibetur eis, ne aliquid ferant in via, & ne aliquem salutent: vt videlicet expeditè & sine cunctatione proficiscantur, & iniunctæ prædicationis officium festinanter prosequantur. Sed & in hoc nobis sequacibus prædicatoribus proponitur exemplum, ne nos oneribus secularium negotiorum oneremus: ne fabulationibus & vaniloquiis tempus consumamus, sed expeditè & festinanter officio prædicationis insistamus. *Prædicate*, inquit, *Euangelium*, non aliam doctrinam. In quo confunduntur illi, qui omissa Euangelica doctrina, ex se & aliena noua præsumunt populis prædicare: cùm dicat Dominus per Prophetam: Annuntiabis eis ex me, *Omni creaturæ*, id est, homini, propter quē omnis creatura facta est, in quo omnis creatura per naturarū participationē contenta est. Habet enim esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum pecudibus, discernere cum Angelis. Itaq; fratres, quoniam propter excellētiam omnis creatura vocamur: Dominum *Rom. 10.* *Luc. 10.* *Ezech. 3.*

quod ex natura super creturas habemus moribus vendicemus: dominemur rebus temporalibus per rectũ vsum, rectamque dispensationem: non subdamus nos turpiter illis, vt quidam faciunt, per cupiditatem & auaritiam: de cuiusmodi scriptum est: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Quam autem acquiescentes predicationi vtilitatem consequantur, ostenditur cùm subiungitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. At dicit aliquis: Ego credo & baptizatus sum, ergo saluus ero. Verum frater, dicis, si tenes pactum quod in baptismo pepigisti. In baptismo quippè promisisti te abrenuntiaturum diabolo, pompis, & operibus eius. Si autem ad opera diaboli relapsus es, pactum fregisti, & fides & baptismus tibi inutilis factus est. Scriptum est enim: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid prodest ei lauatio eius? Fides quoq;, teste Iacobo, sine operibus, mortua est. Paulus etiam de credentibus & opera fidei non facientibus, ait, Confitentur verbis se nosse Deum, factis autẽ negant. Itaque fratres mei, si verè creditis, & pactum baptismi inuiolatũ tenetis, proculdubiò salui eritis. Si autẽ baptismi, fideique pactum rupistis, festinate fratres, festinate per lachrymas pœnitẽtię illud quantocius renouare, quoniam diuina misericordia, nec etiam illis salutem denegabit, qui post lapsum per veram pœnitentiam resurgunt. Quid verò non acquiescentes prædicationi consequatur, ostenditur, cùm subditur: *Qui verò nõ crediderit, condemnabitur*. Non autem ait, qui non crediderit, nec baptizatus fuerit. Quoniam sine fide, nec baptismus, nec opera prosunt. Tria ergo fratres mei, sunt ad habendum nobis adultis necessaria: fides, baptismus, & opera. Quorũ vnũ sine reliquis, nihil potest valere nobis.

Psal. 48.

Eccle. 34.

Iacobi 2.

Tit. 1.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus promittit prædicationem discipulorum se per signa confirmaturum, dicens: *Signa autem eis qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient*, ab obsessis scilicet corporibus. *Linguis loquentur nouis*, id est, variis, & inauditis: de quibus in actibus Apostolorum legimus: Nónne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo nos audi-

Act. 2.

audiuimus vnusquisq; linguam suam in qua nati sumus? Parthi & Medi, &c. *Serpentes tollent.* Sicut legimus de beato Hilario, quòd eo viso serpentes in fugam conuersi sunt, non tolerantes eius aspectum. *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Sicut legimus de B. Ioanne Euangelista, qui venenum quo alij extincti erant, bibit: & non solùm illæsus mansit, sed etiam extinctos suscitauit. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Sicut legimus de B. Petro, qui non solũ tactu, sed etiam vmbra sua infirmos sanauit. Sed nunquid fratres mei, nos qui nũc hæc signa non facimus, fideles non sumus? aut si fideles sumus, quare hæc signa non facimus? Quoniam signa & prodigia propter incredulos data sunt, vt per ea ad fidem adducerentur: Teste Doctore gentium, quoniam linguæ datæ sunt in signum non fidelibus, sed infidelibus. Quoniã igitur in primitiua Ecclesia necessaria erant miracula, operabatur Dominus multa miracula, etiam per quosdam solo nomine Christianos. Quibus in fine dicẽtibus: Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, multasq; virtutes fecimus: dicturus est Dominus, nescio vos. Nunc verò quoniam fides per vniuersum mundum excreuit, quoniam signa inter fideles non sunt necessaria, multi sunt, qui corã Deo interioribus coruscant virtutibus, & tamen exterius miracula non operantur. Plantas quippè nouellas irrigamus, eisq; adultis cessamus, Sic nouellã Ecclesiã miracula nutrierũt, ea cõfirmata cessauerũt. Cęterũ fratres, licèt exteriora signa nunc nõ operemur, tamẽ opitulãte Deo, spirituales virtutes, quæ hic non tantã habent gloriã, & ideò maioris sunt meriti, possumus operari. In nomine quippè Christi spiritualiter dęmonia eiicimus, si orationibus, correctionibus, atq; exhortationibus, peccatorem à dominio diaboli & peccati liberamus, & Deo lucrificamus. Linguis loquimur nouis, si vetustate mendacij, detractationis, adulationis, vaniloquij, cæterorumq; vitiorũ exuta, nouis & puris laudibus, Deũ laudamus, & sanctis, nouisq; sermonibus impios corripimus & docemus. Serpẽtes tollimus, si quantũ possimus, malitiã serpentinã à cordibus malitiosorum, increpationibus, minis, & promissis, eliminamus: vel certè ne noceãt aliis, repulsamus. Mortiferũ bibimus,

D. Hilarius.

D. Ioãnes.

In primitiua ecclesia necessaria erant miracula.

& nobis non nocet, cùm audientes detractionem & malitiam, nequaquam acquiescimus, sed potius repellimus & increpamus. Super ægros manus imponimus, & benè habēt, cùm nobis super infirmos animos & dolentes, manum consilij & auxilij adhibentibus, conualescunt & confortantur. Huiusmodi virtutes, fratres charissimi, æmulemur, & habere cupiamus, quæ sanctitatē efficiunt potius quàm exteriora miracula, quæ sanctitatem non efficiunt,
Mat. 11. sed tantùm ostendunt. Ioannes quippè Baptista, quo maior, teste Domino, de muliere non surrexit, testantibus Iudæis, nullum signū fecit, qui tamen nulla virtute caruit.

Sequitur pars quinta, cùm subiungitur, *Et Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis*: subaudis, & eos eduxit in montem Oliueti, eisque osculum pacis & benedictionē dedit. *Assumptus est in cœlum*, non auxilio alieno (vt Enoch & Elias) sed ipsē homo à se Deo assumptus est. Nec in cœlo tantùm aereo, vt Enoch & Elias, sed potius in cœlum, imò super cœlos, super Cherubin & Seraphin, superque omnem creaturam. Vnde Propheta, Psal-
Psal. 67. lite, inquit, Domino qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem. Super enim cœlos cœlorū Dominus ascendit, qui omnem altitudinem sibi subiecit. Ad Orientē verò ascendit, qui ad illam æternam & inaccessibilem lucem, de qua omne lumen oritur, hodie corporaliter venit. *Et sedet*, inquit, *à dextris Dei*. Sedere fratres mei, quiescentis, regnantis, & iudicantis est. Benè ergo Redemptor noster post passionem, ascensionemq; suam sedere describitur: quoniam post laborem requiescit, post prælium regnat: postquā iudicatus est, iudicat. In quo fratres, nobis exemplum proponitur, quoniam si hic ad imitationē Redemptoris nostri laboramus & patimur, cum eo requiescemus: si ad imitationem eius cōtra diabolum pugnamus, cum eo regnabimus: si ad imitationem eius hic iudica-
Ioan. 12. mur, cum eo iudicabimus. Vnde ipse ait, Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Simus ergo fratres, participes laboris, si volumus esse participes honoris. Simus consortes pœnę, si volumus es-
Act. 7. se cōsortes gloriæ. Sed quare fratres, Stephanus post ascen tionem videt filium hominis stantē à Dextris Dei? Quo-

niam

niam Stephanus erat in certamine pro nomine eius, & ideò videt eum ſtantem tanquam paratũ ſibi adiutorem. Nos quoq; fratres mei, ſi pro eius nomine certauerimus, quamuis ipſe iam regnans ſedeat: ſentiemus tamen eum ſtantem, id eſt, paratum nobis ferre opem. Rurſus quare deſcribitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſedere a dextris Dei, cùm Deus Pater nec dextram habeat, nec ſiniſtram? Sed nomine dextræ, æternæ beatitudinis gloria figuratur. Vnde Dominus dicit ſe oues in iudicio ad dextram conſtituturum. Itaque Redemptor noſter à dextris Dei dicitur ſedere, quoniam regnat in patris gloria & maieſtate. Per ſeſſionem quoq; dextræ, æqualitatẽ ſolemus intelligere. Illum enim quem ad dextram noſtram ſedere facimus, quaſi honore nobis adæquamus. Chriſtus ergo rectè dicitur ad dextram Patris ſedere, quoniam cum eo regnat in gloria & maieſtatis æqualitate. Vt ergo nos hortatur Pſalmiſta, Pſallamus Domino qui aſcendit ſuper cœlos cœlorum ad Orientem. Pſallamus, inquam, Domino, non mundo, non vanitati ſeculari, quorum gaudium vertetur in mœrorem: ſed Domino, qui ſicut non ſibi, ſed nobis natus & paſſus eſt, ita & nobis reſurrexit, & nobis ſuper cœlos aſcendit. Gaudeamus fratres, quoniam natura noſtra, cui dictum erat, Terra es, & in terram reuerteris: hodie ſuper omnem cœlorum altitudinem eſt exaltata, & ad dexteram Dei Patris collocata. Gaudeamus, inquam, quoniam qui in cœlo Iudex ſedet, naturæ particeps, noſterq; aduocatus eſt. Gaudeamus quoniam Angeli, iam nõ vt olim, nos homines aſpernãtur, ſed potius venerantur, quorum naturæ ſuper ſe ſublimatæ, famulantur. Gaudeamus quoniam aditum regni cœleſtis Chriſtus nobis reſerauit: quem ſi verè dilexerimus, proculdubiò quò ipſe nos præceſſit, perueniemus

Mat.25.

Pſal.67.

Gen.3.

Sequitur pars ſexta, in qua diſcipuli deſcribuntur Domino parũiſſe, cùm ſubiungitur: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique.* Quoniã vt prædictũ erat de eis: In omnem terrã exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ. Sed nunquid fratres, hoc ex ſe potuerunt? Audi ſequẽtia: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Dominus quippè, qui diſcipulis ire & prædicare iuſſit,

Pſal.18.

iussit, ipse eis & velle & facere dedit. Ipse eis prædicãtibus verbum ministrauit: ipse prædicationem eorũ, virtutibus & miraculis confirmauit. Ipse animos auditorum præparauit, & ad credendum inclinauit. Iuxta quod ipse dixerat
Ioan. 15. eis, Sine me nihil potestis facere. Quod planè contra illos est qui quod acutè sapiunt, quod persuasibiliter perorant, quod fortiter agunt, naturali ingenio & eloquentiæ, viri-
Psal. 11. busq; propriis potiùs quàm Deo ascribunt, quasi dicerẽt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Cùm è contrario clamet
Rom. 6. Paulus: Non est volentis velle, neq; currentis currere, sed miserentis Dei. Ipse quippè primò bonam voluntatem operatur in nobis sine nobis: posteà bonum opus cooperatur nobiscum, quod per misericordiam suam remunerabit in nobis, ac si ex nobis solis processisset. Vtinam fratres mei, ipse qui misit me hodie ad prædicandũ vobis, cooperetur mecum, dans sermonem rectum & benè sonantem in os meum. Dans & vobis cor docile ad intelligendum: Confirmetq; sermonem meum, vt quod prædicaui vobis, & in me confirmetur moribus & factis, & in vobis signis compunctionis & emendationis, quatenus ad illa gaudia sempiterna cõscendere mereamur, quo ascendit hodierna die Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia seculorum secula. Amen.

DOMINICA I. POST ASCENS.

1. Pet. 4. *ESTOTE prudentes, & vigilate in orationibus, &c.* Hac in in lectione fratres charissimi, intendit Apostolus Petrus nos instruere in moribus. Hortatur quippè nos ad quinque: ad prudentiam, ad orationem, ad charitatem, ad opera misericordiæ, ad referendum semper ad Dominum quodcunq; facimus bonum. Hortans igitur primò nos ad prudentiam, ait: *Estote prudentes.* Prudentia enim omnium virtutum dux & præuia est. Sicut namq; aliquis sine
Prudentia quid. luce errat & non pergit: ita sine sapientia quilibet errare, nec rectè pergere potest. Vnde & in lege præcipitur, vt nullum sacrificium sine sale sapientiæ offeratur. Est autẽ prudentia virtus, vnamquamque rem verissima æstimatione
Tres prudẽtiæ partes. pensans. Huius tres sunt partes. Prima nõ solũ inter bonũ

&

& malum, sed etiam inter bonum & melius, & inter malum & peius, sapienter discernit. Secunda discretũ sapiẽter eligit. Tertia electum sapienter acquirit. Prima itaque pars prudentiæ docet nos fratres charissimi, quid sit modicum bonum, & quid maius, & quid optimũ; & quid modicum malum, & quid peius, & pessimum. Porrò modicum bonum sunt diuitiæ, honores, potentiæ, & quæcunq; à nobis temporaliter possidentur. Et bonũ quidem sunt, quoniam à Deo, qui non nisi bona facit, creata & data sunt. Modicum verò sunt, quoniam etiam à malis habentur, & malè eis vtentibus, malæ fiunt. Maius verò bonum sunt, virtutes & Spiritus sancti dona, quoniam non nisi a bonis habentur, & per ea ad summum bonum itur. Optimum bonum est æterna beatitudo, quæ Deus est. Econtrario verò modicum malum sunt, miserię, indigentiæ, afflictiones q; temporales. Et malum quidem dicuntur, id est, pœnæ pro malis inflictæ. Modicum verò malum sunt, quoniam etiã bonis hîc infliguntur: quibus benè vtẽtibus bonæ fiunt. Peius verò malum, sunt vitia & peccata, quæ habentes malos efficiunt, & eos ad pessimum, summumque malum pertrahunt. Pessimum, summumque malum, est æterna damnatio. Itaq; fratres mei, summum bonum & æternam beatitudinem quæ Deus est, super omnibus & præ omnibus appetere debemus: & post, virtutes & dona Spiritus sancti, quæ ad illud nos ducunt, magis appetendæ sunt. Econtrario verò etiam damnationem præ omnibus euitare debemus: & pòst magis vitia & peccata fugienda sunt, quæ ad illam nos trahunt. Modicum verò bonum, modicumque malum, id est, temporales abundantias, vel penurias, prosperitates, vel aduersitates, quia benè vtentibus, bonæ fiunt: & malè vtentibus, malæ fiũt, nec multum appetere, nec multum fugere debemus, sed magis in voluntate Dei ponere: vt tribuat nobis quod magis nouit nobis expedire. Quoniam sunt qui non nisi per prospera saluarentur. Et sunt qui non nisi per aduersa saluarentur. Ita nos instruit prima pars prudentiæ. Cui contraria est illa stultitia, quæ malum à bono non discernit, sed potius vel malum pro bono sumit, vel bonum pro malo, in illam incidens maledictionem: Væ eis qui dicunt Esa. 5.

dicunt malum bonum, & bonum malum: Vel minus bonum pro maiore bono, vel minus malum, licet pro maiore malo. Qua stultitia, vnde magis dolendum est, laborant hodie plures, plus paupertates & afflictiones mundanas, quàm vitia & peccata, vel æternã damnationem fugientes, plusq; diuitias, honores, & gloriolas mundanas, quam virtutes, quamq; æternam beatitudinem appetentes. Itaq; pro bonis temporalibus, spiritualia & æterna bona cõtemnunt: Vocantes illum sapientem, qui temporalia bona quacunq; arte, quacunq; fraude, quacunq; abominatione, nouit aggregare. Sed profecto talis sapientia, stultitia est apud Deum. Vnde Dominus: Perdam, inquit, sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Quomodo? Quoniam relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Secunda verò pars prudentiæ est, postquam sapienter discreuerit, sapienter eligere. Nihil enim prodest sapienter inter bonum & malum, & minus, minusq; bonum discernere, nisi eligas quod magis eligendum est. Quod planè contra nos est Magistros & Pastores plebiũ: qui cùm benè inter bonum & malum, interq; minora & maiora bona vel mala discernamus, & alios quid eligere debeant, doceamus, ipsi tamen scienter deterius eligimus, festinantes plus ditari quàm iustificari, plus honorari apud seculum, quàm apud Deum. Sed quid talibus continget? descendent in infernum viuentes, id est, scientes. Quia scilicet maiori bono spreto, deterius sibi elegerunt. Tertia pars prudentiæ est, electum bonum sapienter acquirere. Electum autem bonum sapienter acquirit, qui quam expeditius, quàm facilius potest, ad illud habẽdum tendit. Quod fratres mei, contra quosdam nostrũm est, qui quum tendere ad summum bonum elegerimus, non tamẽ expeditè ad illud tendimus, sed curis secularium negotiorum & cupiditatum nos retardamus: Non attendentes quomodo qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Vnde & cum Mose à Ietro, id est, à quolibet seculari reprehendimur, quod diuinis rebus contemptis stulto labore secularium consumamur. Vnde fratres mei, acquiescamus consilio gentilis, & eligamus aliquos procuratores, qui pro nobis portent

Esa. 29.
1. Cor. 1.
Psal. 48.

1. Cor. 9.

tent onus curarum secularium, vt nos liberius intendamus in his quæ sunt ad Deum. Secundò nos hortatur ad orationem, cùm subdit: *Et vigilate in orationibus.* Quod enim per prudentiam sequi vel vitare elegimus, hoc præcipuè per orationem impetramus. Per orationem quippe, & insultus dæmonum vel vitiorum & fugamus, & virtutes, donaque Spiritus sancti, æternamq; beatitudinem impetramus. Cæterùm, quoniam dæmones, qui nunquam dormiunt, sed semper sunt vigiles in insidiando, nos quantum possimus, semper simus vigiles in orando: iuxta quod Apostolus alibi monet, Vigilate, inquit, in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Quoniam verò per orationem præcipuè diabolus expugnatur: hinc est quòd orantem quantum valet impedire conatur. Immittit igitur quantum valet, oranti pigritiam, somnolentiam, alienas, vanasque cogitationes. At nos contrà, vt monet Apostolus, Vigilemus, & immissiones eius malas, quantum possimus, repellamus. Iuxta quod legitur de Abraham: Descenderunt volucres cœli super sacrificia, & abigebat eas Abraham. Tunc autem fratres mei, benè vigilamus in orationibus, si non solùm corpore, sed etiam mente & operibus vigilamus. Qui verò solo corpore in oratione vigilat, & opere vel mēte in peccato dormit, talis profectò nō vigilare, sed potius dormire in oratione dicendus est. Plus enim perueniunt ad aures Domini, mentes quàm voces, opera quàm verba. Itaq; fratres, ante oculos nostros ponamus duos, vnum videlicet iniquum, qui solo corpore vigilans orat: & alterum iustum, qui ex cōsuetudine orandi etiā dormiēs orat. Dico fratres, quomodo ille vigilans dormit in oratione, & iste dormiēs vigilat in oratione, qui, etsi dormiat corpore, tamen bona vita, bonumq; propositū orant pro eo. Vidi fratres Sacerdotem quendam morientem, qui cùm ad id deuenisset, vt nihil in hoc seculo intelligeret: tamen ex longa, quam viuens consueuerat consuetudine, etiam moriens diuinas laudes non cessabat frequentare. Assuefaciamus itaque fratres mei, nos ad orandum, non sola voce, sed etiam mente & opere. Surgamus cum Psalmista media nocte

2. Pet. 5.

Gen. 15.

Mentes potius quàm voces requisitæ in oratione.

Psal. 111.

ad

ad confitendum Domino. Septies quoque ei laudem dicamus, in matutinis laudibus, in prima, in tertia, in sexta, in nona, in vespere, in completorio : imò quicquid facimus, siue eximus domum, siue redimus, siue sedemus, siue surgimus, siue quicquid aliud facimus, semper oratione nos armemus: vt ex longa consuetudine, etiam dormientes vel morientes, non possimus non orare. Si enim non est sine peccato quod iniquus ex consuetudine etiam dormiens iurat, non est sine merito, quod iustus etiam dormiens orat. Tertiò, nos hortatur Apostolus ad charitatem, cùm subdit: *Ante omnia, fratres mei, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Bonum quippe, quod per sapientiam eligimus, & per orationē postulamus, per charitatem possidemus. Qui enim Dei charitatem habet, profectò iam Deum habet. Quia Deus charitas est, in se essentialiter, & in nobis causaliter. Charitas quippè est dilectio, qua diligimus Deū propter se, & nos & proximum propter Deum. Et Deum quidem fratres, propter se debemus diligere triplici de causa. Quoniam naturaliter in se est bonus, & diligendus, quoniam prior nos diligendo, meruit diligi: quoniam vtilissimū est eum diligere. Proximum verò debemus diligere, non propter se, sed propter Deū, quia scilicet est opus Dei, quia Deus iussit illum à nobis diligi, qui est bonus, vel vt sit bonus. In bono enim & non in malo, vel nos vel proximum diligere debemus. In malo quippè, vel se vel proximum diligere, non est diligere, sed odisse. Magnam ergo discretionem in dilectione mali proximi debemus habere: vt videlicet eius diligamus ita naturam, quod non diligamus eius iniquitatem Et ita odio habeamus eius iniquitatem, quod non odio habeamus eius naturam. Nam æqualiter peccat, vel qui propter naturam diligit proximi iniquitatem, vel qui propter iniquitatem, odit naturam. Hanc autem charitatem debemus habere continuam. Nam sicut corpus sine spiritu nequit viuere, ita nec anima sine Dei & proximi dilectione. Veram dilectionem nulla aduersitas, nec etiam mors ipsa interrumpit. Quoniam fortis vt mors, imò plusquam mors dilectio. Et in alia vita non excidet, sed perficietur. Hanc etiam charitatem debe-

Semper orandum.

Charitas quid.

Triplici de causa deus diligēdus.

Cant. 8.

debemus in nobiſmetipſis, id eſt, in intimis cordibus habere radicatam, vt ſcilicet non diligamus verbo, neque lin- 1. Ioan. 3.
gua, vt quidam faciunt, ſed opere & veritate. Debemus quoque eam habere ante omnia, quoniam ea habita, omnia habentur, & ea non habita, nulla habentur. Nulla enim valent ſine ea, & per eam valent omnia. Hæc eſt oleum, quod premi non poteſt, ſed omnibus ſuperfertur liquoribus. Si ergo fratres mei, omnes virtutes, vel omnes ſcientias habere non poſſumus, ſaltem charitatem habeamus, vt per eam in aliis omnes virtutes & ſcientias habituri ſimus. Quare autem charitatem habere debeamus, oſtendit, cùm ſubdit: *Quia charitas operit multitudinem peccatorum, &c.* Futurorum, ne fiant: & factorum, ne videantur ad pœnam. Per hoc quippè fratres maximè peccata nobis dimittuntur, quod nos aliis dimittimus, quod nos miſeris compatimur, quod nos aliorum onera portamus per miſericordiam. Quartò, ad opera miſericordiæ nos hortatur, cùm ſubdit: *Hoſpitales inuicem, ſine murmuratione* Habita quippè charitas non poteſt otioſa eſſe, ſed ſe oſtendit per opera miſericordiæ. Inter opera miſericordiæ fratres, hoſpitalitas præcipua eſt. *Hoſpitalitas.* Loth enim & Abraham, & plures, tam in veteri quàm in nouo teſtamento, Patres, quoniam homines hoſpitio ſuſcipiebant Angelos, imò ipſum Deum ſuſcipere meruerunt. Hæc eſt vna de ſex operibus miſericordiæ, quam Dominus in iudicio memoraturus eſt: Hoſpes eram, & *Mat. 25.* ſuſcepiſtis me. Hanc præcipit Apoſtolus fieri ſine murmuratione. Qui enim hoc vel aliud opus miſericordiæ, cum murmuratione oris, vel cum rancore mentis facit, & rem & meritum perdit. Hoc contra illos qui cùm hoſpes venit, ſubmurmurant, triſtantur, vultum obnubilant, cauſantur ſibi deeſſe domus amplitudinem, lectorum & operimentorum ſufficientiam: dicunt magnam adhuc diei partem ſupereſſe, vt ita eos abire cogant. Quid dicam econtrariò de illis, qui hoſpites ad hoſpitium inuitant, vt eos expilant? Fures ſunt & latrones. Itaque fratres mei, ob ſolum Deum hoſpitalitati ſtudeamus. Hoſpites læti ſuſcipiamus, imò etiam more antiquorum eos quæramus & cogamus: læti eis hoc quod poſſumus,

exhibeamus: plus enim deuotio quàm magnitudo obsequij placet Deo. Deinde ad cætera charitatis opera nos hortatur, cùm subdit: *Vnusquisque gratiam sicut accepit, illam administrando.* Ad hoc Deus singulis singulas confert gratias, vt vnusquisque gratiam suam, non sibi soli, sed cæteris non habentibus, administret. Itaque qui habet sapientiam, eam doceat insipientes: qui habet diuitias, eis sustentet indigẽtes: qui habet potestatem, ea defendat impotentes: ne lucem sub modio celantes, & talentum occultantes, spolientur eis & reprobẽtur. *Sicut boni*, inquit, *dispensatores, multiformis gratiæ Dei.* Bonus dispensator est, non qui bona Domini sui sibi soli retentat, sed qui ea secundùm Domini voluntatem erogat. Nos autem fratres, non domini, sed dispensatores sumus rerum à Domino Deo nobis commendatarum. Si ergo res Domini non distribuamus, vt ipse præcepit, filiis suis indigentibus, iure conuincimur esse fures rei dominicæ, & pauperum eius homicidæ. Hoc timeant, hæc meditentur diuites, qui pauperibus inopia pereuntibus, diuitias suas nolunt erogare. Tot enim rei sunt animarum, quot à fame, cùm possint, contempserunt liberare. Quintò nos hortatur ad opus Dei dignè tractandum, cùm subdit: *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, id est, si quis loquitur sermones Dei, loquatur eos quasi sermones Dei. Quod facit prædicator, cùm sermonẽ & Deo attribuit, & ad Deum refert, & dignè profert. Deo sermonem attribuit, qui si quid boni loquitur, non sibi, vt quidam faciunt, sed Deo ascribit. Ad Deum sermonem refert, qui nõ ad lucrum, vel ad gloriam temporalem (vt quidam faciũt) sed ad Dei gloriam & proximorum dirigit vtilitatem. Dignè sermonem Dei profert, qui non illum malo exemplo destruit, qui non illum negligenter, non pigrè, vt quidam faciunt, dicit: Sed potius verbum Dei cum bono exemplo, cum magna deuotione prædicat & strenuitate. *Si quis*, inquit, *ministrat*, subaudis minister, *tanquam ex virtute quam administrat Deus.* Quod tunc faciemus, cùm si quid benè ministramus. Deo totum attribuimus, & ad Deum referimus, & quantum valemus deuotè, sapienter, strenueq; ministramus. *Vt in omnibus*, inquit, *honorificetur Deus.* Cùm enim

Luc.11.
Mat.25.

Sermones Dei loqui debẽt prædicatores.

enim nos bonos prædicatores, bonos ministros, bonos Dei filios nos exhibemus, Deus in nobis honoratur & sanctificatur: nō quod ipse sanctior sit ex nobis, sed quia nos sanctiores sumus ex eo: & hoc per Iesum Christū Dominum nostrū, cui est honor & gloria, cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA PRIMA post Ascensionem.

Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimoniū perhibebit de me. Recessurus fratres charissimi, Dominus & Redemptor noster per passionē à discipulis suis, & in cœlum ascensurus, ne se derelictos & desolatos dolerent, promittit eis se missurum consolatorem, videlicet Spiritum sanctum. Prædicit igitur eis in hac lectione quatuor. Primò, quòd mittit eis Spiritum sanctum. Secundò quid Spiritus sanctus in eis sit operaturus. Tertiò, persequutiones eis venturas demonstrat. Quartò, quare hæc prædicit, ostendit. Prædicit ergo eis primò se missurum Spiritum sanctum, cùm ait: *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Sed nullus vestrùm fratres charissimi, cùm audit vel aduentum, vel missionem, vel descensionem Spiritussancti, localem intelligat Spiritussancti motionem. Spiritus enim sanctus cùm sit vnū cum Patre & Filio in substantia, & sicut substantialiter omnia complet, ita nec accedere, nec recedere localiter potest. Sed tunc Spiritussanctus ad nos venire vel descendere dicitur, cùm in nos donum & gratia eius mittitur, secundùm tropum qui methonomia dicitur, quando videlicet quod est doni, ascribitur auctori. Secundùm hoc dicit Ioannes, quod septem sunt Spiritussancti missi in omnem terram: quoniam scilicet sunt septem dona eius, quæ fidelibus per orbem distribuuntur. Sed hìc considerandum est fratres charissimi, quoniam non propter quælibet dona sua dicitur Spiritus sanctus mitti. Si enim det alicui scientiam vel potentiam, vel huiusmodi, quæ etiam à malis habentur, non ideò dicitur Spiritussanctus in eum mitti. Sed propterea sola dona, quæ hominem sanctificant, vt est charitas, cōtinentia, Ioan. 15.

misericordia, & cæteræ virtutes, dicitur mitti. Vnde fratres mei, desideremus & laboremus obtinere, non ea dona quæ etiam mali habent, sed illa quæ soli habent boni; & per quæ Spiritum sanctum merentur habere possessorem, quem ego, inquit, mittam vobis à Patre. Idem de eodem spiritu alibi dicit: Quē mittet Pater in nomine meo. Ex quo profectò patet, quoniā Spiritus sanctus mittitur à Patre, mittitur & a filio. Sed quod filius mittit Spiritū sanctum, non à se, sed à Patre habet. Vnde & adiungit: *Quem ego mittā vobis à Patre.* De quo & adhuc subiūgit: *Qui à Patre procedit*, æternaliter scilicet & ineffabiliter. Vnde fratres, duplex processio Spiritussanctus intelligitur. Vna, qua Spiritussanctus procedit æternaliter à Patre & filio, vt tertia in trinitate persona, & vna cū eis substantia, qua quotidie æquè à Patre & filio procedit temporaliter ad sanctificandum creaturam. Vocatur autem idem Spiritussanctus multis nominibus. Dicitur autē Spiritussanctus, quoniam sanctificat creaturas. Vocatur Paracletus, quoniam consolatur desolatos, medetur infirmis, consulit inconsultis, remittit reis. Vocatur quippè Spiritus veritatis, quoniam non fallit sicut diabolus, sed promissa veraciter reddit, & homines veraces facit. Veraces in peccatorum confessione, in veritatis prolatione, veraces in operis intentione. Vocatur etiam amor, concordia, benignitas: tum quoniam est connexio Patris & Filij, tum quia in cordibus hominum amorem, concordiam, & benignitatem spirat & nutrit. Vnde fratres, propensioribus desideriis eum assiduè flagitare debemus, quatenus ille desiderabilis Spiritussanctus, nos à sordibus nostris sanctificet, veraces efficiat, amabiles, cōcordes, & benignos reddat. Secūdò, quid Spiritussanctus in discipulos operatus sit, ostendit cùm subiungit: *Ille testimonium perhibebit de me.* Tripliciter fratres, perhibet Spiritussanctus testimonium de Christo, quod ipse sit filius Dei: per miraculorum & virtutum operationem: per interiorem in cordibus hominum inspirationem, per prædicationis testificationem. Aliis quippè persuasit credere Spiritussanctus in Christum per miracula & virtutes: aliis per interiorem inspirationem, aliis per exteriorem prædicationem. Testimonium quippè

Ioan. 14.

Duplex processio Spiritus sancti

Multis nominibus vocatur Spiritus sanctus.

Spiritussanctus tripliciter testimonium perhibet de Christo.

Spiri-

Spiritusſanctus Chriſto perhibet methonimicè, dum homines ei teſtimoniū facit perhibere. Vnde & ſubdit, *& vos teſtimonium perhibebitis*, ac ſi diceret, Vos etiam qui nunc eſtis timidi, me derelicto, fugientes, ad vnius ancillæ vocem me negantes, propter metum Iudæorum latitantes, ne vel vnam ob linguam Iudæorum me confiteri audentes, Spiritu ſancto, ſpiritu videlicet fortitudinis vos interius roborante, omni genti, & omni lingua de me teſtimonium perhibebitis. Et quomodo? quatuor modis, me filium Dei prædicando, in me rectè viuendo, quoniam ſanctitas miniſtrorum, ſanctitati atteſtatur magiſtri: in nomine meo virtutes & miracula faciendo, quoniam virtus nominis atteſtatur auctori: propter nome meum patiendo, quoniam benè atteſtatur rei, qui propter eam non refugit mori. Vtinam fratres mei, deſcendat & in nos Spiritus ſanctus, dans nobis audaciam & virtutem Chriſto teſtimonium perhibendi. Quod enim ſine lachrymis dicere non poſſum, nos magiſtri Eccleſiæ ſumus hodie timidiores, quàm rudes diſcipuli Chriſti in initio naſcentis Eccleſiæ. Dum enim propter timorem alicuius perſonæ ſecularis, vel negamus, vel ſilemus veritatem, Chriſtum, qui veritas eſt, negamus. Dum raptore pauperem rapiente, noſtrum ei auxilium ſubtrahimus, quaſi Chriſto relicto, fugimus. Dum potente pupillum vel viduā cruciāte, nihil ei obloquimur, quaſi Chriſto in cruce pendente, taceemus. Dum perſequutoribus Eccleſiæ, per rigorem iuſtitiæ nos non opponimus, quaſi propter metū Iudæorum, latitamus. *Quia*, inquit, *ab initio mecum eſtis*. Ac ſi dicat, cùm de re viſa & audita, benè poſſit homo teſtimonium perhibere, vos benè teſtimoniū de me poteſtis ferre, quia ab initio mecum eſtis, quia conuictu familiari, in veritate circa me edocti. Vnde Apoſtoli loco Iudæ, non neophitū elegerunt, ſed in doctrina Chriſti diutius informatū: vnde Petrus, Oportet, inquit, ex his qui ſunt omni tempore nobiſcum, ex quo intrauit & exiuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, teſtem reſurrectionis nobiſcū fieri vnum ex iſtis. Hoc contra illos qui rudem & neophitum eligunt in magiſtrum: & contra illos quoq;, qui doctrinā, in cuius ſchola nutriti non fuerunt, docere præſumunt & prædicare.

In Prælatos Eccleſiæ.

Act. 1.

Tertiò prædicit eis tres venturas persequutiones, videlicet eiectionem, interfectionem, & infamiam. Eiectionem cùm ait, *Sed hæc*, inquit, *loquutus sum vobis*, id est, prædixi vobis, *vt non id eò scandalizemini, quod absque Synagogis facient vos.* Sicut enim hodie propter publica scelera, aliquos excommunicamus, & ab Ecclesiæ communione eiicimus: ita Iudæi discipulos Christi, tanquam scelerato-s, propter Christum à Synagogis excludebant. Interfectionem & infamiam, cùm subiúgit. *Et venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Ac si diceret, adeò malè opinabuntur de vobis, quoniã putabunt vos adeo esse Deo odiosos, quod in hoc quod interficient vos, arbitrabuntur officium se Deo præstare, & in hoc se ei placere. *Et hoc*, inquit, *facient, quia non nouerunt patrem neque me*: quia non nouerũt Deũ esse meum patrem, nec me nouerunt esse eius filiũ. Ac si diceret, non grauet vos, si eiiciamini à Synagogis eorum qui Deũ non nouerunt. Ne grauet vos, si interficiamini propter Deum ab ignorantibus Deum. Ne grauet vos, si contrarij Deo arbitremini ab his qui Deum nescierunt. A cõsortio enim malorum excludi, Deo coniungi est: propter Deum interfici, viuere est: propter Deum falsam infamiam pati, laus est. Hinc fratres, exemplum consolationis sumamus, si quando mali consortium nostrum odiunt vel aspernantur: si nos ad mortem persequuntur: si de nobis benè viuentibus detrahunt & malè opinantur. Hęc enim propter Christum patienter pati, est Christo testimonium ferre: & ita Christi Martyrẽ esse. Quartò causam subdit, quare hæc eis prædixerat: *Hæc loquutus sum*, inquit, *vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Et quæ inde vtilitas? Multiplex. Vt me in omnibus veracem intelligatis: vt consolationem à me prædictam certè expectetis: vt fortiter contra aduersa vos armetis: vt ipsa aduersa fortiter sustineatis: vt in ipsis aduersis in spe consolationis exultetis. Quid hæc prædicta fuisse Apostolis profuerit, patuit, quando ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Nos itaque fratres mei, suspiriis & lachrymis, Redemptorem nostrũ Iesum Christum flagi-

Ob publica crimina excommunicãdum.

Consolationis exemplum.

Act. 5.

temus,

temus, quatenus det nobis Spiritum sanctum, qui inspiret nobis de peccatis pœnitentiam: in prosperis temperantiam: in aduersis fortitudinem: in mœstis consolationem, inspiret nobis contemptum terrenorum amorem cœlestium. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita seculorum secula. Amen.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

DVm complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, &c. Hodie fratres charissimi, aduentum Spiritus sancti in discipulos celebramus: quem quoniam prælibata lectio sufficienter explanat, conuenienter hodie in Ecclesia recitatur. Ostenduntur itaque septem in hac lectione, id est, quando, in quos, vbi, quibus signis, & quomodo Spiritus sanctus descenderit, quid in eis contulerit, & quanta admiratio inde subsecuta sit. Primum igitur nobis ostenditur, quando Spiritus sanctus in discipulos venit, cùm dicitur: *Cùm complerentur dies Pentecostes*. Porrò Spiritus sanctus bis legitur Apostolis datus. Primò ipso resurrectionis die, quando Dominus insufflauit Apostolis dicens, Accipite Spiritum sanctum. Secundò die Pentecostes, die scilicet hodierna. In die resurrectionis eis datus est ad peccatorum remissionem, vt scilicet cum resurgente resurgerent & ipsi à peccatis, in quibus vel fugiendo, vel negando, vel diffidendo, vel dubitando ceciderant. Quinquagesima verò die datus est eis idem Spiritus sanctus ad corroborationem, & ad confirmationem: vt videlicet de cætero, in fide firmi, nulli cederent persequutioni, sed potius coram omni potestate, veritatem constanter prædicarent. Vnde & in prima sancti spiritus donatione, tantum Spiritum sanctum accepisse: in hac verò etiam Spiritu sancto leguntur fuisse repleti. Similiter fratres, etiam hodie bis donatur spiritus sanctus fidelibus: primò in baptismo vel in pœnitentia, ad peccatorum remissionem. Secundò in confirmatione, ad cõfirmationem & roborationẽ. Quod benè significatur per hoc quod discipuli prius in die dominicæ resurrectionis Spiritum sanctũ accepisse: & post quinquagesimã die Spiritu sancto memorãtur repleti fuisse: Quoniam nisi prius per Spiritum sanctum à peccatis nostris

Act. 2.

Spiritus sanctus bis Apostolis datus. Ioan. 20.

Fidelibus hodie bis spiritus sanctus datur.

resurrexerimus, & vt in quadragesimã pœnitentiæ, & in decalogi adimpletionem laborauerimus: Spiritu sancto repleri non valemus. Nos ergo fratres mei, qui in tumulo peccatorum iacemus, oremus illum benignissimum Spiritum, vt nos à peccatis nostris resurgere faciat. Vos verò qui iam per spiritum sanctum à peccatis resurrexistis, & in quadragesima satisfactionis, & decalo legis desudauistis, orate & vos illum sanctissimũ Spiritum, vt vos gratiarum suarum augmento repleat, & in virtute confirmet. Secundò in quos Spiritus sanctus descenderit, ostẽditur, cum dicitur: *Erant omnes discipuli*, subaudis expectantes, & Spiritum sanctum susciperæparati, iuxta quod Dominus eis præceperat, vt à Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Expectabant autem & præparabant se ad suscipiendum Spiritum sanctum, orando & ieiunando. Quod orando, ostendit in actibus Apostolorum, dicens: Erant, inquit, perseuerãtes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Quod ieiunando: hinc cognoscimus quod Dominus Iudæis quærentibus, quare discipuli sui non ieiunarent, respõderat, dicens: Non possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum eis est sponsus: Venient autem dies, quãdo auferetur ab eis sponsus & tunc ieiunabunt. Quicquid autem de ieiunio ciborum, certo certius est, quia ab omni vitio & peccato, ab omni mala & vana cogitatione, ab omni malo & vano verbo, quantum potuerunt, ieiunauerunt, vt Spiritum puritatis, ipsi purificati, purè susciperemererentur. Nos quoq; fratres mei, si Spiritum sanctum susciperedesideramus, operæpretium est, vt discipuli Christi simus, & in oratione & ieiunio perseueremus. Discipuli Christi sumus, si in humilitate, si in quiete, si in timore & amore disciplinam & doctrinam eius amplexamur. Nam super tales proculdubiò requiescit Spiritus sanctus. Vnde ipse per Prophetam: Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea? Oportet quoque vt perseueremus in oratione, non de solis labiis, sed de puro corde. Nam, vt Sapiens ait, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Oportetetiam vt ieiunemus, non à solis cibis, sed etiam à

Acto. 1.

Ibidem.

Mat. 9.
Mar. 2.
Luc. 5.

Sapien. 1.

mala

mala & vana cogitatione, loquutione, & operatione. Scriptum est enim, in malevolam animam non introibit Sapientia, & non habitabit in corpore subdito peccatis. Tertiò ostenditur vbi erant discipuli, cùm Spiritus sanctus super eos venit: cùm subditur: *Pariter in eodem loco.* Minus dicit & plus significat. Erāt quippe in eodem loco, in eodem corde & amore: in eadem rerum communione. In eodem siquidem loco erant, quia in eadem vrbe Ierusalem: in eodem monte Sion: in eodem cœnaculo sacræ scripturæ, spiritualisque refectionis. In eodem quoq; corde & amore erant, quoniam de eis scriptum est, multitudinis credentiū erat cor vnum & anima vna. In eadem etiam rerum communione erāt, quoniam nō dicebat aliquis aliquid proprium eorum quæ possidebant, sed erant eis omnia communia. Porrò eorum vniuolam cohabitationem, & communionem admiratur in spiritu Propheta dicens: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et alibi: Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo, id est, vnanimes. Nullus enim locus magis sanctus, nec magis Deo propitius est, quàm sanctorum consonantia & vnanimitas animorum: quam ipse solus per gratiam suam in sanctis congregationibus operatur. Vbi quippè pax & concordia: ibi charitas proculdubio est & Deus. Vbi verò discordia, lis & odium est: ibi profectò malignus spiritus est. Itaque fratres charissimi, si Spiritum sanctum in nos aduenire desideramus, tollamus de medio nostri, lites, discordias, inuidias, & odia. Et sicut pariter conuenimus in eadē Ecclesia, sicut eisdē Sacramentis participamus, sicut est nobis vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Dominus: ita sit in nobis vna voluntas, vna charitas, & vna rerum communitas. Communicēt nobiscum pauperes corporalia bona, sicut communicant spiritualia. Communicent terrena nobiscum, sicut communicaturi sunt æterna. Cæterùm quid dicam de quibusdā claustralibus, qui cum in eodem refectorio comedant, in eodē dormitorio quiescant, in eodem choro excubent, in eadem rerum cōmunione viuant, in eodem ordine militent, tamen per inuidiam & odium à se inuicem discordant. Quid etiam de

Ibidem.

Acto. 4.

Psal. 132.

Psal. 67.

Vbi pax, ibi charitas.

Vbi discordia, ibi spiritus malignus.

Coniuges. coniugibus, quibus cùm sit vna mensa, vnus lectus, vna etiam secundùm Apostolum, caro tamē intestinū odium gerunt atque discordiam. Certè quicunque tales sunt, non spiritum sanctum, vnde magis dolendum est, sed satanam recipiunt habitatorem. Quartò, demonstratur quibus signis Spiritus sanctus aduentum suum in discipulos demonstrauerit, cùm subiungitur: *Et factus est repentè de cœlo sonus, &c.* Porrò duobus signis aduentus Spiritussanctus demōstratus est: Vnum fuit sonus de cœlo repentè factus, *tanquam aduenientis spiritus vehementis, qui repleuit totam domum vbi erant discipuli sedentes.* Sanè sonus iste conuenienter significauit aduentum spiritus sancti. Sonus quippè inuisibilis est, & inuisibiliter totus simul ad aures fertur singulorum, & vsque ad corda penetrat, & ea ad intelligendum excitat. Sic spiritussanctus inuisibilis est in sui natura, & inuisibiliter totus simul ad singulos fideles fertur, & vsque ad intima cordium penetrat, eaque ad intelligendum excitat. Qui sonus conuenienter venit de cœlo, quoniam spiritussanctus mittitur à
Iacob. 1. summo Patre. Iuxta illud, Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Conuenienter quoque dicitur factus repentè & tanquam aduenientis spiritus vehementis: quoniam spiritus sanctus operatus est in discipulos, & subitò & velociter, ita vt non paulatim, sed subitò & citò eos de rudibus efficeret sapientes, de tepidis feruentes, de timidis audaces: vt vnusquisque eorum dicere posset cum Psalmista,
Psal. 76. Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Potest autem hoc aduerbium, *tanquam*, ibi notare vel veritatis expressionem, quoniam sonus ille fuit significatiuus verè spiritus sancti aduenientis & vehementis, id est, à mente vehentis, & ab effectibus carnalibus alienantis. Vel potest solam notare similitudinem: quoniam sonus ille fuit tanquam spiritus, id est, venti vehementis. Hoc nomen enim spiritus, & ad spiritum, & ad ventum, & ad cantum æquiuocum est: sicut apud Hebræos Ruha: & apud Græcos pneuma. Alterum verò signum fuit, ignis per linguas dispertitus, qui supra singulos eorum resedit. Vnde & subditur, *Et apparuerūt illis dispartitæ linguæ tanquā ignis*

se-

sederitque supra singulos eorum. Porrò conuenienter, Spiritus sanctus per ignem significatur. Spiritus enim sanctus amor est. Vnde & Ioannes, Deus charitas est. Dominus quoq; spiritum sanctum ignem vocat, dicens: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Sicut enim sunt septem dona spirituſſancti, sic & septem sunt proprietates ignis. Ignis quippè dura emollit, frigida calefacit, tenebrosa illuminat, mollia corroborat, impura examinat, sursum fertur, distributus multiplicatur. Sic & spirituſſanctus dura corda emollit, per spiritum timoris: frigida calefacit, per spiritum pietatis: tenebrosa illuminat, per spiritum scientiæ: mollia corroborat, per spiritum fortitudinis: impura examinat, per spiritum consilij: sursum rapit, per spiritum intellectus: distributus locupletat, per spiritum sapientiæ. Sapientia enim nobilis possessio: distributa suscipit incrementum, & auarum dedignatur possessorem, nisi publicetur, elabitur. In igne igitur spiritus sanctus super discipulos venit: quomodo præfatas ignis proprietates in eis efficit. Qui in Christum in specie columbæ venerat: quia peccatores per columbinam simplicitatem colligere descenderat. In linguis verò super eos venit, quomodo eos in omnibus linguis eloquentes fecit. Vt videlicet per ceptam à spiritu sancto sapientiã, omnibus linguis, omnibus loqui & scirent & auderent. Vtinam fratres, & in nos infimos prædicatores, spirituſſanctus descendere dignetur, inspiretq; sapientiam, eloquentiam & fortitudinem nobis, quatenus verbum Dei intelligamus, & intellectum, ea saltẽ lingua, quam nouimus, eloqui constanter audeamus. Quintò demonstratur, quomodo spirituſſanctus in discipulos descendisse dicatur, cùm subiungitur: *Et repleti sunt omnes spiritu sancto*, id est, gratia spirituſſancti. Non enim aliter spirituſſanctus descendere, venire, vel dari dicitur, nisi quia eius gratia datur secundum tropum loquendi, quo quod doni est, attribuitur donanti. Nemo igitur in his quæ vel audita, vel visa ibi sunt, spirituſſancti putet apparuisse substantiam: quoniam substantia patris & filij & spirituſſancti inuisibilis, sicut omnia complet: ita nec accedere, nec recedere localiter potest. Dicuntur autem nunc demum discipuli spiri-

1. *Ioan.* 4. *Luc.* 12.

Septẽ proprietates ignis.

Spiritu sancto repleti esse: quoniam & si antè Spiritum sanctum habuisse dicantur, tamen quia meticulosi fugiebant, latebant, & silebant, Spiritu sancto quasi semipleni erant. Nunc verò quoniam Spiritus sancti conceptam virtutem iam cohibere intus & silere non poterant, sed more dolij musto nouo pleni eructabant & supereffundebãt, recte Spiritu sancto repleti dicuntur. Vnde & à Iudæis postea ebrij esse dicti sunt. Sextò, quid discipuli spiritus sanctus contulerit, ostenditur, cùm dicitur: *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* O quàm fratres charissimi velox magister est spiritus sanctus. Non est adhibita interpretatio ad intelligendũ, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium. Sed mirabiliter & inaudito more, Spiritu sancto operante, repente timidi fiunt audaces: rudes, sapientes: elingues, omnilingues: timidi repente fiunt audaces: quomodo qui modò loqui non audebant, nunc cœperunt publice loqui: rudes, repentè fiunt sapientes, quomodo qui modò (teste Domino) sine intellectu erant, nunc mysteria scripturarum & magnalia Dei intelligebant & eloquebantur. Elingues, repentè fecit omnilingues, quomodo qui modò vna lingua Hebræorum perfectè loqui nesciebant, nunc omni lingua perfectè loquebantur. Et horum omnium nihil ex viribus, nihil ex ingenio, nihil ex doctrina sua faciebãt: sed quid & quantum, & quomodo spiritus sanctus dabat eloqui illis. Iuxta quod Dominus noster promiserat illis: Dũ steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Pulchrè autẽ sicut in constructione Babel: Turre scilicet confusionis, vna lingua in plures propter superbiam diuisa est: ita nunc in construenda Ecclesia, domo scilicet Dei, plures linguę propter humilitatẽ vniũtur. Superbis quippè Deus resistit, & humilibus dat gratiam. Nos igitur fratres, nihil de viribus, nihil de ingenio, nihil de arbitrio, vel merito nostro, præsumamus, sed potius de gratia Dei, qui mysteria sua abscondit à sapientibus & prudentibus, & reuelat ea paruulis, atque linguas infantium facit disertas. Septimò demonstratur quanta admiratio subsequuta sit magnalia Spiritus sancti, cùm

Math. 10.
Mar. 13.
Luc. 4.
Mat. 11.
Luc. 10.
Sap. 10.

subs

subditur: *Erant autem in Hierusalem habitantes viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.* Et ideò omnium linguarum ignari. *Facta autem voce,* linguarum scilicet variarum auditione, *conuenit multitudo,* tanquã ad rem mirabilem & inauditam, & mente confusa est in ista re cuius causam & modum non poterant inuestigare: *quoniã audiebat vnusquisque,* diuersarũ linguarũ, *Lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: Nónne ecce omnes isti qui loquuntur,* tãtum lingua & natione, *Galilæi sunt? Quomodo nos audiuimus,* ab eis, *vnusquisque linguã nostram in qua nati sumus?* Parthi, & Medi, & Elamitæ, &c. *audiuimus eos loquentes* nostris linguis, *magnalia Dei.* Quare fratres mei dedit Dominus discipulis suis loqui variis linguis? ob tres causas: ad expedimentum prædicationis: vt scilicet ad cuiuscunque linguæ populum venirent, non indigerent interprete, sed statim possent prædicare: Ob signum diuinæ virtutis: vt scilicet per hoc quod omni lingua loquerentur, eos à Deo doctos & missos esse aduerterent. Vnde Paulus: Linguæ in signum sunt nõ fidelibus, sed infidelibus: Ob figuram generalis conuersionis, vt videlicet per hoc significaretur, quòd non solus populus Iudæorum, sed etiam iuxta Prophetam: Omnis populus tribus & linguæ seruient ei. Vnde Paulus: Et omnis, inquit, lingua cõfiteatur, quia Dominus noster Christus in gloria est Dei Patris. Quem vt nos verè confiteri valeamus, oremus illum Spiritum sanctum, quatenus igne suo sancto, renes nostros & cor nostrum vrat, purget, & in bono confirmet, illuminet & inflammet: quatenus omnibus terrenis contemptis, ad cœlestia toto desiderio tendamus, & proximos nostros nobiscum trahere contendamus. Per Iesum Christum. Amẽ.

1. Cor. 14. Dan. 7. Philip. 2.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. Quoniam hodierna Spiritus sancti aduentus solennitas fratres charissimi, nos hodie in vnum congregauit: necessarium duximus, quantulumcunque sermonem facere vobis de Euangelica lectione. Distinguitur autem lectio ista capitulis quinq;. Accessurus quippè Dominus ad passionem, primò hortatur eos ad dilectionem. Secundò promittit

Ioan. 14.

mittit eis spiritumsanctum. Tertiò dat eis pacem. Quartò consolatur eos, ne timeant. Quinto eis ostendit se innocentem propter obedientiam iam passurum. Primum igitur ad dilectionē exemplo & præcepto Discipulis cōmendatam hic hortatur, ostendens quid vera dilectio faciat, & ad quid perducat. Quid faciat ostendit, cùm dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Effectus veræ dilectionis, est obseruantia mandatorum Dei. Itaque fratres, si verè Deum diligimus, mandata eius obseruamus. Si verò mandata eius non obseruamus, patet quia eum non verè diligimus. Nemo ex vobis fratres se decipiat. Se enim decipit, qui dicens se diligere Deum, mandata eius non custodit. Vnde idem Ioannes: Si quis, inquit, dicit se diligere Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Nemo de impossibilitate sua se excuset. Dicit enim aliquis: Infirmus & imbecillis naturæ sum, & mandata eius gratia & ardua. Et quidem Deum diligo, sed arduitatem mandatorum eius portare non valeo. Nequeo enim propriæ voluntati, nequeo carni meæ, nequeo mundo penitus abrenuntiare. Sed qui hæc dicit, dupliciter peccat: tum quia accusat Deum de crudelitate, dicens eum tale mandatum dedisse, quod homo non valeat adimplere: tum quia mentitur se non posse quod ipse potest. Deus enim qui mādatum dedit, scit quid possit vnusquisq;, melius quàm ipse homo. Nemo enim in necessitate non potest, quod pro Deo non potest. Pro valetudine corporis bibis aquam, ieiunas, pateris ferrum & ignē, tuam deseris voluntatem: & hæc pro Deo non potes? Pro ambitione mundi, militas indutus ferro: pateris fames & frigora: labores & miserias: obiicis te periculis & morti: Et hæc pro Deo non potes? Et qua re hoc? Nisi quia plus mundum diligimus quàm Deum? Si enim plus vel tantum Deum diligeremus, quantum mundum, plus possemus pati pro Deo, ipso suffragante, & conscientia consonante, quàm pro mundo contra Deum, conscientia nostra nobis contradicente. Vera siquidem fratres est sententia, quòd amanti nihil difficile, & nolenti nihil est leue. Cùm ergo Dominus dicit, ardua & angusta est via quæ ducit ad vitam, nolenti intelligendum est. Cùm verò

Dilectio Dei, mandatorum Dei obseruatio.

1. Ioan. 2.

Qui accusant Deū de crudelitate.

dicit:

dicit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue, volenti subintelligendum est. Sed fratres mei, cùm Deus dixerit: *Si quis diligit me*, per præsens tempus, quare similiter per præsens tempus non dixit, sermones meos seruat, potius quàm seruabit? Quoniam cùm aliquis incipit Deum diligere, non mox potest eius præcepta ex integro obseruare: sed paulatim crescente dilectione, magis ac magis incipit sese in obseruatione mandatorum Dei assuescere: vt ita quod primò ei insueto fuerat graue, post ex consuetudine fiat ei suaue. Vnde Psalmista: viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meū. Ad quid verò dilectio Dei perducat, ostendit cum subdit, *Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Quod enim Deum diligimus, & eius sermonē seruamus, & quasi meritum nostrum. Quod verò pater diliget nos, & apud nos mansionem faciet, est quasi præmium. Cæterum quid est quod hìc dicitur, quod postquam dilexerimus Deum, & sermonem eius seruauerimus, pater diliget nos? cum dilectio Dei nostram præueniat dilectionem, teste Ioanne, quia inquit, ille prior dilexit nos. Non est fratres intelligendum, quòd postquàm dilexerimus Deum, ipse tunc incipiat diligere nos, sed potius ipse qui prior dilexit nos, postquam incipiemus eum diligere, & eius sermonem obseruare, magis ac magis ostendet se diligere nos, per vberiorem suarum infusionem gratiarum. Vnde & adiunxit, *& ad eum veniemus*. Tunc enim Deus ad nos venire dicitur, quando gratiæ suæ abundantiam nobis largitur. Qui veniemus? Pater, & ego filius, ipse quoque Spiritus sanctus. Qui enim dilectionem Dei habet Spiritum sanctum, qui est amor Patris & Filij, habet. Sed quoniam ad quosdam per compunctionem venit, qui non finaliter diligunt, sed tempore tentationis frigescunt, vel tepescunt, subiungit: *Et mansionem apud eum faciemus*. Pensemus fratres, pensemus, quanta dignitas, quantus honor, quanta dulcedo sit, habere manentem in hospitio cordis Trinitatem. Certè per veram dilectionem & obseruantiam mandatorum Dei, tantum penes nos hospitem suscipimus: per perseuerantem mūditiam, eum perpetuum habitatorem retinemus.

Mat. 7.

Mat. 11.

Psal. 118.

1. Ioan. 4.

Quando Deus ad nos venire dicitur.

Nónne

Nónne fratres mei, si Regem temporalem, si aliquē principem, si aliquem amicum nostrū temporalem susceperi esſemus, nónne domum nostram mundaremus, ne aliqua turpitudo oculos intrantis offenderet? Ornaremus etiam festiuis ornamentis, & festiua pararemus fercula, vt intrâs persona in nostro hospitio delectaretur. Multo magis fratres susceperi hodie per largiorem gratiam, Spiritū sanctum, imò totam Trinitatem, per veræ lachrymas pœnitentiæ, hospitium cordis nostri mūdemus: per varias virtutes ornemus: per bona studia puramque contemplationem, Deo penes nos conuiuium præparemus: quatenus cōplaceat ei in nobis habitare, & in nobis semper delectari. Delitiæ enim, inquit, meæ, esse eum filiis hominum. Scilicet quoniam quidam sunt, qui aliqua Dei præcepta, vel ex seruili timore, vel ex naturali pietate, non ex vera Dei dilectione seruare videntur, ostendit neminem mandata Dei posse adimplere, nisi per veram dilectionem cùm subdit: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Itaque fratres, quasi paria sunt, Dei dilectio, & mandatorum eius obseruatio. Sicut enim non verè Deum diligimus, nisi mandata eius obseruemus. Ita nec verè mandata Dei obseruamus, nisi eum diligamus. Quicquid enim est meritorium, ex sola dilectione est meritorū. Cùm autem eadem sit auctoritas Patris, & filij in omnibus: quia tamen filius ex Patre est, semper defertur Patri: Vnde & subdit: *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris.* In quo confunditur quorundam superbia, qui putant se aliquid posse per se boni, vel sapere, vel loqui per se, Qui dicūt: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Erubesce insolens vermis: filius Dei dicit se nec loqui, nec sapere, nec posse aliquid ex se, & tu homuncio præsumis aliquid boni ex te posse sapere vel loqui?

Prou. 8.

Dilectio Dei & mãdatorum eius obseruatio.

Psal. 11.

Sequitur pars secunda, in qua promittit discipulis spiritum sanctum, dicens: *Hæc loquutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem, &c.* Quasi diceret, dum corporaliter vobiscum maneo, hæc pauca loquutus sum vobis: cùm multa haberem adhuc vobis dicere, si posſetis portare. Sed Spiritus sanctus, quæ minus dixi vobis, supplebit,

plebit, dans etiam vobis maiorem intelligendi capacitatē. Vocat autem eum paracletum, id est, consolatorem: quoniam Discipulos de recessu mœstos erat cōsolaturus: minus fortes cōfortaturus: minus doctos eruditurus: nec solū autem eos, sed etiam quoslibet piè credituros. Eundem etiā vocat Spiritum sanctū, qua inspirat sanctitatē. Quicquid enim sanctitatis, quicquid bonitatis homo habet, spiritu sancto inspirāte habet, *Quem mittet, pater in nomine meo.* Alibi dicit: Quem ego mittam vobis à Patre. Ex quo demonstratur quoniā Spiritum sanctum mittit filius: sed quod mittit filius, hoc habet à Patre. Pater etiā per filium eū mittit: *Ipse docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* Hoc fratres mei impletum est die hodierna in discipulis, cū subito & mirabiliter operante in eis spiritu sancto, qui antè erant rudes, facti sunt subito sapiētes: qui antè minimū nouerant de scripturis, facti sunt spirituales in scripturis: qui antè vnā solam linguā nouerant, subito omnes linguas nouerunt. O fratres mei, quam potens, quàm admirabilis, quā velox est in operibus suis Spiritus sanctus, qui quod cū labore & studio, & per longitudinē temporis vix fieri solet, hæc quietè, & sine meditatione, & sine mora in suis operatur. *Et suggeret vobis omnia.* Multotiens fratres, aliquid scimus, quod cùm oportet nescimus. Sed spiritus sanctus ministrat suis, non solum scientiā, sed etiam vt ea loco & tempore vti sciant. Sed Dominus alibi dicit, Dum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Ministrauit igitur Spiritus sanctus discipulis, non solùm sanctitatē & sapientiam, sed etiā eloquentiā, & eloquendi oportunitatem & audaciam, & miraculorū confirmationē, & resistēdi fortitudinem. O vtinam descendere dignetur & in nos quālescunq; prædicatores ille sanctus & admirabilis spiritus, & inspirare nobis bonitatem & sapientiā bene viuendi & sapiendi: Et eloquentiā, oportunitatem & audaciam, bene & oportunè, & audacter prædicandi: & confirmationem operibus prædicationem confirmandi, & fortitudinem persequutoribus mundi resistendi. *Ioan. 15.*

Sequitur pars tertia, in qua Dominus dat discipulis suis pacem, dicens: *Pacem relinquo vobis, in mandato scilicet: pacem meam do vobis*, in animo, vt scilicet & hic quãtum possibile est, pacem habeatis: & ad æternam pacem desiderio festinetis. *Non quomodo*, inquit, *mundus dat, ego do vobis*. Porrò pax alia prosperitatis, alia bonitatis, alia malitiæ: Pax prosperitatis indifferens est: Benè enim ea vtenti est bona, malè vtenti est mala. Benè vsus est Abraham & cæteri Patriarchæ, pace tẽporalis prosperitatis: de qualibus dicitur in Psalmo: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius: labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es & benè tibi erit: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ olivarũ in circuitu mẽsæ tuæ. Econtra mali malè vtuntur pace prosperitatis temporalis. Nam vnde deberẽt Deum benedicere, eum obliuiscuntur: superbiũt, effœminantur, & efferuntur. De quibus dicitur in Euangelio: Et quidem in hac die tua quæ ad pacem sunt tibi: &c. Et Dauid, Zelauit, inquit, super iniquos pacem peccatorũ vidẽs. In labore hominum non sunt, & cum hominibus nõ flagellabuntur. Et alibi: Quorum filij sicut nouella plantationis in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, &c. Ista autem pax temporalis prosperitatis non multũ est nobis optanda vel petenda: fratres mei: quia quibusdam vtilior est in hoc mundo aduersitas quàm prosperitas. Nam multi saluantur in aduersitate, qui non saluarentur in Prosperitate, sicut econtra multi infirmi saluãtur in prosperitate, qui non saluarentur in aduersitate. Propterea fratres voluntati diuinæ nos submittamus, vt ipse det nobis quod nouit vtile magis esse nobis. Pax verò bonitatis est cõsensus pluriũ in bono. Hæc est pax quã Christus promittit, & dat nobis. De hac hic dicitur: *pacem meam do vobis*. De hac etiam dicitur. Et factus est in pace locus eius. Hanc pacem habere debemus cum Deo, cum nobis, & cum proximo. Cum Deo, vt in omnibus eius concordemus voluntati, vt scilicet simus vnus spiritus cum eo. Nobiscum, vt cõsentiat & concordet caro spiritui. Cum proximis, vt simus cum omnibus

Pax triplex.

Psal.127.

Luc.19.

Psal.72.

Psal.142.

Psal.15.

bus hominibus pacem habentes, quod ex nobis est, omnium bona volentes & quærentes: Et si etiam ipsi nobis sint infesti: iuxta quod Dauid ait. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: non tamen propter pacem debemus malis in malo consentire, imò eos corrigere, vel nos ab eis sequestrare. Vnde Dominus: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare filium à patre. Pax malitiæ, est consensus plurium in malo, vt quãdo spiritus consentit carni in malo, vel plures sunt cõcordes in malo. De hac dicitur, quod Herodes & Pilatus facti sunt amici in mortẽ Christi. Hæc pax est pessima, quoniam mali quanto sunt magis concordes, tanto peiores. Hæc est pax quam dat mundus, non Deus.

Psal. 119.

Mat. 10.

Pax malitiæ quid.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus Discipulos suos de suo recessu præuidens turbandos, (quis enim de recessu tanti & talis magistri non doleret?) eos præconsolatur, dicens, *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*: id est, propter formidinem non turbetur. Propter formidinem recessus mei, non turbetur cor vestrum à sua tranquillitate. Et quare non debeant turbari, ostendit cùm subdit: *Audistis quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos*. Vado à vobis ad passionem, & venio ad vos per resurrectionem. Vel vado à vobis patiendo, & ad Patrem ascendendo. Et venio ad vos Spiritum sanctum mittendo, à quo substantialiter seiungi non valeo. Hoc est quod alibi dicit: Non relinquam vos orphanos. Deinde ostendit recessum suum, non solùm non eis nociturum, imò etiam eis profuturum dicens, *Si diligeretis me*, id est, si me perfectè sciretis diligere, *gauderetis vtique*, de hoc, *quia vado ad Patrem*. Et quare? *Quia pater maior me est*, non quantum ad diuinitatis, sed quãtum ad humanitatis substantiam. Ac si diceret, Ascensio mea ad Patrem, & mihi est sublimatio, & vobis confortatio: quia sublimatio magistri, gaudium & cõfortatio & spes debet esse Discipuli. *Hoc*, inquit, *dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis*, me tanquam Deum vt præterita, ita futura nosse. Hoc etiam hodie fratres mei est argumentum fidei nostræ, quoniam Christus est verus Deus, qui vt præterita, ita futura nouit, & cætera quæ solius Dei sunt.

Sequitur pars quinta, in qua ostendit se innocentem propter obedientiam in instanti passuram, dicens: *Iam nō multa loquar vobiscū*, quoniā in hac nocte tradā meipsum membris diaboli crucifigendū. *Venit enim* per membra sua, *princeps huius mundi*, id est, amatorū mundi, *& in me non habet quicquā*, scilicet iuris. In nobis fratres mei, qui in peccatis cōcepti sumus, & sine peccatis nō viuimus, videtur diabolus aliquid iuris habere. Sed in eo, cuius cōceptus & vita maculam nescit, nihil proculdubio iuris habuit. Et si ad illum fratres mei, in quo nihil iuris habuit, venire diabolus ausus fuit, quid putatis faciet nobis miseris, in quibus per peccata videtur habere plurimū iuris? Quid ergo faciemus, nisi inquantū possumus, de potestate eius per pœnitentiā nos eripiamus: & ei, in quo nō habet quicquā, vera fide & charitate adhæreamus. *Sed vt cognoscat*, inquit, *mundus, quia diligo Patrē, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio* Ac si dicat: Non quia diabolus in me aliquid iuris habeat, me ei trado: sed vt cognoscant electi de mūdo, quia diligo Patrem, & eius mandato in redemptione generis humani obedio. Itaq, fratres mei, quoniam Deus sic dilexit nos, vt filium suum vnigenitum pro nobis morti traderet, diligamus Deū, & mandata eius obseruemus: vt ipsum habitantem & manētem in nobis habere mereamur. Habeamus pacem in nobis ad inuicem, non mundi, sed Dei. Spes nostra, consolatio nostra, desiderium nostrum, totum sit in Deo, & propter ipsum innocenter & patienter viuamus: eius voluntatem in omnibus quæramus & faciamus, ipso præstante qui in Trinitate perfecta viuit & regnat. Per omnia secula seculorum. Amen.

IN DIE TRINITATIS,

2. Cor. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & cōmunicatio Sācti spiritus, sit semper cum omnibus vobis. Amen.* Hodie fratres charissimi, in honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis solennitatem celebramus. Conueniens quippè erat, vt post solennitatem specialiter de filio, in Natali, Resurrectione, & Ascensione specialiter de Spiritu sancto, in Pentecosten, specialiter de Patre in dominicis singulisque diebus, com-

Festū Trinitatis.

communiter hodierna die de tribus, id est, de sancta Trinitate in simul solennizemus: non quod Patrem & filiũ, & Spiritum sanctum, (quorum est idem honor & gloria) diuidamus in honorem. Sed quoniam sicut tribus est communis vna substãtia: ista singulis est specialis proprietas sua. Vnde scriptum est, In personis proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas. In personis enim proprietas est, quoniam Patris proprium est generare, Filij proprium est nasci: Spiritus sancti propriũ est procedere. Distinguitur quippè Pater à Filio, & à Spiritu sancto paternitate: distinguitur quoque filius à Patre & à Spiritu sancto natiuitate. Distinguitur & spiritus sanctus à Patre & Filio, sua processione. Sed nemo fratres mei, cùm audit Filium Dei nasci de Patre, vel spiritum sanctum procedere de ambobus, putet (sicut in humana generatione vel processione fit) substantiam patris diuisam, vel diminutam in filium: vel amborum in Spiritum sanctũ. Propter hoc enim remouendum adiunctum est: quod in essentia trium personarum est vnitas. Sunt enim vna substantia, vnus Deus, & vnus Dominus. Rursus nemo putet sicut fit in humana natiuitate vel processione: ita & in sancta Trinitate, Filium Patre, vel spiritum sanctum ambobus minorem, vel tẽpore, vel gradu, vel potestate. Propter hoc enim remouendũ adiunctum est, & in maiestate adoretur æqualitas. Sunt enim Pater, filius, & spiritus sanctus eiusdem trinitatis, eiusdem maiestatis, eiusdem potestatis. De æterno & summo patre semper nascitur coæternus & coæqualis filius: & coæternus & coæqualis spiritus sanctus semper ab his procedit. In sole tria sunt: ignea substantia, splẽdor, & calor. Ex ignea substantia semper nascitur splendor coæuus. Ex ambobus semper procedit calor eis coæuus. Et cùm illa tria sic adinuicem per proprietates suas distinguantur, tamen sunt vnus sol, non tres soles. Comparatio tamen de temporalibus ad Deum nulla est. Sed qualibus exemplis possumus, quod intelligi vel enarrari non potest, balbutimus potius quàm eloquamur. Cùm igitur audis patrem, crede, quia pater est. Cùm audis filium, crede quia filius est. Cùm audis spiritum sanctum, crede quia spiri-

tus sanctus est. Quomodo pater generet filium: vel quomodo pater & filius spirent spiritum sanctum, noli inue-
Esaiæ. 53. stigare, si nō vis errare. Nam iuxta prophetam generationem eius, vel illius processionem, quis enarrabit? Quoniā igitur de sancta Trinitate hodie solennizamus, conueniēter prælibata lectiuncula, in qua de tribus personis mentio fit, hodie recitatur. Est autem l ¿c quædam solutio, in qua ab Apostolo, tria nobis optātur: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei patris, & cōmunicatio spiritus sancti.* Sed cùm hęc tria sint eque tribus communia, quare gratia hic specialiter attribuitur Christo: charitas patri, & communicatio spiritui sancto? Porrò gratia hic appropriatur Christo: quoniam Christus non solum gratias nobis confert, sed etiam seipsum gratis dedit nobis.
Esaiæ. 9. Vnde Esaias: puer, inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis. Quod enim natus est homo, quod passus, quod mortuus, quod refurrexit, quod assendit in cœlum, pro nobis fuit, & totum gratia est. Hanc gratiam Christi optat Apostolus semper esse nobiscum: Quæ quidem quatuor modis est cum fidelibus: per effectum, per memoriam, per gratitudinem, per vicissitudinem. Per effectum.
Quatuor modis gratia est cū fidelibus.
est nobiscum, si quòd à Christo generaliter omnes homines redimuntur, in nobis specialiter efficitur. Et quidem fratres mei, Christus (quantum in eo est) omnes homines redemit. Ipse enim sufficiens hostia fuit pro redemptione omnium: Sed quidam male viuendo, gratiæ
Heb. 12. suæ redemptionis se subtrahunt. Vnde Paulus hortatur, Ne quis, inquit, desit gratiæ Dei. Non enim ait: Ne quibus desit gratia Dei, sed ne quis desit. Vt ostendat quòd cum ipsa ex benignitate Dei omnibus præstò sit, eam tamen meritum humanæ prauitatis repellit. Per memoriā est nobiscum, si quàm vilia, probrosa, quāq; aspera, Christus pro nobis sustinuit, semper memoriter cogitamus. Hinc est quod crucifixus, & cæteræ Christi picturæ nobis in Ecclesia proponuntur: vt per eas gratia dominicæ dispensationis, nobis in memoriam reuocetur. Per gratitudinem est nobiscum, si de misericordia, quam nobis operatus est, semper eum benedicamus, & ei gratiarum actionem de toto corde referamus: si nomē sanctum eius

semper

semper in nostro ore resonemus, non more nouem lepro-
sorum à Domino mundatorum, qui ob ingratitudinem *Luc.17.*
à Domino reprobantur. per vicissitudinem est nobiscum,
si ea quæ ipse prior fecit pro nobis, nos pro eo faciamus:
si quemadmodum ipse mortuus est pro nobis, nos quo-
que pro eo moriamur. Vnde scriptum est: Ad mensam *Eccle.32.*
magnam sedisti: scito quia talia te oportet ei præpara-
re. Et Propheta: Quid retribuam Domino, inquit, pro *Psal.115.*
omnibus quæ retribuit mihi: Calicem salutaris accipiam,
Ac si dicat: cum tot & tanta mihi Dominus contulerit,
quid dignè potero illi retribuere: Et cum pro me facto
me totum illi debeam, pro me redempto & sic redem-
pto, quid ei retribuam? Sed & si millies meipsum valeam
illi retribuere, quæ retributio, quæ comparatio erit mei
ad illum? tantilli ad tantum? tam peccatoris ad tam san-
ctum? In cuius conspectu nec etiam ipsa astra sunt mun-
da: quanto minus nos quorum vita non est nisi tentatio,
& qui habitamus domos luteas? Attamen etsi non pos-
sum ei retribuere, vel hoc quod possum faciam: me non
posse semper referam: & sacrificium illud quod possum,
ei offeram. Charitas verò hìc appropriatur Deo patri, *Charitas.*
quoniam patris est diligere, & filium semper charum ha-
bere. Deus autem pater non solum filium suum vnigeni-
tum diligere vel hæredem facere voluit: sed etiam nos
indignos seruos per sanguinem vnigeniti sui filij in fi-
lios adoptauit: & contra morem temporalium paren-
tum, seruos suo filio cohæredes fecit. Vt simus, inquit *Rom.8.*
Apostolus, hæredes quidem Dei: cohæredes autem Chri-
sti. Optat igitur nobis Apostolus, vt nobiscum semper
sit charitas Dei patris: vel charitas illa, qua deus diligit
nos: vel charitas illa, qua nos diligimus Deum. Et chari-
tas quidem, qua Deus diligit nos, semper est nobiscum
si dilectionem illam, qua nos vocauit, & fideles suos effe-
cit per contersationem, per ampliorem gratiarum colla-
tionem, & per perseuerantiam, in nobis quod ipse per
misericordiam suam facere dignetur, consummet & con-
firmet. Charitas verò, qua nos Deum diligimus fratres
mei, tunc semper est nobiscum, si (quod vtinam ipse no-
bis concedat) cum tanquam summum & verum Patrem

totis viscеribus semper diligimus: si mandata eius inuiolatè custodimus, si eum quantū possumus, vt boni filij in munditia, misericordia, & sanctitate: cæterisq; virtutibus imitamur. Cōmunicatio quoq; hic appropriatur spiritui sancto: quoniā cum spiritus sanctus sit, amor, concordia, & benignitas, eius est dona gratiarum suarū fidelibus erogando cōmunicare. Optat igitur Apostolus, vt nobiscum sit semper cōmunicatio spiritus sancti: vel illa, quæ dona sua nobis cōmunicet, vel illa quę nos bona nostra aliis cōmunicare faciat. Vtraq; enim ipsius est, & vtinam fraties mei vtramq; communicationem, ille sanctus & benignus spiritus operetur in nobis. Primam, vt videlicet cōmunicet nobis suarum largitatem gratiarum veram conferens nobis fidem, spē & charitatem, sapientiam, iustitiam, fortitudinem, & tēperantiam: cæteraq; dona sua tam spiritualia quàm corporalia: quibus decenter ornati, ipsum spiritum sanctū inhabitatorem habere mereamur. Secundā, vt ipsas gratias nobis collatas nos aliis communicare faciat: ne scilicet talentū cōmissum inutiliter absondamus: sed potius ad profectum tam nostrum quàm aliorum distribuamus. Itaq; fratres mei, oremus toto corde vt semper sit nobiscum gratia Christi, charitas Dei patris, cōmunicatio spiritus sancti: quatenus dona Dei mereamur percipere: & percepta: tam ad nostrū quàm aliorum profectū communicare: ne de perceptis talentis tanquā inutiles serui damnemur: sed potius de acquisito lucro remunerari mereamur: Largiente Deo & Domino nostro patre & filio & spiritu sancto: quibus est vnus honor, vna potestas, vna gloria per infinita seculorum secula. Amen.

Communicatio.

IN DIE TRINITATIS.

Ioan. 3. ERat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorū, hic venit ad Iesum. Lectio ista bipertita est, fratres charissimi. Prima enim pars cōtinet Nicodemi ad Dominum accessionem & confessionē. Secūda, ei factam à Domino eruditionem. Primò igitur ostenditur Nicodemum ad Dominum accessisse: in quo quinq; pariter nobis ostenduntur: id est ex quibus, & quis, & quantus, & quādo ad Dominū venit, & quid ei dixit. Ex quibus venit? Ex Pharisæis: ex illa videlicet mala progenie, quā Ioannes

Mat. 3. Luc. 3.

Baptista

Baptista progẽniem viperarum vocat. Progenies, inquit, viperarum, quis vos docebit fugere à ventura ira? Ex mala igitur stirpe, tanquam rosa de spina natum est aliquod bonum. Iuxta quod ipse Ioannes dicit: Quoniam potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ. Et hoc ideo fratres, vt nemo causetur malitiam parentũ sibi obstare: sicut nec sanctitatem parentũ sibi malè viuenti prodesse: Domino dicente per Prophetam, quoniã filius non portabit iniquitatem patris, &c. Quis venit? Nicodemus, id est, victor populi. Et iste quidẽ benè victor populi fuit: quoniam cùm populus suus esset incredulus, iste credulus fuit: Cùm populus suus esset superbus, iste humilis fuit. Quem nos fratres mei, imitantes, conemur vnusquisq; vitium populi sui superare. Si Iudæus es, stude Iudæis innatam incredulitatem superare. Si Gallus es, stude Gallis innatam superbiam superare. Si Romanus es, stude Romanis innatam auaritiã superare. Si Pictauinus es, stude Pictauinis innatam ingluuiem & garrulitatem superare, & similiter de cæteris. Quantus venit? Princeps Iudæorũ & Magister in Israel. Et cum tantus & talis esset, tamen non erubuit humilis, discipulusq; fieri. In quo cõfutantur Principes & Magistri, qui magis volunt ignorare quàm humiliari & erudiri. Quando venit? nocte. Et quare nocte? Si propter necessitatis festinantiã, imitabile est nobis, vt Medicum animarũ nostrarũ quærere non procrastinemus. Si propter oportunitatẽ, imitabile quoq; est nobis: vt oportunitatẽ temporis, in qua familiarius instruamur, eligamus. Si propter pudorẽ vel metum Iudæorũ, signũ est imperfectionis. Sed & hoc etiam imitabile est nobis: vt si adhuc imperfecti, pudorem vel metum superare non valemus: satius tamẽ occultè discere quàm ignorare: occultè benè agere, quàm nihil agere studeamus. Quid dixit? *Rabbi, scimus quia à Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Tria de Domino cõfitetur: quia à Deo venerit, quod magisterium eius ex Deo sit: & quod per hæc diuina opera aduerti possit. Quæ tria fratres mei, in vno quoq; nostrũ, (si boni Pastores & Prædicatores sumus) debent esse. Debet enim Pastor à Deo mitti, vt Aaron. In quo cõfutantur illi

Ibidem.

Ezech. 18.

Oseæ. 8.

illi qui se ingerunt, de qualibus Dominus: Regnauerunt, inquit, & non ex me. Debet quoq; Pastor, non suam, sed
Ezech. 3. Dei doctrinam docere. Vnde Dominus: Et annuntiabis, inquit, eis ex me. Debet etiam ea opera facere, non quæ seculares faciũt, sed quę facere possit nemo, nisi fuerit Dominus cum eo. *Scimus quia à Deo venisti Magister.* Ac si apertè dicat: Quia à Deo venisti Magister, doce nos quomodo regnum Dei valeamus adipisci.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus docet Nicodemum, quomodo valeamus adipisci regnum cœlorum. Porrò tria sunt necessaria, vt ad regnum Dei ascendere valeamus: Baptismus, ascensio, & passio Domini. Per baptismum quippè digni sumus, qui ascendamus. Per ascensionem Domini, nobis cœlum aperitur. Per passionem quoq; eius, erigitur nobis scala qua ascendamus. De baptismo igitur instruit Nicodemũ, cùm dicit: *Nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Ac si apertè dicat, per baptismum fit homo aptus, vt regnum Dei adipisci mereatur. In quo innuit duas esse natiuitates: primã carnalem, & secundam spiritualem. Per primam nascitur ex homine homo in peccatis ad mortem. Per secundam verò nascitur ex Deo intus in Spiritu sancto, ad vitã æter-
Psal. 50. nam. De prima dicit Dauid: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. De secunda
Ioan. 1. dicit Ioannes: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. At Nicodemus spiritualem ignorans natiuitatem, tanquam rudis, ait: *Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? Numquid potest in ventrẽ matris suæ iterato introire, & renasci?* Quod dicit Nicodemus de prima natiuitate, verũ est etiã de secũda. Quoniam sicut nec prima, ità nec secunda iterari potest. Explanat igitur quod obscurè dixerat Nicodemo, tria demonstrans: ex quibus scilicet secunda natiuitas fiat: & quomodo à prima differat, & qualem hominẽ efficiat. Ex quibus fiat ostendit, cùm dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ Dei.* Porrò in baptismo Domini, sunt sacramentũ extetius, & res, & purifi-

catio

catio interior. Sacramentū exterius, id est, exterior ablutio, ab exterioribus sordibus, fit ex aqua, quādo scilicet homo ter in ea mergitur, in nomine Patris & filij & spiritus sancti, amen. Purificatio verò interior à peccatis, fit à Spiritu sancto. Nihil itaq; confert exterior ablutio sine interiori: videlicet vt quādo adultus fictè vel indeuotè ad baptismū accedit. Sed nec interior sine exteriori fieri potest: nisi quādo effusio sanguinis supplet vicem baptismi. Deinde inter primam & secundam natiuitatem differentiam assignat, cùm dicit: *Quod nascitur ex carne, caro est: Et quod nascitur ex spiritu, spiritus est.* Ex homine enim carnali, nascitur per carnalem concupiscentiam homo carnalis. Ex spiritu verò sancto, nascitur per baptismum homo spiritualis. Per primam natiuitatē nascimur filij hominis veteris Adæ: per secundam, renascimur filij noui hominis Christi. Carnalis etiam natiuitas est tempore prior, Spiritualis posterior. Quoniam nisi fuerit prius natus homo carnaliter ex Adam, non potest spiritualiter nasci ex Christo. Vnde Apostolus, Non enim, inquit, est prius quod est spirituale: imò prius est quod est animale: deinde quod est spirituale. Hinc est quod infans in vtero matris non potest regenerari. Posteà demonstrat qualem spiritualis generatio efficiat, cùm subdit: *Spiritus enim vbi vult spirat*, id est, cuius cor vult illustrat. *Et vocem eius audis*, vel per scripturas, quæ in spiritu Dei sunt scriptæ, vel etiam per hominem in spiritu Dei loquentem. *Et nescis vnde veniat, vel quò vadat*, id est, tu carnalis ignoras vnde gratia illa in hominem veniat, vel ad quantum bonum eum ducat. *Sic est*, inquit, *omnis qui natus est ex spiritu*. Qualis quippè est spiritus, talem efficit illū quem aspirat. Sicut enim spiritus est liber, spirans vbi vult: ita facit hominē quem aspirat, liberum, liberans per gratiam eius arbitrium: vt quando velit, possit facere bonum. Malus quippè, & si habet arbitrium à necessitate liberum, tamē non habet illud per gratiam à peccato liberatum. Sicut quoque spiritus per vocem sese declarat: ita hominem quem illustrat, per bona verba & opera, cæteraque exteriora signa, iustū esse manifestat. Sicut enim nescit homo carnalis vnde spiritus veniat, aut quò vadat: ita nescit quod homo spiritualis

1. Cor. 15.

ex

ex Deo natus sit, & quod ad regnum cœlorum tendat.

Colloss. 3. Propterea vos fratres, qui spirituales estis, & quorum vita
2. Cor. 2. abscondita est cum Christo in Deo, ne miremini si carnales vos irrideant, si vos contemnant, si vos pro nihilo habeant. Quoniam animalis homo, nõ percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Sola enim terrena sapit & quærit. Cùm autẽ Nicodemus quæreret quomodo possent hæc fieri, audiuit, *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?* In quo ostendit Dominus, Magistrũ Ecclesiæ spiritualia ministeria nõ debere ignorare. Nunquid enim decet pastorẽ esse bestialem, & gradiri incuruu more bestiæ: & non potius rectum stare hominem, & sapere quæ sursum sunt, non quæ super terrã: *Amen, amen*, inquit, *dico tibi, quia quod scimus, loquimur: Et quod vidimus in occulto, testamur apertè, & testimoniũ nostrũ non accipitis*. Idem fratres, hodie contingit: quoniam cùm spirituales Magistri docent ea quæ spiritualiter sciunt, & testantur ea quę spiritualibus oculis viderunt, bestiales homines non credunt testimonio eorum. Non enim credunt aliqua esse, nisi quæ carnalibus oculis possunt videre. *Si enim*, inquit, *terrena dixi vobis,*
Ioan. 2. *& non creditis*. Vt illud, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, *quomodo si dixero vobis cœlestia credetis?* Est autem argumẽtum à minori. Quoniam qui nõ credit terrenis quę à ratione hominũ remota nõ sunt, quomodo credet cœlestibus, quæ humanam rationẽ excedunt? Porrò de ascensione sua instruit Dominus Nicodemum cùm subdit: *Et nemo ascẽdit in cœlum, nisi & qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*. De se tanquam de alio loquitur, vt exemplum præbeat nobis arrogantiæ deuitandæ. Ac si dicat, si vis in regnum cœlorum ascendere, adhęreas per charitatis vnionem filio hominis, qui solus cum membris suis ascendit. Itaque fratres mei, si in regnum cœlorũ ascendere volumus, capiti nostro Domino nostro Iesu Christo, fide & charitate adhæreamus: quoniam qui membrũ corporis Christi nõ est, ad regnum cœlorum ascendere nequaquam potest. Vnde ipse dicit:
Ioan. 14. Nemo venit ad Patrẽ nisi per me. Ipse quippè est ostium, ipse est ostiarius: ipse nobis est dux & subleuator ad regnũ cœlorum. Quod autem filius hominis in cœlum ascẽdat,

Ministri Ecclesiæ spiritualia mysteria non debẽt ignorare.

probat

probat ex hoc quod ipse est idem in persona filio Dei, qui de cœlo descendit, sed quod expressius est, Filium hominis dicit in eodem tempore, in quo hęc loquebatur in terra, esse in cœlo. Sed cùm sequentia loquutionis exigeret, vt diceretur filium Dei descendisse, & filiũ hominis ascendisse: quia tamẽ non præiudicat veritati dictorum inconsequens iunctura dictionum: hìc confusè dicitur idẽ filius hominis & descendisse & ascendisse, & in terra loqui, & in cœlo esse: vt penitus explodatur hæresis, quę Christum in duas diuidere personas attentauit. Fides enim catholica in Christo geminam quidem naturam, sed vnam solam confitetur personam. Hinc est, quod quamuis inconsequenter, tamen audacter & verè confitemur, & filium hominis mundum creasse, & filium Dei ex Virgine natum, & quod maius est mortuum esse. De passione sua eum instruit, quum subdit: *Et sicut Moses exaltauit serpentem in eremo: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam.* Et pulchrè Magistrum legis, per figuram legis de sua instruit passione, innuens tam hoc, quàm alia in lege in figuram sui præcessisse. Ignitis enim serpentibus filios Israël in deserto necantibus, iubente Domino, Moses erexit serpentem æneum in palo, ad quem respicientes, ab ignitis serpentibus liberabantur. Porrò Moses præfigurauit populum Iudaicum. Serpens æneus eleuatus in cœlo, in palo, exaltationẽ Christi in ligno figurauit. Et benè Christus per æneum serpentem figuratur: quoniã sicut æneus serpens, serpentis habet similitudinem & non rem: ita Christus habuit similitudinem carnis peccati, non autem carnem peccati. Et sicut æneus serpens cùm serpens videretur, erat imputribilis & durabilis: ita Dominus, cùm homo mortalis appareret, tamen secundùm diuinitatem æternus erat & immortalis. Sicut autem respicientes ad æneum serpentem non occidebantur ab ignitis serpentibus, sed viuebant: ita quicunq; vera fide & dilectione ad Christum crucifixum respiciunt, non occiduntur à serpentinis tentationibus diaboli, sed habent vitam æternam. Est ergò ac si dicatur Nicodemo vel cuilibet fideli. Si vis ab insidiis diaboli liberari, & in cœlum cum filio hominis

ascen-

ascendere, ad ipsum crucifixum semper respice. Respice, inquam, fide, respice dilectione, respice imitatione. Iuxta quod ipse alibi monet, qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Hæc est enim fratres mei via, hæc est scala ascendendi ad regnũ cœlorum. Non enim per diuitias, non per honores, non per voluptates, itur ad regnum cœlorum, sed per veram fidem, per veram Dei & proximi dilectionem, per rerum temporaliũ, & etiam proprij corporis abrenunciationem, per humilitatem & patientiam. Per quam viam det nobis se sequi & consequi Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Luc. 9.

IN FESTO SANCTAE Trinitatis.

Eccle. 11. *Time Deum & mandata eius obserua. Hoc est omnis homo.* In hac breui clausula fratres charissimi, forma & eruditio totius humanæ vitæ comprehenditur. Cùm enim Salomon de diuersorum sententiis & opinionibus multa concionatus esset, ad extremũ concluſit hanc sententiam veriorem & homini magis necessariam. Vos igitur fratres, si non potestis multas scripturas legere: si non potestis multas sententias retinere: saltem hanc breuissimam sententiolam in mente semper retinete. Hanc adimplere satagite, quoniam hæc faciendo, vitam consequemini sempiternam. Videre igitur debetis quomodo sit timendus Deus: quomodo mandata eius obseruanda: & quomodo hic sit omnis homo. *Time*, inquit, *Deum*. Ac si aperte dicat, noli timere amissionem rerũ temporalium: noli timere pœnam vel mortem temporalem, sed solum Deum time. Timor enim damni temporalis, vitiosus est. Ille enim solus timet amittere temporalia, qui ea nimis amat. Scriptum est enim, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Itaque fratres, imitemur antiquos Patres, qui res terrenas non concupierunt, & habitas, non dilexerunt, & ideò perdere illas non timuerunt, quin potius sine rancore eas dereliquerunt, & lætè eas pauperibus erogauerunt. Imitemur beatum Iob, qui tot & tantas

1. Ioan. 2.

Iob imitandus.

tas diuitias sine amore habuit, sine timore possedit, sine dolore perdidit. Istum ergo mundanum, vitiosumque timorem à nobis expellamus: discamus terrena contemnere, & ea ridendo amittere vel potius erogare. Timor verò pœnæ vel mortis, naturalis est: & ideo nisi excesserit, non est vitiosus. Vnde & Dominus, qui nihil nisi bonum habuit, hunc pro nobis voluntariè susceptit: timuit enim mortem, & propter eam tristis fuit: Qui tamen hortatur suos ne timeant mortem: Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius illum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Quasi diceret, quamuis humanum sit timere mortem, tamen vos propter timorem Dei, vincatis timore mortis. Hinc est quod quãnis Apostoli vt homines, timerent mortem, clamat tamen Paulus, Cupio dissolui & esse cum Christo. Et Andræas, O crux desiderata. Quod enim natura in eis reformidabit, hoc voluntas amplectebatur. Nos ergo fratres, & si caro nostra reformidat pœnam vel mortem, nos tamen rectè viuentes, pati vel mori pro Christo desideremus. Si enim mors timenda est, propter consequẽtia timẽda est. Mors quippè cùm sit momẽtanea, magna pœna non est. Sed pœnę quę sequuntur mortem, magnæ & æternę sunt, & ideò magis timendæ. Timeant ergo mortem qui faciunt vnde timere debeant. Timeant mortem adulteri: timeãt mortẽ fures, homicidæ, auari, periuri, cęteriq; iniqui. Nos ergo fratres, si rectè viuimus, si Deum toto corde diligimus, si mãdata eius obseruamus, mortem nõ debemus timere: imò eam securi expectantes etiam desiderare, vt per eam de exilio ad patriam, de tristitia ad gaudium, de miseria ad beatitudinem transeamus. Itaque fratres, solummodo Deum timeamus. Ipse enim in omnibus & omnia in ipso sunt timenda. Quoniam nec diabolus, nec homo, nec fera, nec aliquid aliud, nisi ipso volente, nobis potest nocere. Vnde Sapiẽs ait: Qui timet Deũ, omnia timent eum: & qui nõ timet Deũ, timet omnia. Est autem timor Dei triplex: Seruilis, initialis, & filialis. Porrò seruiliter timet Deum, qui conscius peccatorum suorum, non diligit Deum vt Patrem, sed timet vt Iudicem: more serui iniqui, qui timet Domi-

Timor mortis naturalis.

Mat. 10.

Philip. 1.

Mors propter cõsequentia timenda.

Timor Dei triplex, Seruilis, Initialis, et Filialis.

Dominum suum nec diligit: Hoc timore diabolus & iniqui homines timent Deum. Iste timor inquantum quidem est initialis, est bonus: inquantum vero est seruilis, est malus. Hunc timorem vera dilectio foras mittit. Quoniam cùm aliquis malus conuersus incipit Deum vere diligere, incipit eum non seruiliter timere. Vnde Ioannes: Timor enim, inquit, non est in charitate, sed perfecta charitas, foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Ergo fratres mei, si quis nostrum sibi malè cõscius est: citò conuertatur, & cõfiteatur, & ploret peccata sua, vt desinat seruiliter Deum timere, & incipiat eum verè diligere. Initialis verò timor est, quando aliquis se cõuertens ad Deum, incipit eum diligere: & tamen quia in cõscientia sua nondum securus est, eius iudicium timet. De quo timore dicitur: Initium sapientiæ timor Domini: quia quando aliquis Deum incipit timendo diligere, incipit rectè sapere. Filialis verò timor est, quando aliquis non ex conscientia praua, sed ex sola dilectione Deum timet more boni filij, vel castæ sponsæ: qui non ex iniqua conscientia, sed ex sola dilectione diligunt: hic Patrem: illa sponsum. De hoc timore loquitur Dauid: Timor Domini sanctus, permanet in seculum seculi. Itaque fratres, timeamus ex sola dilectione Deum, qui nos creauit, qui nos tanquam pater filios diligit: seipsum pro nobis pretium tribuit: bona sua temporalia hîc & in futuro cœlestia dabit. Omnibus amicis nos relinquẽtibus, ipse nos non relinquit, sed nos consolatur per prospera: corrigit per aduersa. In obseruatione verò mandatorum Dei, quatuor considerare debemus. Primò, vt non de viribus, sed de solo Deo confidamus. Propter hoc enim Iudæi, qui dicebant: non deest qui impleat, sed deest qui iubeat, legem implere non poterant. Sed nos fratres, nõ ex nobis, sed ex Dei auxilio, eius posse facere mandata confidamus. Ipse enim dat velle & perficere. Vnde Apostolus, Non quod sufficiẽtes simus cogitare aliquid quasi ex nobis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est. Et alibi: Non est volentis velle, neque currentis currere, sed miserentis Dei. Secundò, vt mandata Dei quomodo, quantũ, quo ordine facienda sunt, faciamus. Quomodo? vt fa-

Initialis timor.

Filialis timor.

In obseruatione mãdatorum Dei, quatuor obseruanda.

1. Ioan. 4.

Psal. 18.

2. Cor. 3. Rom. 9.

vt faciamus mandata Dei ex dilectione, non ex timore, nec ex carnali amore. Ex timore enim quidam cauent homicidia, adulteria, & furta perpetrare, nec ideò adimplent ista mandata: Non occides, non mœchaberis, nõ furtum facies. Quoniã, vt ait Poëta, *Oderat peccare mali formidine pœnæ, Oderunt peccare boni virtutis amore.* Horatius. Faciunt etiã quidam ea quæ Deus præcipit ex carnali amore: quoniam diligunt filios, & vxores, & parentes carnaliter non spiritualiter: & ideò mandata Dei non adimplent. Quantum? vt faciamus mandata Dei secundùm nostram possibilitatem. Quidam enim cùm multa possint dare pauperibus, non ideò putent se adimplere mandata Dei de eleemosyna facienda, quia aliquid præstant. Deus enim pensat non quantum, sed ex quãto. Quo ordine? vt faciamus mandata Dei, eo ordine quo sunt facienda. Si enim prius diligo me, vel aliquid aliud: & post Deum: Vel si plus diligo extraneos quam parentes, mandatum de dilectione non adimpleo. Tertiò, vt eo fine faciamus mandata Dei, quo sunt facienda. Qui enim propter vanam gloriam dat eleemosynam, mandatum de eleemosyna danda non obseruat, quæ propter solum Deum facienda est. De qualibus Dominus ait: Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Mat. 6. Quarto, vt de obseruantia mandatorum Dei non penes nos gloriemur, sed Deo totum attribuamus. Sicut ipse præcepit, dicens: Cùm omnia feceritis, dicite quia inutiles serui sumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17. Et Apostolus: Qui gloriatur in Domino glorietur. 1. Cor. 1. Postquam autem Salomon præcepit nos Deum timere & mandata eius obseruare, subdit causam, dicens: Quia hoc est omnis homo, id est, ad hoc est factus omnis homo. Et hæc faciẽdo est omnis homo. Porrò ad hoc est factus omnis homo, quoniam factus est homo à Deo, vt ipsum super omnia timeret & diligeret, & mandata eius obseruaret, & hoc faciendo, beatam & perpetuam vitam obtineret. Et hoc apertè contra illos est, qui plus timent vel diligunt hominem, vel aliquam aliam rem quàm Deum: vel qui plus faciunt mãdatum hominis quàm Dei. Qui profectò cùm timorem, dilectionem & obseruantiam creatori debitã, creaturę impẽdunt: quid aliud quàm creaturam

pro Deo colunt? Illud quippe quod plus colis & diligis, tibi Deus est. Si ergo Deo præponis nummũ: nummũ tibi Deum constituis. Si meretricẽ Deo præponis: meretricem Deam tibi constituis. Si Bacchũ Deo præponis, hunc tibi Deũ constituis. Timendo etiã Deum & faciendo eius mandata, est omnis homo. Homo enim qui Deum nõ timet & mãdata eius non obseruat, iam non est. Deus quippe solus, cuius essentia æterna & immutabilis est, dicitur
Exod. 3 proprie esse. Vnde & ipse ait ad Mosen: Sic dices, qui est misit me. Et: Ego sum qui sum. Hoc est nomen meũ. Ac si diceret, Omnia temporalia quia nunc sunt, nunc nõ sunt, non verè sunt. Itaq; fratres mei, quantò plus accedimus per imitationem ad Dei bonitatem, vt scilicet simus sancti, sicut ipse sanctus est: mundi, sicut ipse mundus est: misericordes, sicut ipse misericors est: tantò magis sumus. Quantò verò plus recedimus à Deo, qui est verũ esse per dissimilitudinem malitiæ, immunditiæ, crudelitatis, cæteroruṁ, vitiorũ, tantò minus sumus. Non quia possit homo nihil esse: sed quia est melius non esse, quàm esse malè. Melius nihil esse, quàm infeliciter esse. Vnde Do-
Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. minus de Iuda: Melius illi esset, si natus non fuisset homo ille. Optabunt enim reprobi in inferno mortem, sed mors fugiet ab eis, nec omninò peribunt, vt semper perire possint. Cùm ergo pœna æterna duplo sit grauior qualibet pœna temporali: melius esset reprobis semel penitus perire, quàm semper pereundo durare. Nos ergo fratres charissimi. spreto mũdo cum cõcupiscentiis suis, solũ Deum cum dilectione timeamus, & cum timore diligamus: eius mandata obseruare studeamus, vt cum eo verè esse, viuere & regnare perpetuò mereamur. Ipso auxiliante qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus. Amen.

DOMINICA PRIMA post Trinitatem.

1. Ioan. 4. *Charissimi, Deus charitas est, &c.* Hæc loquitur fratres charissimi, Ioãnes Apostolus & Euãgelista, dilectus à domino, qui & recubuit in cœna super pectus eius. Hic enim quia tenerius cæteris à Domino dilectus est, profundius & excellentius cæteris de dilectore suo & de dilectione eius eloquutus est. Hic itaq; facit in hac loquu-

tione

tione sex: Primò demonstrat quantam charitatem Deus habuerit erga nos: Secundò ad charitatem monet nos. Tertiò ostendit vera esse quæ de Dei dilectione dixit. Quartò charitatem commendat. Quintò nos hortatur ad dilectionem Dei. Sextò probat Deum sine proximo non posse verè diligi. Volens igitur ostendere quantam charitatem Deus habuerit erga nos, ait: *Deus charitas est.* Sanè si Deus non omnes, vel tantū meritos diligeret, ipsa charitas, id est, dilectio, propriè dici non posset. Nunc autem quia omnes, & etiam immeritos diligit, ipsa charitas & dilectio per emphasim, id est, per expressionem potest dici. Ita quippè exuberat Deus visceribus pietatis & dilectionis, quod suę bonitatis & dilectionis neminem expertem relinquit, facit enim Solem suū oriri super iustos, & iniustos, & pluit super bonos & malos. Dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorū invocātibus eum. Vnde ad eum verè per Sapientem dicitur: Nihil odisti Domine, eorum quæ fecisti, cæterum dilectio & largitas diuina nequaquam inordinata est. Quod vtiq; esset, si omnes tam bonos quàm malos æquè diligeret. Sed hoc non est: imò malis quædā minora bona præbet. Vnde scriptū est: Homines & iumēta saluabis Domine, scilicet temporaliter. Bonis verò maxima bona reseruat: quæ scilicet nec oculus vidit, nec in auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Omnes tamē quantū in ipso est, eternaliter saluabit. Vnde & hic ostēdit Apostolus quatuor, id est, quantū nos dilexerit: & ad quid: & quādo: & quomodo. Quantū nos dilexerit, ostēdit cùm dicit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia misit vnigenitū suū filiū in mundū.* Multū fratres mei, nos Deus dilexit: cùm nec aurum, vel argentū: non Angelum, non aliquam creaturam suam, sed ipsum vnigenitum suum & amantissimum filium, tradidit pro nobis. Ad quid? ostēdit: *vt viuamus per eum.* Non enim ideò dilexit nos, vt ipse melior esset de nobis, sed vt nos meliores essemus de eo. Et hæc est fratres, vera dilectio, quæ nō quærit commoda sua, sed aliena. Quando nos dilexit? ostēdit cùm subdit: *In hoc est charitas, nō quasi nos dilexerimus eū: sed quia ipse prior dilexit nos.* Tunc ergo dilexit nos cùm nos nō diligebamus eum, imò contemptores &

Mat. 5. Psal. 146. Sap. 11. Psal. 35. 1. Cor. 2.

Perfecta dilectio inimicos diligere.

inimici eius eramus. Et hęc est fratres mei, vera dilectio & perfecta diligere etiam inimicos. Quomodo nos dilexit, innuit cùm subdit: *Et misit filium suum propitiationem*, siue (vt alia translatio habet) litatorem pro peccatis nostris. Benè ergo dilexit nos, qui non dilexit in nobis malũ, quod ipsi fecceramus, sed potius bonum, quod ipse in nobis fecerat, vel facturus erat. Ita ergo dilexit nos, vt nos faceret de peccatoribus iustos, de seruis liberos, de pollutis sanctos. Et hæc est fratres mei, vera dilectio, diligere in homine bonum, & odisse malum.

Sequitur pars secunda, in qua hortatur Apostolus nos ad dilectionem, dicens: *Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere.* Est autem argumentum à minori, quoniam si Deus, qui non tenetur nos diligere, nos dilexit, multò magis nos qui ad inuicem nos diligere tenemur, nos diligere debemus. Tenemur quippe diligere proximum, triplici de causa, quia opus Dei est: & creatorem in creatura diligere tenemur. Et quia Deus præcepit, vt diligeretur, cuius præceptis obedire tenemur. Et quia Deus homines dilexit, cuius exemplum imitari tenemur. Diligamus igitur fratres mei, exemplo creatoris nostri proximos nostros, non vilia, sed etiam carora nostra eis & pro eis dantes: Diligamus eos non intuitu temporalis retributionis, nec ad vitam temporalem, sed ad æternam. Diligamus quoq; eos priores, non expectates vt ipsi prius nos diligant: sed potius nos eos præuenientes, de non amantibus amãtes, vel de inimicis amicos faciamus. Diligamus etiam eos & optemus eis bonum: bonũ quod est in eis amantes, malum verò si quod est, in eis odientes, & ab eis auferentes. Ad hoc autem quod aliquis posset quærere, quare nos hortaris, primò ad dilexionem proximi: cùm prius deberes nos hortari ad dilectionem Dei? Respondet, *quoniam Deum nemo vidit vnquam.* Ac si apertè dicat: quia ergo Deus est inuisibilis, & dilectio eius est inuisibilis propterea vos hortor primò ad dilectionem proximi, in quo solus Deus diligitur: Et in cuius dilectione, dilectio Dei verius comprobatur. Vnde & subdit: *Si diligamus inuicem*, subaudi propter Deum: Deus in nobis manet per dilectionem & charitatem eius, quæ in nobis

Triplici de causa proximus diligendus.

perfe-

perfecta est, id est, in vera dilectione proximorum appareat, quia Deus nos diligit verè, & nos eum.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus sua & aliorum Apostolorum auctoritate vera esse quæ de charitate Dei dixerat, ostendens primò se tales esse, quibus credi oporteat, cùm subdit: *in hoc cognoscimus quia in Deo manemus & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis*, id est, de gratiis Spiritussancti, quibus eruditi, sanctificati, & purificati sumus. *Et nos vidimus, fide*, filij eius diuinitatem, & oculis corporis, humanitatem eius. *Et testificamur* moribus, prædicatione, & miraculis quoniam pater misit filium suũ saluatorẽ mundi. Testificamur etiam quod quisquis confessus corde, ore, & opere, *fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet*, per gratiam, *& ipse in Deo*, per charitatẽ. *Et nos*, scilicet Apostoli, *cognouimus* experimento, hoc esse verum, *& credimus charitati quam habet Deus in nobis*, & inde cogimur diligere eum. Infideles enim ideò non diligunt Deum, quia ignorant se diligi à Deo. Itaq; fratres, si volumus, quod Deus in nobis maneat, & nos in eo, confiteamur Dominũ nostrũ Iesum Christũ esse verũ Deum veri Dei filiũ, & saluatorem mundi. Confiteamur hoc, inquam, corde, ore, & opere: (quoniã vnum sine aliis non sufficit) maximè vbi est necessariũ. Petrus quippè cõfitebatur Dominũ corde, sed tamen ore negando corruit. Corde enim, vt ait Paulus, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sed & sunt quidam falsi Christiani, qui corde & ore Christum confitentur, sed operibus diffitentur, de qualibus Paulus, Cõfitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant. Nos ergo fratres, Christum firma fide credamus: ardenti charitate diligamus, prædicatione & opere: & etiam si necessarium fuerit, morte eum cõfiteamur: vt ipse in nobis, & nos in eo, in æternum manere mereamur. *Rom. 10.* *Tit. 1.*

Sequitur pars quarta, in quâ commendat charitatem quinq; modis. Primò, quod adeò digna sit, quod Deus eius nomine se voluerit appellari. Quod ostendit, cùm dicit: *Deus charitas est.* Dicitur autẽ Deus charitas, & substantialiter & causaliter, & actiuè & passiuè. Et substantialiter quidem, Deus charitas, id est, dilectio dicitur, quoniam *Deus cha-ritas.*

niam eius substantia dilectio est, sicut sapientia, potentia, & huiusmodi. Causaliter verò dilectio dicitur, quoniam dilectionem, pacem, & concordiam, in suis efficit creaturis. Ipse enim efficit quod quatuor elementa, licèt contrariarum sint naturarũ, in vnam dilectionis concordiã connectantur. Ipse efficit quod quatuor humores in corpore, licèt contrarij sint, in vnam sanitatis concordiam vniuntur. Ipse efficit, quod in Ecclesia multitudinis credentium est cor vnum & anima vna. Ipse quoq; efficit, quod diuersæ personæ sint vnanimes, & vnius moris in domo. Actiuè etiã dicitur Deus dilectio, quia benignus & suauis est Dominus vniuersis: quosdam per electionem, vt electos: quosdam per gratiarum collationem, vt præsentialiter iustos: omnes verò per essentiæ conseruationem diligens. Passiuè verò dilectio dici potest, quoniam amabilis est in se, & dulcis ad amandum. Cuius dulcedinem gustauerat
Psal. 33. Psalmista, qui dicebat: Gustate & videte quoniam suauis
Psal. 30. est Dominus. Et alibi: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Secundò autem commẽdat charitatẽ, per hoc quod ea facit nos dignos qui maneamus in Deo, & in quibus Deus maneat. Vnde & subdit: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Per charitatem quippè in Deo manemus: quia si Deum diligimus, corde & desiderio in Deo manemus: eius mandata facimus, eius volũtatem nostræ præponimus, totis viribus ad eum festinamus. Per charitatem quoq; Deus in nobis manet: quoniam si Deum diligimus verè, ipse habitat in nobis: gratiis suis nos implendo, nos sustentando, nos protegẽdo, regendo, & dirigẽdo. Tertiò verò cõmendat charitatẽ, per hoc quod charitas nos similes efficit Deo. Vnde subdit: *In hoc est charitas nobiscũ: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Id est, sicut Christus est misericors, sanctus, & bonus, amator etiã inimicorũ. Ita & nos qui sumus in hoc mundo, per dilectionẽ ei assimilari cupientes, studeamus fieri misericordes, sancti & boni, & etiã inimicorũ amatores. Iu-
Ioan. 12. xtã quod ipse præcepit nobis, Qui mihi ministrat, me sequatur, subdens etiã præmiũ, cùm dicit: Et vbi sum ego, illic & minister meus erit. Vnde & hic quartò cõmendat

charitatē, quia facit nos habere fiduciam in aduentu Christi. Verū quippe est quod vulgò dici solet: Secure vadit ad Curiam, qui Præpositum habet parentem. Nos quoq; fratres, si Deū vere dilexerimus: si eum tanquā patrem, sanctitate, misericordia, cæterisque virtutibus imitati fuerimus, cum magna securitate & fiducia, ad secundum eius aduentū veniemus. Hac securitate cōfisus Propheta, non timet mortem neq; iudiciū, sed potius vt adueniat deprecatur: Educ, inquit, de carcere animam meam, vt cōfitear nomini tuo. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cū Christo. Quintò etiam cōmendat charitatem, per hoc quòd timorem excludit, dicens: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Quem timorem? Cùm sint quinq; species timoris, scilicet mundanus, humanus, seruilis, initialis, & filialis. Perfecta charitas mundanum timorem prorsus excludit: quoniam qui perfectè Deum diligit, damna mundanarū rerū non timet: sed potius quæ sine amore possidet, absq; dolore relinquere paratus est. Excludit etiā ex maximā parte timorem humanum: quoniam qui Deum perfectè diligit, ad pœnam & mortem temporalē non trepidat, sed potius securus expectat, vt per eam ad desideratam Dei visionem perueniat. Excludit etiam penitus timorem seruilem: quoniam qui perfectè Deum diligit, per charitatem purgatus à delictis, non habet in cōscientia vnde timeat, sed potius vnde gaudeat & securus fiat. Vnde & hīc subiungitur: *Quoniam timor pœnam habet.* Qui enim seruiliter timet pro culpa, cruciatur in conscientia. Excludit etiam timorē initialem. Vnde & hīc subditur, *Qui autem timet*, subaudis in conscientia, *nō est perfectus in charitate:* quoniam qui Deum verè diligit & perfectè, non vt incipiens, hinc à timore, hinc ab amore diuiditur: sed totus à dilectionis securitate possidetur. Filialem verò timorem, perfecta charitas hinc non excludit: quoniā etiam ille qui hic perfectissimè Deum diligit, timet dum est in lubrica huius seculi via, ne cadat, ne Deum offendat. Timet more castæ mulieris sponsum suum: timet non eius aduentum, sed eius recessum. Porrò in futura beatitudine, adeò perfecta erit charitas, quòd penitus excludet timorē, vel vt omninò nō sit,

Psal. 14.

Quinque species timoris.

vel vt non efficiat hominem timorosum, sed reuerentem. Quod enim legitur, quia timor Domini sanctus, permanet in seculum seculi, vel de bono ad quod duxit, timor, vel de reuerentia intelligendum est.

Sequitur pars quinta, in qua nos hortatur ad dilectionẽ Dei, dicens, *Nos ergò diligamus Deum, quoniam ipse dilexit nos.* Tres sunt præcipuæ causæ fratres mei, propter quas Dominũ diligere debemus. Prima est, quia in se bonus & amabilis est: quã causam notauit superiùs cùm ait, Deus charitas est. Secũda est, qua diligi meruit, quæ causa hic notatur, cũ dicitur: Quia ipse prior dilexit nos. Tertia est, quia diligentibus se, præmiũ ęternę beatitudinis dabit: quam causam notauit superiùs, cùm dixit: Vt fiduciã habeamus in aduentu eius. Quare tanta amoris incitamẽta mentem nostram fratres chariſſimi, ad diligẽdum Deum non excitant? Et si negligimus eum diligere, eò quòd in se bonus & amabilis est, quare in misericordia eius dilectionis beneficia nobis quotidie exhibita: quare desiderabilia æternæ beatitudinis (quæ nobis præparauit) præmia nos ad diligendum eum non inflammant?

Ob tres causas dominus præcipuè diligẽdus

Sequitur pars sexta, in qua ostendit Apostolus Deum non posse verè diligi sine proximo, dicens, *Si quis dicit quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est* Non ait inimicum vel iniquum, quia inimicitiam vel iniquitatem debemus semper odio habere, naturæ verò fraternitatem diligere. Et hoc cõtra illos est, qui vel propter amicitiam hominis diligunt eius iniquitatem: vel propter iniquitatem hominis, odiunt eius naturam. Deinde probat duplici argumẽto Deũ non posse diligi sine proximo. Primo argumẽto sumpto à minori, cũ dicit: *Qui enim nõ diligit fratrem suũ quem videt: Deum quem nõ videt, quomodo potest diligere?* Ac si diceret, nullo modo. Minus quippè est diligere proximum nostrũ quem quotidie videmus, cum quo nutriti sumus, cui nos similitudo & familiaritas amicat. Maius verò est Deum diligere, quem nullo sensu cognoscimus, sed sola fide credimus. Idẽ subsequẽter probat argumẽto sumpto ab auctoritate mandati, cũ subdit: *Et mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrẽ suum.* Non enim verè potest quis diligere Deũ,

nisi

nisi faciat eius mandatum. Vnde idem in Euangelio, Si quis inquit, diligit me, sermonem meum seruabit. Itaque fratres mei, si volumus in aduentu summi iudicis habere fiduciam & securitatē: diligamus interim Deum & proximum. Deū propter seipsum & super omnia: proximum propter Deum, & sicut nos: Nec diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate, Christum in famelicis pascētes, in nudis vestientes, in hospitibus suscipientes, in infirmis visitātes, vt ab ipso mereamur audire: Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Amen. *Ioan.14.* *1.Ioan.3.* *Mat.25.*

DOMINICA I. POST TRINITATEM.

Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. *Homo quidam erat dives, &c.* Cùm in hac parabola fratres charissimi, etiam nomen pauperis ponatur, patet quia nō solùm parabola, sed etiam historia est. Et parabola quidem est, quoniam per similitudinem quid faciendum quidve fugiendum sit, demonstratur. Historia verò est, quoniam res gesta esse ex paupere, proprio nomine designato, comprobatur. Sed quare fratres mei, nomen pauperis ponitur, cum nomen diuitis taceatur, nisi quia pauper per electionem à Deo cognoscitur: Diues verò per reprobationem à Deo ignoratur? Hinc Moysi electo dicitur, noui te ex nomine. Et reprobis in futuro à Domino dicetur: Amē dico vobis nescio vos. In quo fratres, confunditur peruersitas nostra, qui nomina diuitum & potentum memoriter tenemus: nomina verò pauperum scire negligimus. Et vnde hoc? nisi quia acceptores sumus personarū: & diuites quos Deus ignorat, scimus: pauperes verò quos Deus nouit, ignoramus? Attamen legimus de Beato Clemente, quòd pauperes regionū nominatim habebat scriptos. Porrò propositæ parabolæ, sex sunt partes: primo enim ponitur meritum diuitis: secundo meritum pauperis: tertio præmium pauperis: quarto pœna diuitis: quinto, dives orat pro se: sexto pro suis, nec exauditur. Primo igitur ponitur meritum diuitis cùm dicitur, *Quidam homo erat dives*, ostenditur autem hic esse verum illud quod Dominus alibi dicit, scilicet quod dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et quia facilius est camelum per fora- *Luc.16.* *Exod.33.* *Mat.25.* *B.Clemēs.* *Luc.18.*

men acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorũ. Diuitiæ quippè malè vsæ, solent multa vitia generare, vanam gloriam, voluptatem, superfluitatẽ, superbiam & contemptũ. Quod vanã gloriam generẽt, ostẽditur cũ subditur: *qui induebatur purpura & bysso.* Quod pretiosæ enim vestes ad gloriam quærantur, inde patet, quod nullus appetit se pretiosis vestibus indui, nisi vbi scit se à pluribus videri. Si enim in fluxu vestium, peccatum nõ esset, nequaquam Dominus Ioannem Baptistam de asperitate vestium commendaret, & alios de mollitie reprehenderet, dicens: Quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Quod voluptatem & luxuriã diuitiæ generant, ostenditur cùm subditur: *Et epulabatur quotidie splendidè.* In duobus reprehenditur, & quia festiuis conuiuijs delectabatur, & quotidie, delectabatur etiam in pretio, in apparatu, & in crapula ciborum, quæ Dominus prohibuit, dicens: Cauete, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi. Quotidie etiam hoc facitabat: & si enim quãdoque splendidius & emollius cœnandum est, vel propter festum, vel propter hospites, vel propter infirmitatem, hoc tamen quotidie facere, grande vitium est. Quod verò superfluitatem diuitiæ generent, ostenditur in vtroque, quia scilicet & superfluè vestiebatur, & superfluè epulabatur. Quòd superbiam & cõtemptum generent, innuitur, ex hoc quod diues in diuitiis se efferebat, & mendicũ ante ianuam suam pereuntem despiciebat.

Mat. 11.

Luc. 17.

Diuitiæ superfluitatem generant.

Sequitur pars secunda, in qua describitur meritum pauperis, cùm subiungitur: *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuã eius, vlceribus plenus: cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Quatuor ostẽduntur Lazari miseriæ: quia erat mendicus: quia infirmus: quia nemo in vtroq; ei subueniebat: quia ante ianuam diuitis iacẽs, multã tentationem ex præsentium visione delitiarum, sustinebat. Sicut enim præsentia mendici infirmi, fuit occasio diuiti maioris damnationis: ita præsentia delitiarum diuitis, fuit occasio mendico coronæ grandioris. Si enim diues non haberet

beret præsentem mendicum, diuitiarum suarum videretur habere excusationem. Etsi mendicus infirmus à visione delitiarum remotus esset, tantam tentationis pugnam non sustineret. Quantas namque fratres mei, putatis Lazarum sustinuisse tentationes, cùm mēdicus videret quotidie ante oculos suos, diuitem & suos in diuitiis superabundantem? Cùm infirmus videret diuitem & suos in sua sanitate exultantes? Cùm esuriens videret diuitem & suos, ex nimia saturitate eructantes? cum tot miseriis pressus videret quotidie diuitem & suos, tot prosperitatibus præflorentes? Magnus certè erat iste Lazarus, qui tot calamitatibus premebatur nec opprimebatur, qui tot patiens fuit patiens, quem etsi tot flagella torserunt, tamen patientiam non extorserunt. Exemplo huius discant pauperes & infirmi, in suis aduersitatibus non murmurare: non diuites dominare, sed Deū benedicere, & flagella peccatis suis ascribere. *Et nemo illi dabat.* Quia sicut diues ìm misericors erat, ita & immisericordes ministros habebat. Iuxta illud Salomonis: Impius Princeps, omnes ministros habet impios. *Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Vbi homo seruo Dei ministrare contemnebat: bestia, prout poterat, seruiebat.

Lazarus erat magnus.

Prou. 29.

Sequitur pars tertia, in qua pauperis præmium describitur, cùm subditur: *Factum est autem vt moreretur mēdicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ.* Fratres charissimi, quis sicut Dominus Deus noster qui in altis hābitat & humilia respicit in cœlo & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigēs pauperem? Ecce quem homo abhorret, dedignatur, & refugit: pius super omnia Dominus per ministerium suorum sanctorum Angelorum, visitat & suscipit, transferens de sterquilinio margaritam pretiosam, & in beata requie suorum collocans electorum. Est autem sinus Abrahæ, locus in superiori inferno tranquillus, in quo qui in fide Abrahæ moriebantur, cùm requiescebant, expectabāt Christum qui eis regnum cœlorum aperiret.

Psal. 112.

Sinus Abrahæ.

Sequitur pars quarta, in qua describitur pœna diuitis cùm subditur: *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* Ecce quem turbā ministrorum & amico-

amicorum circunuolebat & palpabat, rapitur per durum ministerium crudelium dæmonum, & transfertur in infernum, de purpura & bysso in asperitates tenebrarum, de splendidis conuiuiis, in famem & sitim perpetuam: & de inter blandas manus lachrymantium amicorum, inter duras manus stridentium dæmoniorum. Et quare? Nō quia legatur aliquid rapuisse vel defraudasse, sed quia sua superfluè expēdebat, & pauperi nihil dabat. Si sic fratres dānantur qui nō dant sua, quid patientur qui rapiūt aliena? *Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè,* tam loco quā affectu (quia Deo coniunctus, aliud quàm Deus velle non potest) *& Lazarū in sinu eius.* Porro cùm iusti semper videant reprobos in pœnis ad augmētum gaudij, & ad glorificationē sui laboris: Reprobi tantum antè videre possunt electos, sed pòst nō: quia scriptum est: Tollatur impius ne videat gloriā Dei.

Sequitur pars quinta, in qua diues orat pro se, nec exauditur, vnde & subditur, *Et ipse clamā*, magis affectu quā voce ait: *Pater Abraham miserere mei.* Patrē vocat, quem filialiter imitari noluit, & qui viuens in delitiis & miseriā ignorabat: nunc in tormentis positus incipit scire quid habeat mali miseria, & quid boni misericordia. Vos ergo diuites, ne similiter vobis cōtingat, discite per compassionē, inter diuitias miseriā & misericordiam: Quia nō inueniet in alia vita misericordiam, qui in ista non habuerit eam. *Iacob. 2.* Vnde Iacobus: Iudiciū sine misericordia fiet ei, qui nō fecerit misericordiam. *Psal. 65.* *Et mitte*, inquit, *Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ecce fratres quā terribilis est Deus in cōsiliis super filios hominum. Diues, qui micas de mensa sua cadentes esurienti dare nolebat Lazaro, ad hoc iusto iudicio adductus est, vt ardens guttā aquę de digito Lazari peteret, & nō acciperet. Qui si vel micas ei per misericordiam dedisset, aliquod refrigerium in pœnis inueniret. Itaq; fratres, si vultis misericordiā inuenire, misericordiam facite: vocate pauperes ad conuiuia vestra, vel saltem date mensæ vestræ reliquias: date vel cadentes micas: ne si has fortè dare neglexeritis, refrigeriū in igne non inueniatis. Sed cur diues potius in lingua arsisse memoratur,

moratur, nisi quia comessationi, & sociæ eius loquacitati seruierat? *Et ait illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua: Et Lazarus similiter mala, nunc verò cõsolatur, tu verò cruciaris.* Nullus fratres charissimi adeò malus est, quin aliquid boni aliquando faciat. Nec aliquis adeo in hac vita sanctus est, quin aliquãdo peccatũ faciat. Deus autem iustus iudex, nullum bonũ relinquit irremuneratum: nec aliquod peccatum impunitum. Itaq; diues si quid boni inter multa mala fecerat, remunerata sunt ei in collatione temporalis prosperitatis quam amabat. Et si quid mali Lazarus inter fidem, spem, constantiam, & patientiam, cæteràsq; virtutes fecerat, totum ignis tẽporalis tribulationis expiauit. Et econtra, mala diuitis punita sunt in æterna pœna: Et bona Lazari remunerata sunt in æterna vita. Hinc discant diuites timere dum eis bene succedit in hac vita: dum florent & abundant: ne fortè propter illam prosperitatem, bona sua in hoc seculo remunerẽtur: & peccata sua igni æterno reseruentur. Et econtra discant pauperes & afflicti bene sperare, dum pauperie, afflictione, & miseria puniuntur: quia per illam aduersitatẽ peccata eorum, si patienter ferant, purgantur: & bona eorum æternæ remunerationi reseruantur. *Et inter hæc, inter nos & vos magnum chaos firmatum est: vt qui hinc illuc transire volunt, non possint, neque inde huc transmeare.* Sane si illi qui in tormentis sunt, ad requiem transire velint, non est mirum. Sed quomodo qui in requie sunt, ad eos qui in tormentis sunt, transmeare volunt, & non possunt? Puto quod sancti per consuetam compassionem & pietatem, quas in hoc seculo habuerunt, vellent miserendo transire ad eos qui in pœnis sunt, nisi essent ita diuinæ coniuncti iustitiæ, vt aliud quàm Deus velle nulla possent ratione. Neque enim in æterna beatitudine, vbi dolor nõ est, compassio esse poterit, quæ sine dolore non est.

Mala diuitis punita, & Lazari bona remunerata.

Sequitur pars sexta, in qua diues pro aliis orat, nec exauditur, cùm subditur: *Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: vt testetur illis: ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Frustratur de se, orat pro fratribus: & nunc incipit animas aliorum diligere, qui viuens suam non dilexit. Ad cumulum

lum quippè tormẽtum relinquitur ei, & cognitio, & memoria & compassio. Plus enim torquetur ex hoc quod cognoscit Lazarum nunc glorificatum super se, quem olim viderat sub se miserum. Plus etiã torquetur ex hoc quod recordatur felicitatis suæ, quam in domo patris sui quondam cum fratribus suis habuerat. Plus quoq; torquetur ex hoc quod compatitur fratribus eius, quos videt per eandẽ vitam, in eãdem vẽturos damnationem. *Et ait illi Abraham, habent Mosen & Prophetas, audiãt illos.* Ac si dicat, Lex & Prophetæ docent quomodo æterna damnatio potest euitari. *Non pater*, inquit, *Abrahã: Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitẽtiam agent*: quia ipse scripturas cõtemserat. Tales sunt hodie multi falsi Christiani, qui sacris scripturis non credentes dicunt. Quis est regressus ab inferis, qui nobis testimonium ferat? in quo se esse infideles ostendunt, dum nec præmia iustorũ, nec pœnas reproborum credunt. Sed subditur: *Si Mosen & Prophetas nõ audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Siue audire hic ponatur pro credere, siue pro obedire, verũ esse hodie apparet, quia scripturæ de Christo testimonium ferant. Qui nolunt credere scripturis, nolunt etiam credere Christo, qui à mortuis resurrexit. Qui non obediunt legi vel Prophetis minoris perfectionis: non obediunt perfectiori doctrinæ Christi, qui resurrexit à mortuis. Itaq; fratres discamus diuitias cõtemnere: modum in vestibus ac cibariis obseruare: pauperibus largiores & misericordes esse de bonis nobis commissis, pauperes nobis amicos & intercessores facere: vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Ecce multos Lazaros quotidie ante ianuas nostras videmus, se importunè ingerunt: rogant qui rogari debuerunt. In quibus fratres mei, si fortè quædam corrigenda videntur, non ideò eos contemnamus: quia quod est in eis piandum, expiat ignis tribulationum. Si boni sunt, recipiẽdi sunt, vt fratres & intercessores nostri. Sin minus, duplicẽ præbeamus eis eleemosynam. Demus eis & panem corporalem, & panem verbi spiritualem, vt duplicem inde recipiamus mercedẽ. Vt cùm venerit pauper pauperum Deus & Dominus noster Iesus Christus, recipiat nos in æterna tabernacula.

Falsi Christiani scripturis non credunt.

DO-

Charissimi, nolite mirari, si odit vos mũdus, &c. Quadripartita est hæc lectio fratres charissimi. Primo dicit non esse mirandum, si mali exosos habeant bonos. Secundò ostendit eos qui habent charitatem, viuere: & eos qui carent, mori. Tertiò exemplo Christi, nos ad dilectionis perfectionem hortatur. Quartò à falsa dilectione mũdi nos dehortatur. Ait itaq; primò, *Nolite mirari si odit vos mundus*, id est, amatores mundi. Duo dicit, & quod mundus odit iustos: & quod inde non est mirandum. Et qua de causa mundus, id est, mali odiunt iustos? Triplici. Prima est, quia vita iustorum contraria est vitę malorum. Quanta enim contrarietas est inter ignem & aquã, inter lucem & tenebras: tanta contrarietas est inter iustitiam & iniustitiam: inter castitatem & luxuriam, inter cęteras virtutes, & vitia eis cõtraria. Propterea inter cultores istarũ, & cultores illorum, pax & concordia esse non potest. Secunda causa est, quia boni odiunt vitam malorum, & damnant. Tertia est, quia eos reprehendunt & corrigũt, cupientes eos auferre diabolo, & lucrari Deo. Itaque cùm boni malos bono odio odiant, mali eos iniquo odio persequuntur, iuxta illud: perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Perfectum quippè odium est, quãdo ita odimus vitium iniqui, quod eius naturam diligimus: quod non odium, sed potius dilectio est. Vnde Psalmista: Posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Ioannes Baptista arguebat Herodem, dicens: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Sed vnde Herodes debuit Ioanni gratias agere, inde eum incarcerauit, & decollauit. Hæc est retributio malorum. Porrò quibus de causis mali odio habeant bonos, sapiens complectitur his verbis: Dixerunt impij, apud se non rectè cogitantes: Circunueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Promittit se scientiam Dei habere, tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis, &cæt. Quare non est mirandum si mali odiunt bonos, quia amatores mundi sunt, vnde & hic mundus vocantur. Si

1. Ioan. 3.

Triplici de causa malè odiunt iustos.

Psal. 138. Perfectũ odium.

Psal. 108.

Marc. 6.

Sap. 2.

quis

1. Ioan. 2. quis autem (teste Ioanne) diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quare non est mirandum, si mali odiũt bonos: quoniam etiam seipsos odiunt. Qui enim diligit iniquitatem, odit animã suam. Quomodo diligeret alium, qui seipsum non diligit? Quare non est mirandum, si mali odiunt bonos? Quia sic consueuerunt, faciunt non quod boni mereãtur, sed quod ipsi solent. Sic ab initio Cain iniquus iustum Abel fratrẽ suum persequutus est & occidit. Sic iniqui fratres, iustum Ioseph, sic iniquus Saul, sanctũ Dauid: sic impij Hebræi, sanctos prophetas. Sic iniqui Iudęi Christũ, sic infideles fideles. Propterea fratres charissimi, nec miremini, si mundi amatores vos odiunt & persequuntur. Dominus enim suis discipulis inquit, *Si me persequuti sunt, vos persequentur*, vt impleatur illud Psalmista: Quia odio habuerunt me gratis.

Mali seipsos non diligunt.

Ioan. 15.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit eos qui charitatem habent, viuere: illos qui non habent, mori: cùm subdit, *Nos autem scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres.* Ac si dicat: quandiu fuimus sine dilectione Dei & proximi, in morte peccatorum eramus. At postquã cœpimus Deum & proximũ diligere, cœpimus viuere, vita scilicet virtutum. Sicut enim odiũ & cõtemptus est fons omnium vitiorũ: ita econtrario charitas Dei & proximi, est fons omnium virtutum. Per dilectionẽ quippe connectimur Deo & proximo, vt simus membra corporis Christi, quod est ecclesia. At si dilectione caremus, iam nec membra Christi, nec de integritate eius corporis sumus, nihil fructus facientes, sed mortui & damnationi deputati. Quod Dominus in Euangelio per similitudinem vitis & palmitum ostendit, dicens: Ego sum vitis & vos palmites. Sicut palmes ex se non potest facere fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Si quis in me non mãserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet. Vnde & hic subditur, *Qui non diligit, manet in morte.* Videat ergo vnusquisque nostrũ penes se, si diligit Deũ & proximum. Et si diligit, sciat quia in Deo viuit, & membrum Christi est. Si autem nõ diligit, sciat quia in peccato mortuus est, & membrum Christi non est. Talis ergo per

Charitas Dei & proximi fons omnium virtutum.

Ioan. 15.

pœni-

pœnitentiam festinet resurgere, & per charitatem Christo adhærere, ne fortè tanquam palmes præcisus, in ignem æternum mittatur. Et si sic reus est qui non diligit, qualis est ille qui etiam odit? *Omnis*, inquit, *qui odit fratrē suū, homicida est.* Non ait inimicum, vel iniquum: quoniam inimicitiam vel iniquitatem hominis odisse bonū est: fraternitatem verò naturæ odisse, homicidium est. Proinde fratres, magna discretio hîc habēda est, vt scilicet ita odio habeamus hominis vitium, quod non naturam: Et ita diligamus hominis naturā, quod vitium eius odio habeamus. Quod contra illos est, qui vel propter amicitiam hominis, consentiunt eius vitiis, vel propter inimicitiam vitiorum odio habent hominis naturam. *Et scitis quoniā omnis homicida non habet vitam æternam in se manētem*, sicut nec palmes aridus, & à vite præcisus. *Vitium hominis. Natura hominis.*

Sequitur pars tertia, in qua ad perfectionem charitatis nos hortatur exemplo Christi, dicens: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniā ipse pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.* Ac si diceret: Charitas per exhibitionem operis cognoscitur. Sicut ergo Deus, charitatem, quam habebat erga nos per operationem nobis demonstrauit, ponendo pro nobis animam suam: ita & nos charitatem quam habemus in proximos, opere ostendamus, ponēdo pro eis animas nostras. Est autem argumentum à maiori. Quoniam si Deus, qui nō tenebatur, tantus & talis, & prior pro nobis talibus, & tantus, animam suam posuit: quanto magis nos, qui tenemur pro fratribus nostris comparibus animas nostras corporales ponere debemus? Vt scilicet si viderimus fratres nostros à gentilibus captos, in fide titubantes & dubios, tenemur eos, animas nostras pro confirmatione fidei ponendo, in fide cōfirmare, ne fortè negando in anima perirēt. Pro vita verò proximi corporali, vitam nostram ponere non tenemur. Legimus tamen in Dialogo Sanctum Sanctolum pro quodam clero ab infidelibus capto, vitam suam obligasse, vt scilicet mane vel captū, vel seipsum pro eo eis restitueret. Quem cum nocte recedere compulisset, ipse pro eo mane seipsum exhibuit gladiatori. Qui cum sanctū eleuato gladio decollare *S. Sanctolus.*

vellet, dextera eius diriguit. Ad quod miraculum infideles admirantes, veniam ab eo poscunt, & vt prece sua dexteram suo decollatori redderet, exorat, & quod vellet munus ab eis postularet. At Sanctus exacto per iusiurandum ab eo, ne vltra sanguinē Christianum funderet, ei dexterā restituit, & omnes captiuos Christianos quos tenebant, liberos recepit. Ecce fratres mei quanta sit virtus charitatis, dum vnus corpus suum, pro corpore alterius morti exponit, virtus diuina demonstratur. Et non solùm illi duo, sed etiam multi à morte liberantur.

Sequitur pars quarta, in qua dehortatur nos à falsa dilectione, dicens: *Si quis habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem: Et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei* (quæ etiam animam pro proximis ponit) *manet in eo?* Ac si dicat: Qui non dat fratri indigenti mundanam quā habet substantiā, quomodo pro eo daturus est animam suam? In hoc enim vera dilectio à falsā discernitur: quoniam vera dilectio nō potest claudere viscera pietatis, sed quod potest, operatur. Si multū habet, multum præbet. Si modicum, etiam illud libenter impartitur. Sitienti si habet vinum, porrigit: si non habet, dat vel aquam calidam. Quod si caret lignis
Mat.10. quibus eam calefaciat: det vel frigidam aquam. Nec amit-
Mar.9. tet mercedē suam dicente Domino: Si quis dederit in nomine meo calicē aquæ frigidę, non perdet mercedē suam. Quod si plus non potest, det saltem consolationē, det vel compassionem & orationem, & bonam voluntatem, quæ
Luc.2. plus nequeunti sufficit. Scriptum est enim: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dilectio verò falsa est, quæ cùm possit auxilium ferre, dissimulat, & non opere, sed solis verbis & promissis amat. A qua nos dehortatur Apostolus subdens: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*, id est non diligamus verbo solo: vt quidam simulatores faciunt: sed etiam opere. Nec diligamus linguosa & blanda fictione, sed cordis veritate. Nos itaq; fratres mei, non fictam, sed verā habeamus dilectionem: Quod vtiq; erit, si Deum solum in proximo diligere nouerimus: Si nostræ dilectionis & operis solum Deum causam statuerimus: si non ab homine, sed à solo Deo re-

munc-

munerationem expectauerimus: Si nō hominibus, sed soli Deo in omnibus placere quæsierimus: Si non in terra, sed in cœlo thesaurizare certauerimus. Præstante Deo & Domino nostro, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen,

DOMINICA II. POST TRINITATEM.

DIxit Iesus discipulis suis parabolam hanc: *Homo quidam fecit cœnam magnā, & vocauit multos.* In hac parabola fratres charissimi, septem animaduertenda sunt. Præparatio magnæ cœnæ, multorū inuitatio, Ad cœnam vocatio, Quorūdam excusatio, aliorum introductio, aliorum etiam compulsio, Excusantium æterna cōclusio. Porrò præparatio magnæ cœnæ, est æternæ beatitudinis à cō stitutione mundi præordinatio. Hæc autē beatitudo multis vocatur nominibus. Vocatur autem hic cœnæ magna: alibi regnum cœlorum, alibi patria cœlestis, alibi gaudium ęternum, alibi requies, & huiusmodi. Et quare hoc? Quoniam cùm beatitudo cœlestis sit tanta & talis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascē dit, &c. Sicut humanus animus non potest eam intelligere: ita nec humana verba eam possunt significare. Sicut enim magnitudini rei succumbit intellectus: ita rem (vt est) verba non explicant. Quia tamen necesse erat nobis eam vrcunque significari, nec nos homines poteramus, nisi per humana verba & intelligere & fari: nominatur eadem beatitudo nominibus multis, mutuatis & impropriis, & temporalem significantibus voluptatem. Multis autem nominibus ideò significatur, vt proprietas æternæ beatitudinis, quæ non significatur nomine vno, significetur alio. Si enim vno nomine posset plenariè significari, non necesse esset eam multis nominibus designari. Mutuatis: quia omnia ista nomina, beatitudo, cœna, regnum cœlorum, patria cœlestis, & huiusmodi, de temporalibus ad æterna translata sunt, cùm comparatio temporalium ad æterna, nulla sit. Impropriis: quia rei veritatem nō exprimunt, sed vtcunque per similitudinem innuunt. Temporalem significantibus voluptatem: vt per temporales voluptates, quæ breues sunt & vanæ, significetur illa æterna voluptas, quæ indeficiens erat & vera. Quia ergo

Luc. 14.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

homo hic maxime delectatur in splendida cœna: ideò regnũ cœlorum, in quo non erit necesse manducare, vocatur hic Cœna: quoniam ibi sancti post vesperam huius mundi, æterna reficientur satietate. Magna verò dicitur: quia erit sufficiens, & numerositati, & capacitati vniuersorum. Inuitatio verò ad hanc cœnam, fit quando homo ad fidem accedit. Quando enim fratres, ad fidem & ad Sacramenta accedimus, tunc nobis promittitur. Quod si in fide perseuerauerimus, illius æternæ beatitudinis participes erimus. Ecce fratres, omnes ad illam æternam cœnam inuitati sumus. Ad illam ergo fide & desiderio tendamus, & operibus nos dignos efficiamus. Ad horam verò cœnæ per seruum vocamur, quando per prædicatorum ordinem monemur, vt venire ad æternam beatitudinem festinemus. Ecce fratres ipse qui loquor, qualiscunque sum, sum seruus qui vos voco ad horam cœnæ. Hora enim cœnæ iam erit in fine mundi, vel etiam in fine vniuscuiusque. Cum enim de hoc seculo eximus, ad illam
Luc. 22. æternam cœnam (si digni simus) intramus. Clamo etiam fratres, clamo vobis, præparate vobis quàm citò ad æternam, dum potestis: ne fortè tunc incipiatis velle cùm non poteritis. Abluite per pœnitentiam conscientiam. Induite vos nuptiali veste: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Nam soli tales ad cœnã admittentur. Sed ecce fratres, alij vocantur & consentiunt. Alij vocantur & etiam compelluntur. Quidam igitur se excusant, quorum sunt tria genera: Alius dicit: *Villã emi, & necesse habeo exire & videre illam.* Ille fratres mei villam emit, qui superbiam dominationis per superbiam sibi acquirit. Tales sunt hodie, vnde magis dolendum est, multi, qui contempta æterna cœna, honores & dignitates sibi emunt, non solum pro eis hominibus pretium dantes nummorum, sed etiam pro eis animas suas diabolo venundantes. Heu quàm pessima commutatio. Quid dicam super his qui etiam facinus in sancta Ecclesia facere non erubescunt? Qui ordines, qui Ecclesias, qui Ecclesiasticorum officia Sacramentorũ vendunt vel emunt? Portò cum quo sunt hi computandi, nisi cum Iuda & Iudeis qui Christum vendiderunt & emerunt, quorum pecunia cum

eis

eis erit in perditionem. Vt Petrus inquit ad Simonẽ Magum. Hi autem necesse habent exire ab inquisitione & amore spiritualium bonorũ, & videre per amorem vilem emptarum dignitatum: extra alti, intus deiecti: extra clari, intus tenebrosi. De his scriptum est, hęreditas ad quam festinatur in principio, benedictione carebit in nouissimo. Act. 8. Prou. 20.

Alius dixit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* Per quinque iuga boum, quæ combinata sunt, significantur quinque sensus corporis, qui similiter in membris combinati sunt. Sicut enim iuga boum colunt & curant terram, ita quinque sensus corporis, colunt & curant terrena. Iuga boum emit, qui pretio animæ suæ sola temporalia quinque sensibus subiecta, acquirit & emit: quorum oculi, sola pulchritudine corporalium specierum capiuntur: Aures, solis canoribus vanarum melodiarum delectãtur. Gustus sapore vinorum, ciborum & salsamentorum inescatur. Nares suauitate odorum luxuriosorum irretiuntur. Tactus luxuriosis contactibus delectatur. Vnde conuenienter subiungitur & eo probare illa Per quinq; enim sensus, res exteriores probantur. Oculus enim probat quæ sunt magis pulchra. Auris, magis canora. Naris, magis fragrãtia: Gustus, magis sapida: Tactus, magis suauia. Cùm autem tam iste quàm superior ire ad æternam cœnam contemnat: tamen se excusari rogat, dicens: *Rogo te, habe me excusatum.* Quoniã qui temporales honores & diuitias terrenas ambiũt & quærunt, & pessima commutatione emunt, cum nimis amata derelinquere, vel contemnere nolint, tamen à religiosis se apud Deum excusari & pro se orari rogant. Quasi dicant, ista non possum contemnere, sed rogo te, vt me excuses, & ores pro me. Vox quidem sonat humilitatem, sed mens habet contemptum & superbiam. Alius verò dixit: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Nomine vxoris, voluptas & luxuria carnalis hìc intelligitur. Non quia vxorem ducere sit malũ, sed quoniam multi ob solam voluptatem eam ducunt. Qui ergo voluptati corporis seruit, ita consuetudinariis vitiis carnis irretitur, vt se ad magnam Dei cœnam ire non posse fateatur. Hæc igitur tria genera excusantium retinentur ne eant ad cœnam Dei, illis tribus vitiis, quæ Ioannes in

Quinque iuga boum notãt quinque sensus corporales.

1. Ioan. 2. Epistola sua ponit, dicens: Nolite fratres diligere mundum: nec ea quę in mundo sunt: quoniam quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, id est voluptas: aut concupiscentia oculorum: id est djuitiarum, aut superbia vitæ, id est ambitio honorum. Et subiungit. Si quis autem diligit mundum, non est charitas patris in eo. Itaque fratres mei, animũ nostrum ab amore seculi auertamus: amorem voluptatis refrenemus: Cupiditatem diuitiarum à nobis excludamus: superbiam & ambitionem euitemus. De introductione aliorum ad cœnam subiungitur, cùm dicitur: *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: Et pauperes ac debiles, cæcos ac claudos, introduc huc.* Per istos fratres mei, qui nec excusant, nec compellũtur intrare, significãtur humiles, & de Deo multum, nihil verò de se præsumentes: cùm sint in plateis & vicis, id est, in latitudine & strepitu secularis vitæ: tamen sunt pauperes spiritu: debiles se reputantes; sunt & cæci, id est, ignorantiam suam confitẽtes: sunt & claudi, id est, imperfectionẽ suam recognoscentes. Isti enim vocantibus ad æternã cœnam, tanto citius consentiunt, quanto terrena plus contẽnunt: quanto debilitatem suam magis recognoscunt, tanto terrenam voluptatem minus appetunt. Impossibile enim est aliquem simul diligere Deum & mundum. Quanto enim quis plus diligit Deum, tanto plus contemnit seculũ: Et quanto plus diligit seculum, tanto plus contemnit Deũ. Itaq; fratres, ne amemus illud quod citò relicturi sumus. Mũdana omnia iam relinquemus, vel ab eis relinquemur. Illa diligamus quæ non transeunt, quæ possessores suos beatos faciunt. De compulsione verò aliorum subiungitur, cùm dicitur: *Exi in vias & sepes, & quoscunque inueneris, compelle intrare.* Per istos significantur remotiores, qui in viis & negotiis huius seculi, à ciuitate Dei longius euagantur. Qui cùm sint indurati in amorẽ mundi, ad cœnam Dei non veniunt, nisi compellantur per aduersitates, per paupertates, per infirmitates, & per afflictiones. Qui cũ vident se in hoc seculo non posse inuenire requiem & felicitatem quam quærebant, aduersitatibus compulsi conuertuntur ad Dominum. De qualibus Dominus sub specie adulteræ mulieris, loquitur ad Iudæam, dicens:

dicens: Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam macería, & non poteris inuenire semitam tuam. Quæres amatores tuos & non inuenies: quæres illos, & non apprehẽdes, & dices, reuertar ad virum meum: quia melius erat tunc mihi quàm nunc, & Dauid: Cùm occideret, inquit, eos, quærebant eum & reuertebantur. Propterea fratres mei, considerate quoniam quando Dominus sinit homines prosperare in viis suis malis, & prauas voluntates adimplere, iustitia quidem est occulta, sed magnæ iræ Dei signum est. Vnde Dominus per Psalmistam, Et dimisi, inquit, eos secundum desideria cordis eorum. Et per Prophetam: Iam vltra non irascar tibi, zelus meus recessit à te. Contra quod Dauid orans ait: Non tradas me à desiderio meo peccatori, id est, diabolo. Quando verò Deus non permittit peccatores implere malas voluntates suas, sed eos impedit, & aduersitatibus affligit misericordiæ Dei signum est: Qui ideò hic ferit, ne in æternum feriat, ideò hìc non parcit, vt in æternum parcat. De conclusione verò excusantium ab æterna cœna, subiungitur: *Amen dico vobis, quod nemo illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* In quo considerandа est fratres charissimi, magna seueritas æterni iudicis. Ipse enim qui modò paterno affectu blanditur, qui nos inuitat promissis, qui nos trahit, nunc per inspirationem interiorem, nunc nos compellit per aduersitatem: qui nunc nos rogat, qui rogari debet: qui nunc nobis mittit legatos & compositores pacis, & quod maius est, fugientes reuocat: contemptores inuitat. Vnde ipse per Prophetam: Aures tuæ audient vocem post tergum monentis. Ipse in iudicio terribilis apparebit: Et illis qui nunc vocantem contemnunt, quamuis tunc clamitent: Domine, Domine, aperi nobis, terribiliter eis dicet: Amẽ dico vobis, nescio vos. Nos ergo fratres, dum tempus habemus, vocationes eius sequamur: non ambitione, non cupiditate, non voluptate, retardemur. Flagella eius & castigationes cum gratiarũ actione suscipiamus: Vt ad æternam eius cœnam vel compulsi perueniamus. Ipso nos trahente, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Ose.2. *Psal.77.* *Psal.80.* *Esa.54.* *Ezech.16.* *Psal.139.* *Esa.30.*

1.Pet.5. *HVmiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis, &c.* Quatuor facit Apostolus hac in lectione fratres charissimi. Primò enim nos monet vt humiliemur. Secūdò vt omnem solicitudinem nostram in Deo ponamus. Tertiò vt sobrij & vigilantes simus. Quarto spondet auxilium Dei nobis affuturum. Primò igitur nos monet ad humilitatem. Est autē humilitas virtus quæ facit hominem ex verissima sui cognitione sibimetipsi vilescere. Sicut autem superbia est radix omnium malorum siue vitiorum: ita econtrario humilitas est fundamentum omnium virtutum. Qui enim virtutes sine humilitate congregat, quasi puluerē in ventū portat. Cæteræ enim virtutes, sine humilitate, non solùm non prosunt, imò nocent, dum faciunt hominem superbire. Adeò quippè Deo est grata humilitas, quod plus placet Deo peccator humilis, quàm iustus superbus. Sicut ipse nobis demonstrat per exemplum humilis Publicani, & superbi Pharisæi. Hanc virtutem Dominus noster Iesus Christus præcipuè professus est, & ad eam exemplo sui nos inuitat, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quem sequens beata Dei genetrix, quasi oblita virginitatis, cæterarumque virtutum quibus præfulgebat, quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Hæc virtus fecit Moysen Deo familiarem esse. Hæc fecit Dauid secundùm cor Domini esse. Ad hanc igitur nos hortans Apostolus Petrus cùm ait: *Humiliamini sub potēti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Porrò quidam sunt sub manu Dei, nec humiliantur. Quidam verò sub manu Dei sunt, & humiliantur. Quidam verò etiam ante manū Dei humiliantur. Intelligimus autem hîc per manum Dei, castigationem & flagellationem. Vnde Iob: Miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Sub manu ergo Dei sunt, nec humiliantur, qui à Deo flagellantur, nec tamen per humilitatem mentis recognoscunt peccata vt emendantur. Talis erat Herodes, talis Antiochus, talesque cæteri peruersi, qui à Domino flagellantur, nec tamen humiliantur aut emendantur. De qualibus Dominus per Prophetā, percussi eos, & nō doluerūt:

Humilitas quid.

Virtutes sine humilitate non prosunt.

Mat.11.

Luc.1.

Iob.19.

Ierem.5.

Et

Et alibi, Curauimus Babylonẽ, & non est sanata. Ac si dicat: Ea quæ ad curationem eius sufficere debuerunt, fecimus: ipsa tamẽ curata nõ est. Tales grauius cunctis in inferno puniẽtur, quia hic nec per flagella emẽdati, sed deteriorati sunt. Sub manu verò Dei humiliantur: qui sub flagellis suis peccata sua recognoscẽtes, humiliantur & corrigũtur. Talis fuit Paulus, qui percussus à Domino humiliatus & emendatus est. Tales fuerunt illi, de quibus legitur: cùm occideret eos, quærebant eum & reuertebantur. *Psal. 70.* Ante etiam manum Domini humiliantur, qui nulla afflictione, nullisq; flagellis attriti, sponte in prosperitate sua humiliãtur, & in melius emendãtur. Talis fuit Moses, tãlis & Dauid, qui etiam in proſperis humiles extiterunt.

Prima igitur humilitas, quia fit in solo corpore, est inutilis. Secunda quia fit etiam in mente, bona. Tertia quia fit in mente & etiã sponte, optima. Quoniã verò à Deo humiliantur quidam, & detinẽtur inter flagella, ita vt desperant, subdit Apostolus, *Vt vos exaltet*. Quasi diceret, ita humiliamini sub flagellis Dei, quod spẽ habeatis, quod ipse vos exaltabit. Et quoniã rursus hic fictè humiliantur, vt in hac vita quidã exaltentur, vt hypocritæ, subdit. *In tempore visitationis*, id est, in secundo aduentu suo. Qui enim quærunt exaltari hîc, in alia vita digni erunt humiliari.

Sequitur pars secunda, in qua monet nos Apostolus, vt omnẽ sollicitudinẽ nostrã in Deum ponamus, his verbis, *Omnem sollicitudinem vestrã in eum proiicientes: quoniam ipsi cura est de vobis*. Ac si dicat, ne putetis sub flagellis, quibus Deus vos affligit, vos à Deo negligi: sed potius tunc in eum sperate: quoniã flagella non negligentes, sed amantis signa sunt. Porrò omnẽ sollicitudinẽ & spem nostrã in omnibus in Deũ ponere debemus, sed de diuersis diuerso modo. Sollicitudinẽ enim de salute animę nostræ ita in Deum ponere debemus, quod & nos de ea non minus inde solliciti simus: scientes quoniam nõ dormientibus neq; negligentibus, sed sollicitis & laborantibus prouenit regnũ Dei. Vnde & subditur, *Sobrij estote & vigilate, etc.* Sollicitudinẽ verò de his quæ ad corporalem vitam pertinẽt, ita in Deum ponere debemus, vt & ipsi & si non sollicitudinẽ de his, tamẽ prouidentiã habeamus. Solliciti-

tudinem de his, tamen prouidentiã habeamus. Sollicitudinem enim nos habere de his Dominus prohibet, dicẽs, Ne solliciti sitis, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Scit enim pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Prouidentiã verò de his
2. Thes. 3. habere nõ prohibemur. Vnde Apostolus, Qui nõ laborat, nec manducet. Et alibi: Magis autem laboret vnusquisq; vt habeat vnde tribuat necessitatẽ patienti. Et Salomon:
Prou. 20. Propter frigus piger arare noluit: mẽdicabit ergo in æstate, & non dabitur ei. Cùm enim prohibemur cogitare de crastino, crastinum pro futuro remoto intelligendum est. Non est cogitare de crastino, annonã præsenti anno pro-
Mat. 6. uidere. Sufficit enim, inquit, diei malitia sua, id est, satis est de præsentibus miseriis & necessitatibus corporis cogitare. Vt quid enim sólliciti essemus de futuris miseriis & penuriis, quas fortè nunquam visuri sumus? Sollicitudinem quoq; nostram in periculis & dubiis, & in quibus humanum deficit consiliũ, ita in Deum ponere debemus, vt & sollicitudo nostra nobis prouidere non possit: tamẽ sollicita oratione Deum sollicitemus, vt ipse nobis consulere dignetur & prouidere, qui non derelinquit sperantes in
1. Pet. 5. se. Quoniam ipsi, inquit, cura est de vobis, tanquam, bono patrifamiliâs de familia sua. Simus ergo boni serui Deo: & ipse erit bonus paterfamiliâs nobis. Si fideliter ei ministramus & ipse tam præsentia stipendia quàm æterna præmia nobis fideliter prouidebit.

Sequitur pars tertia, in qua hortatur nos Apostolus ad sobrietatẽ & vigilantiã, dicens: *Sobrij estote & vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus, tanquã leo rugiens, circuit, quærens quẽ deuoret* Sóbrios nos esse præcipit Apostolus, nõ solùm à comessatione & ebrietate, sed etiã à calice Babylonis, id est, ab ebrietate secularis cupiditatis.
Luc. 21. Hoc est quod Dominus ait in Euangelio, Videte ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi: ne fortè veniat in vos repẽtina calamitas. Sed quia nõ sufficit sobrios esse, nisi etiã nos oratione muniamur, addit, *Et vigilate in orationibus.* Porrò in oratione nos præcipit vigilare, non solùm vt in ipsa oratione non vagi mente, sed potius intenti & vigiles simus: sed vt etiã non so-

solùm in diurnis horis, sed etiam in nocturnis, in oratione meminerimus vigilare. Iuxta quod præcepit Ieremias: Surge & lauda in principio vigiliarum tuarū. Et Dauid: Septies in die laudē dixi tibi. Et media nocte surgebam ad confitendum tibi. Et quare est vigilādum in orationibus? *Quia aduersarius*, inquit, *vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærēs quem deuoret.* Quatuor reddunt diabolum instructorem ad nocendum. Quia nunquam dormit, sed semper vigilat in insidiis: quia est inuisibilis, & ideò magis nocere potest, quia naturali callet ingenio, quia est longæuus, & ideò ex longa experientia versutior. Quia ergo aduersarius noster ita est munitus: ideò maior necessitas nobis incumbit vigilandi. *Tanquam*, inquit, *leo rugiēs.* Quando diabolus apertè sæuit, leo vocatur, quando occultè immittit nobis venenosas tentationes, serpens dicitur: quando per calliditatem nos circumuenit, dicitur vulpes: quando non in principio, sed in fine fallit, dicitur scorpio vel draco, & huiusmodi. Vnde scriptum est: Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & cōculcabis Leonem & Draconem. Sicut autem leo rugiendo mittit quendam terrorem, & obstupefactionem animalibus ne fugere possint: ita diabolus adueniens solet mittere hominibus quendam horrorem & stuporem, ne sibi cauere queant. Circuit quoque ad modum leonis ouile fidelium: vt si quem inueniat ab vnione aliorum errantem, occidat. Circuit etiam vnumquemque fidelem, vt si fortè inueniat in eo aliquam partem minus munitam, per eam introëat & perimat. Proinde fratres mei, maiori violentia vnusquisque se custodiat, ne ab vnione fidelis gregis segregetur. Seruet etiam iuxta Salomonem, omni custodia cor suum: ne fortè per incuriam nostram aliquis introitus in nobis ab aduersario reperiatur. Cui quomodo resistendum sit, ostendit, subdens: *Cui resistite fortes in fide.* Iunge igitur fidem cum sobrietate & oratione, quas præmisit, & habes tria per quæ diabolo potes resistere. Per sobrietatem quippè vigilamus: per orationē diabolum expugnamus, & per fidem per charitatem operantem, fraudes & tentationes eius euacuamus. Vnde Paulus: In omnibus sumētes scutū fidei, in quo possitis ignea nequis-

Quare in oratione vigilandū.
Threno. 2.
Psal. 118.
Psal. 90.
Prou. 4.
Ephe. 6.

Luc. 17. nequissimi tela extinguere. Et Dominus in Euangelio: Si habueritis fidem quantū granū sinapis, dicetis mōti huic, transfer te & iacta te in mare, & fiet. Deinde exēplo aliorum nos monet diaboli tentationibus resistere, subdens: *Scientes eandem tentationem ei quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri.* Ac si dicat: Non vos soli pugnas & tentationes diaboli sustinetis: sed etiā omnes fideles qui in hac vita sunt, tam viri quàm mulieres tam senes quàm iuniores, contra diabolicas luctantur tentationes Propterea turpè sit vobis viri, superari à tētationibus diaboli, quas etiā mulieres deuicerunt. Turpè quoque sit vobis barbati & canuti, superari à tentationibus diaboli, quas etiā pueri & impuberes deuicerunt. Turpè etiam sit vnicuiq;, molliorem & effœminatiorem esse, nec resistere tentationibus quibus innumerabiles resistunt.

Sequitur pars quarta, in qua Apostolus spōdet fidelibus pugnantibus Dei auxiliū affuturum, subdēs: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternā gloriā suā in Christo Iesu modicū passos, ipse perficiet, cōfirmabit, solidabitq;.* Dicitur autem Deus omnis gratiæ, quoniā omnis gratiæ largitor est: quia incipiētis, proficientis, & perficiētis, confirmantis, & consolidantis. Et ipse qui vocauit vos per gratiam suam incipientē & perficientem, similiter per suā gratiam perficiet vos in eis quæ vobis desunt: & confirmabit vos ne cadatis, & consolidabit in alia vita, ne cadere possitis. Sed interponit, ostēdens ad quid vocauerit nos, quia ad æternā gloriā suam, & per quæ vocauerit nos, quia per passiones, quod ostendit, cùm ait, *Modicum passos.* Modicum autē ideò dicit, quia temporales passiones & breues & nullę sunt respectu futurę beatitudinis. Iuxta illud Pau-

Rom. 8. li, Existimo quod non sunt condignę passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et in quo vocauerit nos? quia in Christo Iesu. Sed & hoc ad singula referri potest. Quoniam & in Christo Iesu passi sunt: & in Christo Iesu perficiet, confirmabit, & cōsolidabit. *Ipsi gloria & imperiū per omnia secula seculorū, amen.* Ipsi quidē est gloria: quoniā sicut potens est hic dare gratiā: ita est potens in futuro dare nobis gloriā. Ipsi quoque imperiū: quoniam sicut potens est hic diabolū & suos imperio

perio suo refrenare, ita potens erit in futuro imperio suo eos damnare. Nos ergo fratres, eum rogemus, vt det nobis perfectam humilitatem, & spem in se & fiduciam: det & sobrietatem, & fidem, & in oratione vigilantiam, cęterasq; virtutes, per quas valeamus diabolum superare, & gloriam consequi sempiternam: quod ipse prestare dignetur, qui est benedictus in secula Deus. Amen.

DOMINICA TERTIA post Trinitatem.

Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum. Quatuor capitulis distinguitur hæc lectio fratres mei. Primò enim continet pœnitentium ad Christum accessionem: secundò Pharisæorū inde murmurationē. Tertiò quod peccatores debeāt susciпi & etiā quæri, probationem. Quartò de vno peccatore conuerso, magis quàm de quibusdā iustis exultationē. Ostēdens igitur primùm peccatores pœnitētes accessisse ad Iesum, ait, *Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores.* Et quia siniſtra intētione possent appropinquare, subdit, *vt audirēt verbū Dei.* Patet ergo quia nō solùm corpore, sed etiam mente ad eum appropinquabāt. Appropinquabant enim tanquam infirmi ad Medicum: tanquā rei ad patronum: tanquā peccatores ad misericordem: tanquam immundi ad lauachrū: tanquā oues erroneę ad pastorem: tanquā cæci ad illuminatorē. Quales accedere ad Deum Dauid monet, dicens: Accedite ad eum, & illuminamini. Exemplo horum accedite & vos peccatores frequēter ad audiendum verbum Dei: quia non potest aliquis libenter Dei verbum audire, quin malum incipiat ei displicere. Luc. 15. Psal. 33.

Sequitur pars secunda, in qua ostenditur Scribas & Pharisæos aduersus Iesum murmurasse, cùm subditur. *Et murmurabant* aduersus eum, *Scribæ & Pharisæi.* Est autē murmuratio nec omninò occulta, nec omninò aperta reprehensio: media inter obiurgationē & detractionem. Pharisæi enim, qui nesciūt bonū in alio amare, sed potius inuidere & deprauare, nimietatem conceptæ inuidiæ non poterant iam omninò celare: nec audebant omninò propalare, sed murmurabant. Nos verò fratres, inuidiam, detractionem, & murmurationē detestantes, discamus bona in alio *Murmuratio quid.*

alio amare, dubia etiam in meliorē partem inclinare, peccantem coràm reprehēdere, nec ei clam detrahere vel murmurare. Detractio quippè & murmuratio ex malitia occulta nascuntur, nec volunt prodesse, sed tantùm nocere. Non enim vt proficiat, detrahit quis, vel murmurat, sed potius vt infamet & noceat. Aperta autem reprehensio si benignè fiat, & facienti, & cui fit prodest: & si cui fit non prodest, facienti non prodesse non potest. Vnde Philosophus ait, Apertè me increpa, non occulèt me mordeas. *Ecce*, inquiunt, *hic peccatores recipit, & manducat cū illis*. Mentiuntur, qui enim recipit peccatores, peccator est. Sicut qui recipit fures, fur est. Recipere quippè furē vel peccatorem, est eius furto vel peccato consentire. Porrò peccatores recipere hac intentione, vt corrigantur: hoc nō est recipere peccatores, sed fratres. Quod nos Apostolus præcipit facere, dicens: Si mulier infidelis consentit habitare cum viro fideli, non discedat fidelis: sanctificabitur enim mulier infidelis per virum fidelem. Itaque iuxta Philosophum, illum tecum susci̇pe, quem tu possis facere meliorem, vel qui te. Propter admeliorationem alterius ex nobis, præcipit Apostolus, Infirmū, inquit, fratrem assumite. Propter admeliorationem nostri ex aliis: ait Poëta, *Nunc te melioribus offer*. Si quis autem incorrigibilis persistit, non est recipiendus: sed etiam receptus excludendus, ne per vitium vnius multi corrumpantur. Vnde Apostolus, Auferte malum ex vobis. Et alibi, Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita. Et Philosophus: Tales, inquit, iunge socios tibi, ex quorū contubernio non infameris. *Et manducat cum illis*. Manducare quoq; exemplo nostri Redemptoris hac intentione cum peccatoribus possumus, vt occasione prandij eos corrigamus. Et dum nos pascūt corporaliter, eos spiritualiter pascamus. Quia ergo Publicani & peccatores ad verbū Dei corrigebantur, ideò eos recipiebat, & cum eis mâducabat. Sed Pharisæi etiam bona deprauantes, dicunt eum recipere, id est, fouere peccatores. In quo ostēdunt se non veram habere iustitiam. Qui enim verè iustus est, neminem damnat, peccatores non cōtemnit, sed potius eis compatitur: bona aliorum non deprauat, imò etiam dubia in melius

2. Cor. 7.

Rom. 15.
2. Thes. 4.

2. Cor. 5.
Tit. 3.

Quomodo mâducandū cū peccatoribus.

inter-

interpretatur. At econtra isti arrogantes iusti, Deum de misericordia reprehendunt, & peccatores aspernantur, & etiam bona in malum interpretantur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominus per duplicē probat parabolam peccatores pœnitentes non solùm debere recipi, sed etiam quæri. Est autem iuxta literam probatio hæc a minori. Si enim homo ouem, vel mulier dragmam perditam, res vtiq; temporales, irrationales & perituras, cum tanta sollicitudine quærit: inuentas humeris reportat, gaudet, & vicinos sibi cōgaudere hortatur: quantò magis homo hominem, fratrem suum, pro peccato perditum, rem vtique rationalem & semper victuram, cum maiori sollicitudine debet ad salutem quærere, repertum proprio labore ad Ecclesiam reportare, & de eius correctione gaudere, & alios ad congaudendum monere. In quo fratres mei, nostra (quod sine dolore nequeo dicere) confunditur duritia, qui plus dolemus de damno bouis vel ouis, vel pecuniæ nostræ, quàm de damno vnius vel multarum animarum. Si enim amittitur res temporalis, cum multa sollicitudine eam quærimus, nos & alios fatigamus: non cessamus quousque eam inueniamus. Si verò peccando perit anima fratris, pro qua mortuus est Christus, non curamus: negligimus, imò multotiens irridemus, vel etiam consentimus. Vt quid hæc? nisi quia charitatem proximi non habemus: cui ouem vel asinum præponimus. Iuxta verò mysticum sensum, probatio est a maiori. Mysticè enim homo vel mulier, Christus Dei sapientia intelligitur. Ouis verò vel dragma, in qua imago Regis inscribebatur, homo ad imaginem Dei factus accipitur. Si ergo Christus Deus & Dominus vniuersorū, adeò fugitiuum seruum hominem dilexit, quod pro eo recuperando, nonagintanouem oues in deserto, id est, nouem Angelorum ordines in cœlo corporaliter reliquit, hominem inter diuersos mundi errores quæsiuit, eius peccata in cruce portans, eum ad patriam reuexit: & in hoc gauisus est, & ad congaudendum non oui, sed etiam sibi, Angelos inuitauit. Nónne multò magis homo hominem, frater fratrem debet diligere, pro eo lucrādo omnia negotia postponere, eius salutem quærere, eius peccata portare, & ad Deū eum

redu-

reducere, de eius salute plusquã de lucris secularibus gaudere, & alios ad congaudendum monere?

Sequitur pars quarta, in qua Dominus adaptans similitudinẽ, ait: *Ita gaudiũ erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente: quàm super nonagintanouẽ iustis, qui non indigent pœnitẽtia.* Et quidem fratres mei, plus de amissa rei recuperatione, quàm de re nunquã amissa gaudere solemus. Maius quippè est rem restaurare, quàm cõseruare: & mirabilius est post lapsum surgere, quam nunquã cadendo stare. In quo etiã illud notari potest, quod quidã, quantò grauius ceciderunt, tantò feruentiores resurgunt. Et quia illicita se cõmisisse sciunt, etiã licita sibi abscidũt: plusquam etiam iussa faciunt: nunquã se satisfacere credunt: perfectè mundum deserunt: ad cœlestia toto desiderio tendunt: illa suspiriis & lachrymis deposcunt: pro eis pati quælibet grauia facilè ducũt. Econtrariò quidam, quia nullum graue crimen se cõmisisse putant, tepidi manent, nullo desiderio, nullis suspiriis, nullis lachrymis, ad cœlestia inardescũt, sed nec frigidi, nec satis calidi viuunt. Maius ergo gaudiũ est Deo & Angelis eius super feruorem vnius pœnitentis, quàm super tepidam iustitiam plurium iustorum. Quoniam Rex plus illum militem diligit, qui post fugã reuersus, hostes fortiter, premit, quam illũ qui nec fugit, nec vnquam fortiter egit. Nos ergo fratres charissimi, duritiam & falsam iustitiam Phariseorum euitemus, compatiẽtes in peccatores & pauperes & afflictos simus: auersorum conuersionem quęramus, errantes corrigamus, & ad Deũ reuocemus. Nihil quippè plus acquirit nobis misericordiam, quàm quod si facimus aliis misericordiam. Qui ergo lapsi sunt, ad pristinum statum cum feruore redeant, vt de conuersione sua luctum diabolo & gaudium Deo & Angelis suis faciant. Qui verò iusti sunt, nunquam tepescãt, sed semper in charitate & in compassione proximi inardescant, & secum spolia captiuitatis ad Deum reportare satagant, largiente Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA QVARTA post Trinitatem.

Exi-

Existimo quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis, etc. Rom. 8.
Tripartita est hæc lectio fratres mei. Primò ostendit Apostolus passiones sanctorũ non esse condignas magnitudini præmiorũ. Secundò dicit ipsos non volentes subdi passionibus, sed tamen in spe patienter portare. Tertiò dicit omnes inter passiones ingemiscere, & etiã ipsos sanctos, & ideò ęternã gloriam magis desiderare. Ait ergo primò, *Existimo quod nõ sunt cõdignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ac si apertè dicat, per nullas passiones temporales dignè mereri valemus magnitudinẽ gloriæ quæ nobis in futuro tribuetur. Imperator quippè noster, fratres chariſſimi, largus, imò ipsa largitas est, nec vult paruitati nostrõrũ laborum, præmia sua cõmensurare: sed potius de diuitiarũ suarum largitate nos superabundãter accumulare. Labores quippè nostri sunt modici, præmia erunt immẽsa. Labores nostri sunt breues & momẽtanei, præmia erunt sempiterna. Labores nostri sunt terreni, præmia erunt cœlestia. Labores nostri parũ in se habent amaritudinis, præmia ineffabilem habebũt in se dulcedinẽ. Sicut scriptum est, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit quę præparauit Dominus diligẽtibus se. Esa. 64. 1. Cor. 2. Quod verò passiones huius temporis non sunt condignæ passiones ad futuram gloriã quę reuelabitur in nobis, probat, cùm subdit: *Nam expectatio creaturæ, reuelationẽ filiorũ Dei expectat.* Vocat autẽ hic fideles creaturã, eò quòd à cæteris creaturis ferè in nullo hìc distare videãtur. De terra enim sunt, & in terra morãtur, & de terra viuunt, mutãtur & corrumpuntur, moriuntur sicut cæteræ creaturæ: vnde videtur esse idem finis hominis & iumenti. Eosdem verò vocat secundùm statum æternę vitæ (siue futurę) filios Dei: eò quòd tunc erunt similes Deo immortalitate, puritate, glorificatione, & claritate. Iuxta quod Ioannes ait, Chariſſimi scimus, quia filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Cùm autẽ apparuerit eum similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. Ait ergo, Expectatio creaturæ reuelationẽ filiorum Dei expectat. Quasi diceret, fideles qui sunt in miseria huius mundi, expectãt aliam vitam, vt in 1. Ioan. 3.

ta glorificetur in filios Dei, id est, cùm sint tantilli, tātam rem expectant: vt qui nunc similes sunt bestiarum, sint similes Dei. Quod verò ait inculcando: (expectatio & expectat) expectantium certitudinem, desiderium que significat. In quo damnātur (quod sine gemitu dicere non possint) illi qui tantum in hac vita spem habent, aliam verò vitam nec esse suspicantur, dicentes: Quis est regressus ab inferis, qui testificetur nobis aliam vitam esse? Sic semper nascuntur homines & moriuntur: transit homo sicut vmbra & fumus, non amplius futurus. Propterea, inquiunt, dū licet, ducamus in bonis dies nostros, gaudeamus, epulemur, luxuriemus, rosis nos coronemus, sericis nos induamus, in mollitie iaceamus, quæcunq; desiderat cor nostrū faciamus, quia cras moriemur. Multi certè sunt hodie qui quanuis hoc ore nō dicāt, tamē operibus se ita credere
Psal. 48. demonstrant. De quibus verè dicitur, quoniā homo cùm in honore esset, non intellexit, cōparatus est iumētis insipiētibus, & similis factus est illis, imò miserior & deterior illis: quoniam melius esset illis penitus mori cum iumentis, quam in morte semper viuere cum dæmoniis.

Sequitur pars secūda, in qua ostenditur fideles subiectos esse miseriis non volentes, sed tamen in spe patienter portare, cùm subditur: *Vanitati enim subiecta est creatura nō volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Duplici vanitati fratres mei, homo subiectus est, vanitati culparum, & vanitati pœnarum. Et mali quidem vanitati culparum volentes famulantur: pœnis verò quæ vtilitatē conferunt in purgandis peccatis, inuiti & murmurātes subiecti sunt: fideles verò culpis inuiti subiecti sunt, & eis quantū possunt, resistunt. Pœnas verò, & si voluntas carnis non vult, tamen voluntas rationis propter earum vtilitatem eas su-
Mat. 14. stinet patiēter. Quis magister patiēs quàm Christus? tamē
Mar. 14. iuxta carnis voluntatē se nō velle pati ostendit, cùm dicit,
Luc. 22. Pater si possibile est, trāseat à me calix iste. Sic ergò fratres mei, in hac vita iusti subiecti sunt vanitati, vanitati persequutionum, indigentiarū, perturbationū, defectuum, cæterarumq; pœnarū. Sed hæc omnia patienter ferunt propter Deum, qui subiicit eos huiusmodi vanitatibus in spe retributionis & liberationis. Et diabolum quippè propter super-

superbiam suam subiecit Dominus vanitati culpatũ, miseriarum, & perturbationum: sed nõ in spe. Quare? Quoniam diabolus cùm spiritualis & fortioris naturæ esset, & cùm per seipsum peccasset, spem liberationis non meruit. Homo verò terrenæ & fragilioris naturæ, & per suggestorem deceptus, spem meruit liberandi. Hinc patet quoniam quãdo peccant aliqui fortioris naturæ, & per se magis peccant, & minus excusabiles sunt. Nos ergo fratres, subiectionem culparum & vitiorum fugiamus, subiectionem infirmitatum, indigẽtiarum, atque persequutionum feramus patienter propter Deum, qui nos in huiusmodi subiecit in spe: quæ quidem spes non confundet. Vnde & sequitur, *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatẽ gloriæ filiorum Dei* Quando (vt ipse alibi dicit) hoc corruptibile induet incorruptionem. Non 2. Cor. 15.
ait quælibet creatura, sed ipsa creatura, quæ à vanitate quantũ potest, se excutit, & tota spe & desiderio ad Deum tendit: ea sola liberabitur à seruitute corruptionis, quam superius vocauit vanitatem, & recipietur in libertatem filiorum. Tunc quippè liberabitur à seruitute culpæ, à seruitute pœnæ, patiendi scilicet & moriẽdi, à seruitute necessitatis, comedendi scilicet vestiendi atq; dormiendi, & huiusmodi. Tunc enim ait Ioãnes, Absterget Deus omnem Apoc. 21.
lachrymam ab oculis sanctorũ, & mors non erit amplius, neq; luctus, neq; clamor, neq; vllus dolor: quoniam prioa transierunt. Non esurient, neq; sitient amplius, & non cadet super illos Sol, neque vllus æstus.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur omnes inter miserias huius vitæ gemere, & etiam, & etiam ipsos cùm subditur: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc.* Omnis quidẽ homo fratres, tã bonus quàm malus, inter tribulationes & miserias huius mundi, velit nolit, ingemiscit, sed solus bonus parturit. Parturire enim est pro pariendo fructu laborare. Malus ergo in hac vita gemit, sed non parturit: quoniam gemitus eius & labor (quia pro temporalibus est) fructum æternum non habebit. Bonus verò hìc & gemit & parturit: quia gemitus & labor eius infructuosus non est, sed potius fructum æternitatis obtinebit. Quod Dominus in Euangelio Ioan. 16.

per similitudinem ostendit, dicēs, Mulier cùm parit tristitiam habet: Cùm autē pepererit puerum, iam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mūdum. Et vos quidem nunc tristitiā habētis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *ingemiscit*, inquit, *& parturit vsque adhuc*: id est, à principio mundi vsq; nunc, & vsq; in finē: ab Abel vsq; ad vltimum iustum. *Et non solùm*, inquit, *illa, sed etiā nos ipsi, primitias spiritus habētes, & ipsi intra nos ingemiscimus, expectantes adoptionē gloriæ filiorū Dei, redemptionē corporis nostri.* Quasi dicat, & nō solùm cæteri fideles minores inter miserias huius mundi gemunt, sed etiā nos ipsi Apostoli, qui prius & abundantius virtutes accepimus spirituales: & ipsi quāuis consolemur, tamen intra nos ingemiscimus, considerantes miserias in quibus nunc positi sumus, & adoptionē gloriæ filiorum Dei, quā expectamus. Addit etiam redemptionē corporis nostri: ostēdens quoniam non solæ animæ glorificabuntur in alia vita, vt quidam hæretici suspicati sunt, sed etiā ipsa corpora nostra ab omni corruptione & redimentur, & æterna gloria ditabuntur. Porrò ex duobus, quæ hîc ponuntur, id est, ex consideratione præsentis miseriæ, & gloriæ futuræ, nascitur cōpunctio in nobis, quæ est ex desiderio patriæ cœlestis.

Vnde compunctio in nobis oriatur.

Ex aliis verò duobus, id est, ex consideratione nostrorum peccatorum, & ex consideratione æternorū suppliciorum, quæ eis debētur, nascitur in nobis cōpunctio pœnitentiæ. Nos ergo peccatores, turpitudinē nostrorum, & amaritudinem ignis æterni eis debitā, ante oculos nostros semper habeamus: vt ita semper pœniteamus, semper de peccatis nostris gemamus & ploremus. Pensemus etiā simul miseriā vbi nunc sumus, & æternō cœlestium gaudiorum beatitudinē. Vt ita desiderio illius ingemiscamus, ploremus & ad illam toto desiderio festinemus. Nunc in lachrymis seminemus, quod pòst cum exultatione metamus, vt eis mereamur adnumerari, de quibus ait Psalmista: Euntes ibāt & flebāt, mittētes semina sua. Veniētes autē venient cum exultatione, portātes manipulos suos, largiente Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Psal. 125.

DOMI-

DOMINICA IIII. POST TRINIT.

Dixit Iesus discipulis suis: *Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est.* In hac S. Euãgelij lectione fratres charissimi, intẽdit dominus nos instruere, vt quantum possumus & scimus, semper misericordiã faciamus. Primò igitur monet nos, vt exẽplo cęlestis patris, misericordes simus. Secũdò demõstrat quãtum misericordia promereatur. Tertiò ostẽdit ignorantem vel vitiosum non debere magisterium præsumere. Primò igitur exhortans nos ad misericordiã, ait, *Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est.* Alibi quoq; ait, Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Ex quibus verbis profectò demõstratur, quia Dominus vult nos imitatores sui esse, vult nos patrissare: alioquin non reputat nos inter filios suos, sed inter reprobos seruos. Sic facit fratres mei, (vt fertur) Aquila, quæ pullos suos opponit radiis Solis, & pullum quidẽ, qui more patris radiũ Solis immoto lumine cernit, tanquã proprium diligit. Illum verò qui hoc nõ facit, tanquã degenerem abiicit. Sic & coruus pullos suos antequã videat eos nigrescere, tanquã suis dissimiles spernit. Postquã eos videt nigros, tanquã sibi similes diligit. Homo etiã filiũ, quẽ videt sibi obsequi & obedire, diligit: filium verò inobedientẽ odit. Nos ergo fratres mei, vt filij Dei esse mereamur, eum imitemur, ei nos conformemus. Simus pro modulo nostro sancti, sicut ipse sanctus est. Simus iusti, sicut ipse iustus est. Simus misericordes, sicut ipse misericors est. Ipse autem tantisper misericors est, quod nullã creaturã misericordię suę reliquit expertẽ. Dat enim iumentis escã ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Dat nõ solùm cultoribus & amicis suis, sed etiã contemptoribus & inimicis: facit enim Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nos quoq; fratres, benignitatem eius, inquantum possumus, imitemur. Demus non solùm notis, sed etiã ignotis: non solùm amicis, sed etiã inimicis. Alium iuuemus re, alium verbo, alium consilio, alium correctione, alium admonitione, alium consolatione. Omnes bonum exemplũ, omnes nostram benignitatem sentiant: vt ita sanctificetur nomen Dei in nobis, & simus imitatione filij patris nostri,

Luc. 6.

Leuit. 19.

Psal. 146.

Mat. 5.

qui in cœlis est. Secundò ostendit Dominus quantum misericordia promereatur. Ponit autem quatuor species misericordiæ, vnicuiq; præmium suum subiungens. Primam ponit, cùm subdit, *Nolite iudicare*, de dubiis, vel de minoribus noxis. De apertis enim malis, & de apertis bonis
Mat. 7. permissum est nobis iudicare. De quibus dicitur, à fructibus eorum cognoscetis eos. De dubiis vero & minoribus noxis iudicare prohibemur: quia incertum est nobis, quo animo fiat, quę & bono & malo fieri possunt: Vt est manducare & bibere: loqui cum muliere, manducare cum malo homine, & huiusmodi, quæ debemus in meliorem partem interpretari. Vt si videamus Sacerdotem loqui cum muliere, dicamus cum illi dare consilium de anima sua & huiusmodi. Minores etiam culpas, vt frangere aliquando ieiunium, aliquādo nimis comedere vel bibere, consortia malorum frequentare, debemus per dispensationem, per infirmitatem, & per charitatem excusare. Sicut enim malignæ mentis est etiam bona deprauare: ita benignæ est etiam mala in meliorē partem inclinare. Huius misericordię præmiū ponit, cùm subdit, *& non iudicabimini*, subaudis de temerario iudicio. Qui enim temerè hìc iudicant, de temerario iudicio iudicabuntur à Domino. Secundam speciē misericordiæ ponit cùm subit, *Nolite condemnare*, etiā apertè malos, sed potius corū conuersionē expectate & orate. Quoniam qui hodie est malus, fortassis cras, vel post cras, erit bonus. Stultissimus quippè esset, qui cōdemnasset Mariā Magdalenā, cùm adhuc stulta esset: Et Paulū cùm adhuc persequutor esset: qui postea tantis meritis apud Deum effulserunt. Huius misericordiæ præmiū ponit, cùm subdit: *Et non condemnabimini*, de stulta cōdemnatione. Qui enim nunc temerariè peccatores damnant, de temeraria damnatione à Domino damnabuntur. De istis duabus speciebus misericordiæ laudatur S. Martinus, cùm de eo legitur: Neminem iudicans, neminē damnans.
Rom. 14. Hinc Paulus ait: Tu quis es qui iudicas alienum seruum. Suo Domino stat aut cadit. Et Philosophus: Vide, inquit, si adhuc malus es, & similibus parce. Si autem malus esse desisti, cur aliis locum emēdationis abscindas? In quo fratres, nostra confunditur præsumptio, qui aliorum peccata iudi-

iudicamus. Alio iudicio & nostris parcimus, alios condemnamus, & nos in cordibus nostris iustificamus. Alio iudicio nos, alio proximos nostros iudicantes, cùm scriptum sit: Pondus & pondus, mensura & mẽsura, vtrunq; abominabile est apud Deum. Tertiam speciem misericordię ponit, cùm subdit: *Dimittite.* Eleemosyna quippè magna est, dimittere, vel iniurias irroganti, vel conditionem seruo, vel debitum pauperi debitori: huius misericordiæ prẽmium ponit, cùm subdit: *& dimittetur vobis.* Per hanc enim eleemosynam peccata nobis à Domino dimittũtur. Vnde & in oratione Dominica dicimus, Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In qua etiam conditione nos constringimus, quod si non dimittamus, nec nobis dimitetur. Imò etiam per parabolam serui dimissi, & dimittere nolentis, peccata quæ dimittere videbãtur, redire cõprobantur. Itaq; fratres, duritiã cordis deponamus. Et si in Deũ nobis dimittere volumus, aliis dimittamus. Quartã speciẽ ponit, cùm subdit: *Date eleemosynam*, vel corporalẽ, vt, esurienti cibum: nudo vestimentũ: hospiti hospitium. Vel spiritualem, vt correctionem, instructionem, exhortationem, consolationem. Vel realem, vt auxilium in aduersis, consilium in periculis, fulcimentum in causis. Huius misericordiæ præmium ponit, cùm subdit: *& dabitur vobis.* Hic gratia, & in futuro gloria. Quàm verò largè eleemosyna à nobis facta à Deo sit remunerãda, ostendit cùm subdit: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluẽtem dabunt in sinum vestrum.* Porrò æternam beatitudinẽ vocat mensurã, quoniam secundũ meritã vnicuiq; mensurabitur. Hæc erit bona, quæ summum & æternum bonum dabit nobis ad fruendum. Erit conferta, nihil habens vacuitatis vel vanitatis: sicut terrena bona, quæ vacua, vana & imperfecta sunt. Erit coagitata, id est, omnia bona nobis necessaria in se continens, cùm terrena nulla indigentiam replere valeant. Erit superfluens, & qualitate, & quantitate, & tempore. Pro vanis enim bonis, verè bona: pro vacuis, plena: pro insufficientibus, sufficientia: pro paruis, magna: pro caducis, æterna dabũt. Qui? Pauperes, quia erunt causa dandi. Hoc est quod alibi dicitur, facite Prou. 20.

Luc.16. vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula. Quare ergo fratres, sumus duri ista terrena cõferre in pauperes, qui æterni boni promittũtur nobis remuneratores. *Eadẽ quippè mensura, qua mẽsi fueritis, remetietur vobis.* In quo nõ cõmensurationem præmiorũ ad merita figurat: præsertim cùm alibi dicat, Centuplũ iustos accepturos. Sed ita intelligendũ est, Qui plus dedit, plus accipiet: & qui minus, minus. Iuxta

2.Cor.9. illud Pauli, Qui parcè seminat, parcè & metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Tertiò per similitudinẽ ostẽdit, ignorantẽ non debere magisteriũ assũmere, subdens: *Si cæcus cæcũ duxerit, nónne ambo in foueã cadunt?* Cæcus cæcũ ducit, cùm ignorans ignorantẽ regere præsumit. Hoc cõtra illos est, qui nondũ discipuli, fiũt magistri. Qui nescietes regere animas suas, præsumunt regere alienas. Sed sicut cæcus cæcũ ducẽs cadit grauius, dum sub alio cadit, quàm si solus caderet: ita ignorans ignorantẽ regens, cadit grauius quàm si nullum regere præsumpsisset, quia propter animas & sub animas, quas secũ ad perditionẽ trahit, cadit, & quod grauius magister ignorans, quàm discipulus ignorans puniendus sit, ostendit, cùm subdit: *Non est discipulus super magistrum.* Liptotes est, id est, sicut est minor gradu, ita est minor præmio, si sit bonus: & minor pœna, si sit malus. Et quare hoc? subditur: *Perfectus autẽ erit, si sit sicut magister eius.* Quoniã sic æmulatur simplex discipulus magistrũ, qui putat se fore perfectũ, si ei valeat adæquari. Hinc est quod nihil plus nocet plebibus in Ecclesia, quàm magistri peruersitas. Quæ enim vident facere magistrũ suum, volunt facere, dicentes: Nunquid ego sum melior Sacerdote meo? non est discipulus super magistrũ. Rursus per similitudinẽ ostendit vitiosum non debere accipere magistrũ, cùm subdit: *Quid autẽ vides festucã m oculo fratris tui, trabẽ autẽ quæ in oculo tuo est, nõ consideras?* Quasi diceret, quo modo præsumis reprehendere alios de minori vitio, cùm tu maiori vitio labores? Quomodo audes reprehẽdere iram fratris, quę est quasi festuca in oculo mentis: cùm tu odiũ quod est quasi trabes in mente tua, non reprehendas. *Hypocrita, eiice primò trabẽ de oculo tuo: & tunc perspicies vt*

educas

educas festucã de oculo fratris tui. Quasi diceret, primum teipsum corrige, si alios vis corrigere, primo teipsum mũda, si alios vis mundare. Oportet enim vt manus sit munda, quæ alias vult mũdare: ne si fuerit immunda, tacta deterius coinquinet. Inde Dominus de muliere in adulterio deprehensa, ait: Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat. Quasi diceret: oportet quidẽ vt adulteri iudicentur, sed à castis: vt malitiosi damnẽtur, sed ab innocẽtibus: vt rei corrigantur, sed à iustis. Itaq; fratres, si quem volumus reprehendere, primo videamus si similes ei sumus. Quod si sumus pariter ingemiscamus, & non eum nobis obtemperare, sed eum pariter nobiscum emendari moneamus. Quod si non sumus similes: quia tamẽ olim fuimus, vel esse potuimus, ei condescendamus: & non ex odio, sed ex misericordia arguamus. Rarò enim & nõ sine magna necessitate sunt obiurgationes adhibendæ, & non nisi respectu Dei, & remota ab oculo trabe. Itaque fratres mei, misericordiæ operibus insistamus: iudicare & dãnare alios euitemus. Dimittamus vt nobis dimittatur: demus vt nobis detur, vt mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem, id est, æternam beatitudinem recipere mereamur. Quod nobis concedat, qui est super omnia benedictus Deus. Amen.

DOMINICA V. POST TRINITATEM.

Charissimi omnes vnanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, &c. Quadripertita est hæc lectio fratres mei. 1. Pet. 3.

Primò enim exhortatur nos Apostolus ad sex, quas enumerat virtutes. Secundò ad meliorẽ retributionẽ. Tertiò ostẽdit bonis emulatoribus neminẽ posse nocere. Quartò nos monet Deum in nobis sanctificare. Primò igitur hortatur nos ad sex virtutes dicens: *Omnes vnanimes in oratione estote.* Porrò vnanimes aliqui esse non possunt, nisi sint boni & amici. Mali enim vnanimes esse non possunt quum vitiis seruiant contrariis. Quomodo auarus & prodigus essent vnanimes? Quomodo crudelis & negligens essent vnanimes? Quomodo impetuosus & formidolosus essent vnanimes? At boni quia colũt virtutes, quæ nũquã contrariæ, sed semper concordes, & sese coadunantes

Qui vnanimes esse possunt.

sunt, vnanimes esse possiunt, si affectuosè sese diligũt. Omnes quidem boni in volendo communia bona, vnius voluntatis sunt. Sed circa alterius bona propria, alter friget aliquando. Quando autẽ aliqui boni ita sese diligũt, quod alter vult bona alterius sicut sua, illi proculdubio vnanimes sunt. Multitudinis credentium, inquit, erat cor vnũ, & anima vna. Et vnum quidem cor eis, quoniam bona æquè volebant. Vna vero anima erat eis, quoniam vnus diligebat alium, sicut animam suam. Hortatur igitur Apostolus nos, vt simus vnanimes, præcipuè in oratione, id est, in optando & petendo bono. Vna enim oratio plurium fidelium, si sit vnanimis, inefficax esse non potest. Simus ergo fratres mei, in oratione vnanimes, non solum cæteris fidelibus, sed etiam vnusquisq; sibiipsi. Sicut enim ille qui male petendo, ab vnanimitate Ecclesiæ discordat, indignus est exaudiri: ita & ille, qui à bono quod postulauit in oratione per reprobam vitam discors est. Et quoniam vnanimitas per compassionẽ maximè dignoscitur, hortatur subsequenter nos Apostolus, vt simus compatientes patientibus, non fictione, vt faciunt adulatores, sed vera mentis affectione, nostrorũ fratrum dolores & damna faciendo nostra, vt faciebat Paulus, qui dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ostendamus per compassionem nos verè esse membra Christi & Ecclesiæ. Vt quemadmodũ in humano corpore, dolente vno membro, condolent cætera membra: sic & nos proximorum nostrorum passionibus compatiamur. Nec in eo quod proximos nostros afflictos videmus, eos tanquam inferiores & miseros contẽnamus, vt faciunt quidam, qui licèt dent multa pauperibus, tamẽ hoc faciunt potius ex mandati coactione, quàm ex fraternitatis dilectione. Propter hoc adiungit Apostolus: *Fraternitatis amatores*, vt scilicet super eos non superbè nos extollàmus, sed potius in æquum descendentes, eos tanquam fratres nobis coæquemus. Sed & erga illos qui nostri auxilii indigere non videntur, fraternitatis amatores simus, eis nostra communicãtes: eis officia charitatis exhibentes, eos tanquam fratres Christo diligentes. Non simus de numero illorum qui soli sibi viuunt, nulli familiari-

Act. 4.

2. Cor. 10.

liaritatem, nulli charitatis officium exhibentes, & quasi homines non essent, cum nullo homine aliqua vinciuntur affectione. Hos tepidos homines, vocat Apostolus sine affectione, sine fœdere, sine misericordia. Hos etiã ipsa bruta animalia damnant, quę sui generis animalia quadam fraternitate diligere solent. Equus socium suũ subsequentem expectat, præcedentem libentius subsequitur, absentem desiderat, & hinnit. Quid ergo debet facere rationalis creatura? Et quoniam quidam, licèt compassionẽ & fraternitatem quibusdam exhibeant, tamen in eos qui se læserunt, immisericordes sunt: addit, *misericordes*, videlicet ad dimittendas iniurias nobis illatas. Hac enim conditione astringit nos Dominus, vt si volumus nobis dimitti, dimittamus. Aliter nihil à Deo nobis dimittetur. Vnde Dominus in oratione Dominica sub hac conditione præcipit nos postulare, hoc modo: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Deinde subcontinuat dicens: Si non remiseritis peccata fratribus vestris ex cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis. Si ergo fratres mei, volumus summum iudicem misericordem inuenire, simus & ipsi in eos qui nos læserunt misericordes. Nam iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. Et quomodo quidam nimis sunt misericordes in subiectos peccantes, addit: *Modesti* Modestia fratres mei, est libera, condimentum, & temperãtia cæterarum virtutum: & sine ea, non virtutes, sed vitia sunt. Modestia enim temperat misericordiam, ne cadat, vel in laxitatem, vel in duritiã: temperat etiam sapientiam ne cadat vel in calliditatem, vel in hebetudinem: temperat fortitudinem, ne cadat vel in audaciam, vel in timiditatem: temperat iustitiam, ne cadat vel in credulitatem, vel in negligentiam: temperat largitatem, ne cadat vel in prodigalitatem, vel in auaritiam. Amemus ergo fratres mei, modestiam, vt per eam inter contraria vitia, mediã eligamus & teneamus virtutem. Et quomodo cæteris vitiis fugatis, demũ nos impugnant superbia, ad extremũ nos monet hic ad humilitatem, cùm subdit: *Humiles*. Humilitas quippè est cõseruatrix virtutũ. Et qui sine humilitate cæteras virtutes cõgregat, quasi puluc-

Rom.1.

Mat.6.
Mar.11.

Modestia.

Humilitas virtutum conseruatrix.

puluerem in ventum portat. Multis quippè vitia cõculcasse & virtutes acquisisse, occasio superbiæ fuit: & quia gloriãtur se vitia deuicisse, deuincũtur. Quod bene significatur, per Eleazarũ, qui sub Elephãte quẽ occidit, occubuit, quasi enim sub prostato hoste, prosternitur, qui de victoria vitiorũ eleuatur. Proinde fratres mei propriã recognoscamus infirmitatẽ, qui nihil ex nobis boni, sed tantũ peccata possumus. Si quid boni habemus, nõ nobis, sed Deo attribuamus. Nunquam de viribus, nunquam de meritis nostris, sed de sola Dei misericordia cõfidamus. Dumque sumus in lubrica huius seculi via, semper timeamus, & quàm magni ante nos ceciderunt, recogitemus.

Propria infirmitas recognoscenda.

Sequitur pars secunda, in qua monet nos Apostolus ad meliorem retributionem, dicẽs: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicẽtes.* Porrò quatuor sunt retributiones. Reddere malum pro bono: reddere bonũ pro malo: reddere malũ pro malo: & reddere bonum pro bono. Prima est diaboli, & membrorum suorum. Secũda est Christi & membrorum suorum: Tertia mediocriter malorum: Quarta mediocriter bonorum. Dominus in Euangelio ostendit non sufficere si bonum pro bono reddiderimus, nisi etiam bonum pro malo reddamus, dicẽs: Si diligitis eos qui vos diligũt, quam mercedem habebitis? Nonne & Æthnici hoc faciunt? Sed diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Hoc idẽ dicit hîc Apostolus. Et quod ita faciendum sit, probat subdens. *Quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* Ac si apertè dicat, nõ maledicatis, sed potius benedicatis: quia ad æternam benedictionem vocati estis. Non enim de malo semine bona seges, nec de malo merito bona merces colligetur. Quæ enim (vt ait Paulus) seminauerit homo, hæc & metet. Si ergo fratres mei, æternam benedictionem consequi volumus, nunquam malè, sed semper benedicamus. Si æterna bona consequi volumus, nunquam mala, sed semper bona faciamus. Scriptũ est enim de reprobo: Dilexit maledictionem, & veniet ei: Et noluit benedictionem, & elõgabitur ab eo. Hoc idẽ probat auctoritate Psalmistæ dicẽtis:

Mat. 5.

Gal. 6.

Psal. 108.

Quũ

Quũ enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, id est, qui diligit, & vult videre vitam æternam, *coërceat linguam suam à malo*, scilicet cogitando, & labia eius ne loquãtur dolum. *Declinet autem à malo*, subaudis opere: id est, nec cogitet, nec loquatur, nec faciat malum. Et quia hoc non sufficit, addit: *& faciat bonum*. Et ita viuendo inquirat pacem æternã. Et quia non potest hic illa summa pax haberi, sequatur eam, habẽdo pacem secũ, pacem cum proximo, pacẽ etiam (quantũ in ipso est) cũ inimico: & ita poterit consequi pacem sempiternam. *Quia oculi*, id est, respectus misericordiæ, *Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum audiendas. Vultus autem iræ Domini super facientes mala.*

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus bonis æmulatoribus neminem posse nocere. Sunt autem æmulatores boni, qui nunquã malum, sed semper bonũ æmulantur: vitas bonorũ viuentium curiosius perscrutantur, & mortuorum legunt: & quod melius in eis inueniunt, æmulantur, & imitari conãtur. Quod tendẽtibus ad perfectionẽ, perutilissimum est. Vnde legimus de sancto Antonio, quòd iunctus studiosis vitas æmulabatur vniuersorũ. Hinc Apostolus, æmulamini, inquit, charismata meliora. Ait ergo de eis Apostolus: Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Ac si diceret nullus. Quia Deus non vult, imò tales amat & tuetur. Diabolus vel homo non potest, imò etiam dum putat eis nocere, eis prodest: quia eos persequendo, vexando, etiam occidẽdo, reddunt glorioſiores, sic diabolus Iob: sic Decius Laurentiũ: sic Decianus Vincẽtium: dum putat extinguere, facit gloriosum. Hinc Dauid de diabolo ad Dominum loquitur, dicens: Draco iste quem formasti ad illudendum ei, sanè enim in hoc diabolus illuditur, quod quando intendit electis nocere, sibiipsi nocet, & illis auxiliatur. Hinc subditur: *Sed etsi quid patimini propter iustitiam beati.* Quare? Quia teste Domino, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. Timorem autem eorũ ne timueritis (inquit) vt non conturbemini. Timor nimius ita quorũdam rationem turbare solet, vt stupidi & perturbati quid facere debeant, non

S. Antonius.

aduer-

Non creatura sed Deus in creaturis timendus.

aduertant. Cæterùm nos fratres mei, non creaturam aliquam, sed Deũ in creaturis timeamus. Timeamus inquã cum dilectione, & diligamus cum amore: qui timor non infert tribulationẽ, sed potius consilium & consolationẽ.

Quomodo Christum in cordibus nostris sanctificamus.

Sequitur pars quarta in qua Apostolus nos monet Dominũ nostrum Iesum Christũ sanctificare in cordibus nostris. Porro Christum in cordibus nostris sanctificamus, quãdo corda nostra in eo sanctificare studeamus: Quod vtiq; fit, si vitã & mores eius imitari satagimus: si doctrinam eius sequimur. Sed simus mũdi pro modulo nostro, sicut ipse mundus est: misericordes, sicut ipse misericors est: iusti, sicut ipse iustus est: Sancti, sicut ipse sanctus est: vt tandem mereamur esse vbi ipse est: quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA V. POST TRINITATEM.

Luc. 5.

Cùm turba irruerent ad Iesum, vt audirẽt verbũ Dei: ipse stabat secus stagnum Genesareth. Quinque capitulis distinguitur hæc lectio fratres mei. Primo enim docemur cum quanta auiditate ad audiendũ Dei verbum festinare debeamus. Secundò, per frustrationem piscationis, significatur sæpè accidere frustrationem prædicationis: Tertiò, Domini exẽplo instruitur prædicator: Quarto, per capturam piscium, significatur Petrũ & socios eius futuros piscatores animarum: Quintò, Petrum stupẽtem consolatur, & ei promittit officium prædicationis. Docemur igitur primo hic fratres cum quanta auiditate ad verbum Dei debeamus festinare, cùm dicitur: *Cùm turbæ irruerent ad Iesum vt audirent verbum Dei.* Quid enim aliud est irruere, nisi cum desiderio currere? Cum magno ergo desiderio, cum magna auiditate, ad audiendũ verbũ Dei currebant, qui hac de causa ad Iesum irruebãt. Quod ex hoc fratres mei, præcipuè ostenditur, quòd nec indigẽtiæ, nec temporis, nec loci necessitate retardabantur, quin eum sequerentur. Ingruit fames, cum iam triduo illum sustinerent, & tamen eum sequuntur. Ingruit nox, & tamen eum sequuntur. Ingruit loci angustia, & tamẽ eum sequũtur. Ita etiam, vt propter turbam angustiantem nauẽ conscendere, & mare intrare compulsus sit. In quo fratres mei

(quod

(quod sine gemitu dicere non possum) confunditur tepor & tarditas nostra, qui ad audiendum verbum Dei vix cōuenimus: conuenientes vix audimus: audiētes vix aliquid inde opere exequimur. Vbi fratres mei est illa fames, de qua Propheta, imò Deus per Prophetam, dicit: Mittam fa- *Amos. 8.*
mem in terra, non famem panis aut vini, sed famem audiendi verbum Dei. Vbi est illa dulcedo diuini verbi, qua gustata exclamat Propheta: Quàm dulcia faucibus meis *Psal. 118.*
eloquia tua super mel ori meo?

Sequitur pars secūda, in qua per frustrationem piscationis, significatur frustratio prędicationis, cùm subditur: *Et vidit duas naues stantes secus stagnum.* Videt autē Dominus misērando duas naues: id est circuncisionis & præputij Ecclesias, adhuc bonis piscibus vacuas. Et quare vacuas? Piscatores enim per totā noctem laborantes nihil cœperant, & ideò descendebāt, & lauabāt retia. Hoc quod tunc accidit eis in piscatione, accidit frequenter in prædicatione: Piscatores, id est, prædicatores, sæpè prædicando laborant, & tamen neminem verbi dulcedine capiūt, neminem Deo acquirunt. Quare? quia per noctem laborāt, & non in verbo Iesu. Duo quippè significantur esse im- *Duo impedimēta ne prædicatio auditores capere possit.*
pedimenta, ne prædicatio auditores capere possit: vel quia auditores indigni sunt quibus proficiatur: vel quia prædicator indignus est qui proficiat. Quando auditores indigni sunt, frustra laborat prædicator per noctem: quia absente sole iustitiæ, nullus potest illuminari ab homine. Nisi enim intus sit qui doceat, in vanum lingua doctoris laborat. Quando verò prædicator indignus est, qui vel sibi vel aliis proficiat, in vanum sæpe laborat, quia nō prædicat in verbo Iesu, id est, salutis: sed in verbo ostentationis: quia non prædicat vt prosit, sed vt appareat, quia præsumit de sua eloquentia, non de Christi gratia: quia deinde non in verbo, id est, in præcepto Dei prædicat. Deus enim indignos arcet à prędicatione, dicēs: Quare tu enar- *Psal. 49.*
ras iustitias meas, & assumis testamētum meū per os tuū? Propterea fratres mei quando prædicatio non capit in vobis, flendum est vobis: ne fortè occulto iudicio Dei à gratia repellamini. Flendum est quoque & nobis prædicatoribus, ne fortè indigni simus, qui vel nobis vel vobis

profi-

proficiamus. Et tunc iuxta id quod hîc legimus, debemus descendere, id est, nos humiliare, & leuare retia, id est, prædicationem nostrã reuoluendo, si quid per inanem gloriã, si quid per duriorem increpationem, si quid per molliorẽ, si quid per insipientiam excesserimus, lachrymis abluere.

Sequitur pars tertia, in qua Domini exemplo eruditur prædicator, cùm subditur: *Ascendens autem in vnam nauẽ, quæ erat Simonis, rogauit eum vt à terra reduceret pusillum. Et sedens docebat de naucula turbas.* Instruit igitur hic exemplo sui Dominus prædicatorẽ in quinq; oportẽdens scilicet quem locum debeat prædicator tenere, quid prædicare, quid rogare, quomodo viuere, vnde docere. Quem locũ tenere debeat, ostenditur cùm dicitur: *Ascẽdens vnã.* Prædicator quippè debet ascendere, vt altus sit, sicut gradu, ita scientia & vita. Vnde Propheta: super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Sion. Quid debeat tenere & prædicare ostenditur cùm dicitur: *In vnam nauem quæ erat Simonis.* Dicitur autẽ nauis in quam ascendit, & vna, & Simonis, id est, obedientis: vt scilicet intelligat se præcipuè debere & tenere & prædicare vnitatem & obedientiã: Ecclesiæ vnitatem, & mandatorũ obedientiam. Quid debeat rogare ostenditur, cùm subditur. *Rogauit eum vt nauem à terra reduceret pusillum* Rogare siquidem debet prædicator Simonẽ, id est, Christum qui obediẽ fuit Patri vsq; ad mortem, vt reducat pusillũ Ecclesiam à terra in mare: vt videlicet in statu tali sit, quod nec nimiã habeat quietem & securitatẽ in terrenis prosperitatibus: nec nimiam inquietudinem & timorẽ in aduersitatibus. Ne scilicet per nimiam securitatem & quietem torpescat & dissoluatur: vel per nimium timorẽ & inquietudinẽ perturbetur & conquassetur. Quomodo autẽ debeat viuere ostenditur, cùm subditur: *Et sedens*: sedere enim magistrorum est. Sedens quippè in parte inferiori requiescit, in superiori erigitur. Sic quoque in prædicatore, inferior pars interioris hominis, id est sensualitas, debet quiescere à sollicitudine temporaliũ: & superior pars, id est, ratio, per contemplationem erigi ad cœlum. Vnde debeat prædicare ostenditur, cùm dicitur: *Docebat de naucula turbas.* Prædicator enim siue ad exteriores, siue ad interiores

Esa. 40.

Sedere magistrorum est.

riores loquiatur, ipse tamen semper de nauicula debet docere. Ipse enim semper debet esse in nauicula, non solum numero, sed etiam merito & doctrina.

Sequitur pars quarta, in qua per capturam piscium, significatur Petrum & socios eius futuros, piscatores fore animarum, cùm ait ad Simonem Iesus: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Porrò Petro soli (quia futurus erat dux verbi) dicitur: *Duc in altum*, id est, in profundum mundanorum hominum. Tàm ipsi quàm cæteris (quia communiter futuri erant prædicatores) dicitur: *Laxate retia vestra in capturam.* Sanè si retia rigidè tendantur, pisces resiliunt, nec capiuntur. Laxius verò tensa, pisces illaqueant & retinent. Præcipitur ergo discipulis vt laxent retia prædicationis, vt scilicet peccatores per nimiũ rigorem & duritiam non repellant, sed potius per relaxationem & veniam eos retineant. Hinc est quod nouitiis & rudibus, primùm vita laxior indulgetur. Cæterùm Petrus expertus se neminem per se posse ad Deum trahere, iam nihil de se, sed de verbo Dei totũ præsumit, dicens: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo, laxabo rete. Et cùm hæc fecissent, conclusérunt piscium multitudinem copiosam.* Ecce fratres mei, quid valeat in verbo Dei omnia facere, & de se nihil præsumere. Ipse quippè qui nutu suo traxit pisces, ad rete Petri, ipse solus per misericordiam suam trahit & capit peccatores in rete prædicationis. Vnde Dominus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. *Rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Ioan. 6.

Porrò rete prædicationis rumpitur, cùm vnitas Ecclesiæ per hæreses & schismata superfluę multitudinis scinditur. Sed nullus piscis cadit, quia de electis nullus perit. Sed non sufficiente Ecclesia Iudæorum, impletur pariter de electis Ecclesia gentium. Et ambæ ita sunt populis repletæ, vt penè inter huius tumultuosi mundi tẽpestates mergerentur, nec tamen sunt mersæ, Domino illas gubernante. Numerositas quippè malorum, quæ in Ecclesia excrescit super numerũ, penè secũ iustos trahit in perditionem:

nisi Dominus eis extenderet sustentationis manum.

Sequitur pars quinta, in qua Petrum stupentem consolatur Dominus, & ei officium prædicationis pollicetur. Stupens enim Petrus ad miraculum piscium, procidit ad genua Iesu, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Indiscretè loquitur Petrus, dum se peccatorem recognoscit, & veniæ fontem à se excludit. Tale est ac si diceret æger medico: recede à me medice, quia infirmus sum: imò si infirmus es, medicum à te non separes. Si peccator es, medicum peccatorum Deum à te non elonges. Petro adhuc sic infirmo, quidâ hodie sunt similes, qui dum se peccatores considerant, viam vitæ arripere trepidant: & tamen iacere in sui corporis ignauia non reformidant: & quasi in perturbatione consilium non habent. dum moriuntur & vitam timent, qui stulti & timidi sunt. Vera quippè humilitas, & si de se diffidit, tamen se omnia posse in Deo confidit. At stuporem Petri Dominus consolans ait: *Nolite timere*, cõsortium scilicet meum: quia te non grauabit, imò subleuabit: non tibi nocebit, imò iuuabit. *Ex hoc*, inquit, *iam homines eris capiens*. Ac si dicat, de piscatore fies prædicator: pro naue, reges ecclesiam: pro rete, prædicationem: pro piscibus, capies homines. Ac Petrus & socij eius tracti miraculo, tracti promissione, tracti interna inspiratione, mox Dominum sequuntur. Nam subditur, *Et subductis ad terram nauibus, secuti sunt eum.* Sequentes Dominum ad prædicationem, abrenuntiant omnibus: quia non rectè officium prædicationis assumitur, nisi amor temporalium relinquatur. Itaque fratres mei, quanuis peccatores, quanuis infirmi simus, non debemus diuinorum grauedinem mandatorum refugere: sed cum spe diuini auxilij fortiter inchoare: scientes quoniam Deus dat posse & perficere. Qui sicut fecit de opilione Regem: de piscatore prædicatorem: de persecutore pastorem: ita faciat nos de infirmis fortes: de inobedientibus, obedientes: de contemptoribus, sui amatores: vt inde eum benedicamus in æternum. Amen.

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Rom. 6. *Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* In hac lectione fratres mei,

mei, ostendit Apostolus nos Christianos, qui in Christo Iesu baptizati sumus, debere sicut in baptismo promisimus, vitæ munditiã & nouitatem tenere. Facit itaq; tria. Primò ostendit eos qui baptizati sunt in Christo Iesu in morte ipsius esse baptizatos. Secũdo, ostendit qua vtilitate: Tertiò, exponit quæ dixerat obscurè. Ait igitur primũ: *Quicunque baptizati sumus* Sed quoniam sunt baptismata Iudæorum, & Gentilium, & Hæreticorũ, qui non mundant interius, addit *in Christo Iesu*, id est, in virtute Iesu Christi qui solus habet auctoritatem baptizandi. Vnde & Ioanni per Spiritum sanctum dictum est: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manẽtem super eum, hic est qui baptizat. Cæteri enim non auctoritatem, sed solum ministerium habent baptizandi. Hinc est quod baptismus non traditur à bono ministro melius, nec a deteriore deterius: quoniam non ipsi, sed Deus baptizat, ipsi fundunt aquam, sed Deus mũdat. Porrò in hoc quod ait, *baptizati sumus in Christo Iesu*, nõ intẽdit Apostolus demonstrare formam baptismi, quę in nomine patris, & filij & spiritus sancti, à Domino in Euangelio prouulgata est. Licèt quidam eam dicant fieri posse in nomine Christi: eo quòd in Christo, id est, in vncto, & vngẽs pater, & vnctio, id est, Spiritus sanctus intelligatur. *In morte*, inquit, *ipsius baptizati sumus*. Porrò in morte Christi dicimur baptizati tripliciter, aut in morte, id est, in fide mortis: quoniã sine fide mortis Christi, nihil prodest baptismus. Sicut enim Israelitę ab ignitis serpẽtibus non liberabãtur, nisi respicerẽt ad serpentẽ æneum in palo erectum: ita nec nos liberamur à peccatis vel à diabolo, nisi fide, & spe, respiciamus ad crucifixum: aut in morte, id est in efficacia mortis Christi. Totã quippè efficaciã suam baptismus assumpsit à morte Christi: nisi enim Christus moreretur, non ablueretur reatus originalis peccati, sanguine, & aqua, quę de latere eius profluxerunt: nec flãmeus gladius ab introitu paradisi tolleretur. Aut certè in morte Christi baptizati sumus, id est, in similitudine mortis Christi, Vnde & subdit, *Cõsepulti enim sumus cũ Christo per baptismum in mortem* Similitudinem assignat Apostolus inter baptismum nostrum & mortem Christi. Sicut enim Chri-

Ioan. 1.

Tripliciter in morte Christi dicimur baptizari.

ſtus per mortem ſepultus eſt, vt amplius non viueret vita carnali, & mũdana, ſed potius ſpirituali & cœleſti, ita nos per baptiſmum morimur & ſepelimur peccato, vt de cætero non viuamus carnali vita & mundana, ſed potius ſpirituali & cœleſti: Quod bene ſignificatur per hoc, quod ille qui baptizatur, prius extenditur ad modũ Chriſti pendentis in cruce. Deinde quaſi crucifiguntur manus & pedes eius, dum operibus & pompis diaboli ſe abrenuntiare confitetur. Poſtea totus peccato moritur & quaſi ſepelitur, dum ad ſimilitudinem triduanæ ſepulturæ, in fonte ter immergitur. Sicut fratres mei, quando baptizamur, quaſi cum Chriſto ſepelimur in mortẽ, id eſt, ad ſimilitudinem mortis eius. Si tamen fratres mei pactum baptiſmi tenemus, ſi peccato mortui ſumus, ſi ad opera & pompas diaboli nõ redimus. Nam qui baptizatur à mortuo & iterum tangit illum, quid proficit illi lauatio eius?

Eccle. 34. Sequitur pars ſecunda, in qua oſtenditur qua vtilitate baptizemur, cùm ſubditur: *Vt quemadmodũ Chriſtus reſurrexit à mortuis in gloriã patris: ita & in nouitate vitæ ambulemus.* Hac enim vtilitate in morte Chriſti baptizamur, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis, & viuit in æternum noua vita & glorioſa cum patre: ſic & nos per baptiſmum reſurgamus à morte peccatorum, & de cætero viuamus ad gloriam Dei, noua & glorioſa vita virtutũ. Quod benè ſignificatur per hoc quod puer poſtquam à fonte (quaſi à ſepultura reſurgit) noua alba veſtitur, & cereo ardẽte illuſtratur. Et quod hoc per baptiſmũ nobis conferatur, probat Apoſtolus ſubdẽs: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: ſimul & reſurrectionis erimus.* Quaſi diceret: Si ſimiles ei ſumus in morte, ſimiles ei erimus in reſurrectione. Si ſimiles ei ſumus in labore, ſimiles ei erimus in glorificatione. Proinde fratres mei, imitemur quantum poſſumus laborem & paſſionem Domini, etſi non ſit qui nos crucifigat & occidat, ſaltem nos crucifigamus per ieiunium, laborem & abſtinentiam corpus noſtrum, cum vitiis & concupiſcentiis. Occidamus in nobis vitia & peccata vt reſurgere mereamur, & hic in anima ad nouam vitã, & in futuro in anima ſimul & corpore ad gloriã. Porrò pulchrè ait: *complãtati ſimili-*

ſudini

tudini mortis eius. Christus quippè in morte & in sepultura sua, quasi complantatus est ad similitudinẽ grani, quod in terra sepultum & mortuum, in melius resurgit: crescit & renouatur. Sic & Dominus noster Iesus Christus, in morte & sepultura quasi plantatus est, & vnde perire visus est, inde magis auctus & renouatus est. Vnde ipse comparans se grano frumenti, ait: Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solũ manet. Si autẽ mortuum fuerit, multũ fructum affert. Et alibi: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod cùm sit minimũ inter omnia grana, absconsum in terra excrescit in magnam arborẽ, ita vt aues cœli requiescãt in ramis eius. Ita fratres mei, Christus qui prius reputatus est minimus, opprobriũ hominum & abiectio plebis, mortuus & sepultus, quasi plantatus resurrexit, & creuit nomen eius per vniuersum mundũ, ita quod in virtutibus eius & doctrinis spirituales viri requiescunt. Ita & sancti martyres, qui in hoc mundo viles, & quasi purgamentũ & peripsema reputati sunt in passione & morte quasi plantati in melius renouati sunt, & excreuit nomẽ eorũ longè lateq; per virtutes & miracula, ita quod & spirituales viri in moribus & virtutibꝰ eorũ per imitationẽ immorentur. Ita & nos fratres mei, amemus esse viles, pauperes, & abiecti in hoc seculo propter Deum: vt quasi plantati per baptismũ & pœnitentiã, mortificationes & passiones, resurgamus, renouemur, & fructificemus, & hìc & in futuro: vt homines cœli amatores, etiam in nostrarum exemplis virtutum delectentur. *Ioan. 12.* *Mat. 13.* *Mar. 4.* *Luc. 13.* *Psal. 21.*

Sequitur pars tertia, in qua quæ obscurè dixerat Apostolus, explanat, dicẽs: *Scientes quia vetus homo noster, simul cũ Christo crucifixus est: vt destruatur corpus peccati: vt vltra non seruiamus peccato.* Dicitur autem vetus homo noster, hominis nostri vetustas, id est, concupiscentia & rebellio carnis. Quæ quidem vetustas vocatur, vel quia à vetere patre nostro Adam in nobis inueterata est: vel quia vetustati similis est. Vetustas verò tria facit, corpus incuruat, sensus hebetat, ad mortẽ trahit. Sic & originalis illa concupiscentia, animam à rectitudine sua incuruat, rationem, cæterasq; animæ vires hebetat, & ipsam animam ad mortem trahit. Hæc autem concupiscentia, debet in nobis

esse exemplo & virtute crucifixi, crucifixa, per baptismum & macerationes carnis, Quomodo? *Vt destruatur corpus peccati.* Nō ait simpliciter, vt destruatur corpus: quoniam corpus nō est frangendū, sed regendū: vt natura per mediocritatē sustentetur, & vitiū destruatur. Pariter ergo peccant, vel qui per nimietatē macerationis corpus destruūt; vel qui per nimiū luxum, illud in vitiis nutriūt. Tria enim debemus corpori tanquā iumento, vt seruiat spiritui, pabulum, virgam, & onus. Pabulum sustentationis, virgam correctionis, onus diuini seruitij. Sic ergo fratres mei, pascamus corpus nostrū ne luxuriet: sic illud castigemus, ne deficiat. Propterea ergo ait: Nō quidem vt destruatur corpus, sed vt destruatur peccati, id est, peccato. Quod exponens subdit, *Vt vltra non seruiamus peccato.* Non autem ait, vt non peccemus: quoniā vt ait Ioannes, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quia enim homo cùm posset resistere peccato, noluit: inflictū est ei vt cùm velit non possit. Vnde Apostolus. Video, inquit, aliam legem in membris meis, resistentem legi mentis meę, & captiuantē me, &c. Propter hoc ergo ait, non, vt nō peccemus, sed vt non seruiamus peccato. Quoniam primi motus concupiscentię, in nostra nō sunt potestate: sed si statim eis resistimus, peccato non seruimus. Qui autem, & si primo mouetur motu concupiscentiæ, tamen eam statim refrenat, ne vel ad delectationem, vel ad consensum, descendat, securè potest dicere cum Apostolo. Si quod nolo, hoc ago: non pecco ego, sed quod habitat in me peccatum. Nos ergo fratres mei, quando ad concupiscendum mouemur, statim motum illum cohibeamus, pectus nostrum percutiamus, diminumq; auxilium inuocemus, Sequitur: *Si enim mortui sumus cum Christo: credimus quia etiā viuemus cū Christo,* Quidam moriuntur in Christo, quidam etiam cum Christo, quidam pro Christo. In Christo moriuntur etiam illi, qui etsi in vita sua fuerunt peccatores, tamen in pœnitentia & in confessione Christi moriuntur. Cum Christo enim moriuntur, qui in vita sua emulatores Christi, carnem suam crucifixerunt, & mortificauerunt cum vitiis & concupiscentiis. Pro Christo verò moriuntur, qui sanguinem

Tria debemus corpori.

Rom. 7.

Rom. 7.

Qui moriuntur cū Christo.

guinem suum pro Christo fuderūt. Nos ergo fratres mei, & si non possumus mori pro Christo, vt Martytes, moriamur saltem cum Christo vt confessores, corpora nostra peccato mortificantes. Quoniam vt ait Apostolus, Si mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam viuemus cum ipso, in hac vita spirituali, & in futuro æterna, *Scientes*, inquit, *quia Christus resurgens ex mortuis, iam nō moritur, mors illi vltra nō dominabitur*: Sicut ei dominata est voluntate, tamen non necessitate. *Quod enim mortuus est peccato* (subaudi alieno tollendo) *mortuus est semel. Quod autem viuit, viuit Deo*, id est, ad gloriam Dei patris. Ita & vos fratres qui in Christo baptizati estis, existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuos autem Deo, id est ad gloriam Dei quærendam, & ad voluntatem eius faciendam. Itaque fratres mei, si veri Christiani sumus, mortem & vitam Christi æmulemur. Crucifigamus mēbra nostra cum vitiis & concupiscentiis. Crucifigamus cor nostrum, ne vnquam malè, sed semper benè cogitet: linguam nostrā, ne vnquā malè sed semper bona loquatur: Manus nostras, ne vnquam mala, sed semper bona opera faciāt: Pedes nostros, ne vnquam malam viam, sed semper bonam ambulent: Aures nostras, ne vnquā malis verbis, sed semper bonis pateāt: vt ita cum Christo nouo homine renouati, simul cum eo beatè viuere valeamus. Quod ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Mat. 5.

Dixit Iesus discipulis suis. Amē dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquā Scribarū et Pharisæorū, nō intrabitis in regnū cœlorū. Tribus capitulis distinguitur hæc lectio fratres charis. Primò enim ostēdit Dominus iustitiam Scribarū & Pharisæorū non sufficere ad habendū regnum cœlorū. Secundò supplet quod lex minus videbatur continere. Tertiò ostendit quomodo sit Deo offerendum: ait ergo, *Amen dico vobis, nisi abūdauerit iustitia vestra plusquā Scribarū & Pharisæorum*, &c. Porrò Scribæ & Pharisæi tunc putabant se esse iustos, quando præcepta legis solo opere adimplebant: putantes de solis operibus, non de cogitationibus esse iudicandum. Aestimabant

quippè homicidium, adulterium, & furtum operis, tantum in lege esse prohibitum. Homicidium verò, adulterium & furtum voluntatis, vel nullũ, vel veniale esse peccatum. Sed hæc falsa iustitia ad salutem non sufficiebat.

Luc. 2. Sicut enim sola bona voluntas, ei qui plus non potest, sufficit ad salutem, iuxta illud; Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ita sola mala voluntas, ei qui plus non potest, sufficit ad damnationem. Est ergo sola mala volũtas, tam apud homines quàm apud Deum, damnabilis. Est enim apud homines reus mortis, qui regem prodere voluit: & si proditionem implère non potuit. Apud Deum quoque adulter vel homicida habetur, qui ea crimina implere voluit, etiam si non potuit. Vnde ipse Dominus ait: qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Et Poëta: Et si seruetur bene corpus, adultera mens est. Requirit ergo Dominus à suis non solum innocentiam corporis, sed etiam mentis. Vnde idẽ filius Dei & hominis, ostendit se in Apocalypsi Ioannis, præcinctũ ad mamillas zona aurea, Quare? Quia Dominus in Euãgelio non solùm opera, sed etiã fluxas cogitationes, quæ à pectore surgunt, restringi iubet. Itaque fratres mei, non solùm mala opera, sed etiam malas voluntates euitate, eas deflete, & in iudicio Sacerdotũ per confessionem supponite. Iudicate eas, antequam iudicẽtur ab illo qui scrutatur renes & corda, id est, occultas voluptates & cogitationes: qui veniens illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium. Nã fratres mei, quanto melius est hìc ad horam erubescere coram Sacerdote, quàm erubescere in vniuersali iudicio coram Deo & Angelis & Sanctis eius? Quàm melius est hìc ad horam flere & tristari, quàm in æternum plorare & cruciari?

Mala voluntas est dãnabilis.

Mat. 5.

Apoc. 1.

Apoc. 2. 1. Cor. 4.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus supplet quod lex minus continere videbatur, cùm subditur: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Cũ litera legis solum homicidium operis videatur prohibere: Dominus supplet etiam homicidium voluntatis dãnabile esse. Hæc tamẽ fratres charissimi, & cæteræ adiectiones, à Domino sunt in lege, quantũ ad literam, & ad sequaces

literæ

literæ additiones vel suppletiones dici possunt. Quantum verò ad spiritualē sensum & ad spiritualiter intelligentes, nō sunt adiectiones, sed potius expositiones. Euangelium enim nihil aliud est, quàm lex spiritualiter intellecta. Itaq; si spiritualiter intelligis hoc mandatū, Non occides, intelligis in hoc mādato prohibitū esse non solū homicidium operis, sed etiā homicidiū voluntatis, & cætera genera homicidij. Sunt enim sex genera homicidij. Primū est homicidium operis, quod in lege apertè prohibetur. Secundum est volūtatis. Vnde Ioānes: Omnis, inquit, qui odit fratrē suum, homicida est. Tertiū, mali exēpli. Vnde Dominus: Qui scandalizauerit, inquit, vnū de pusillis istis, qui in me credunt: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quartū, prauæ doctrinæ. Vnde Dominus: Si cæcus cæcū duxerit, nónne ambo in foueā cadunt? Quintū, subtractionis alimēti corporis. Vnde scriptū est: Qui pereunti succurrere potest, & nō succurrit, occidit. Sextū, subtractionis verbi Dei. Vnde Dominus per Prophetā: Si nō annuntiaueritis impio, vt cōuertatur à via sua mala, ipse quidē in iniquitate sua morietur, sanguinē autem eius de manu tua requirā. Ostēdit igitur hîc Dominus nō solùm homicidiū operis, sed etiā homicidiū voluntatis reum esse iudicio, cùm ait: *Ego autē dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Sciendū est tamen fratres mei, quòd nō omnis ira culpabilis est: nec omnis ira culpabilis, damnabilis est. Qui enim irascitur nō aduersus naturā, sed cōtra vitium fratris vt illum corrigat: illa ira laudabilis est, nisi modū excedat. Hac ira motus est Moses, Phinees, Iosue, Petrus, cæteriq; sancti cōtra peccatores. Vnde dominus istos prędicatores, qui nō irascuntur nec obiurgāt vitia peccantiū, canes mutos vocat per Prophetā: Canes, inquit, muti nō valētes latrare. Quando verò irascitur aliquis non bono zelo cōtra fratrē, si primus motus mox refrenetur, ira quidē culpabilis est, sed venialis & propassio vocatur. De hac dicitur: Irascimini & nolite peccare. Et Sol nō occidat super iracundiam vestrā. Tunc fratres mei, super iracundiā nostrā Sol occidit, quū propter eam Sol charitatis in nobis occūbit. Quando verò primus malæ iræ motus nō refrenatur, sed

Sex genera homicidij.
Ioan. 3.
Mat. 18.
Mar. 9.
Mat. 15.
Luc. 6.
Ezech. 3.
Nō omnis ira culpabilis.
Esa. 56.
Psal 4.
Ephe. 4.

vsq; ad cõsensum nocendi extẽditur: ira damnabilis est, & digna iudicio, id est, accusatione. Si verò ira interior efferatur in fratrẽ per aliquã indignationis vocẽ, digna erit cõsilio, id est, sententia dãnationis. Est autẽ Racha interiectio indignãtis apud Hebræos, sicut apud Latinos heu, solã significans indignationẽ. Quod si illius iræ feruor proferat in fratrẽ vocẽ certũ cõuitium significantẽ, vt si vocet eum fatuũ vel insanũ, digna erit gehennę ignis. Porrò gradus peccatorũ, exigit gradum pœnarũ. Sicut enim ira in mẽte minus damnabilis est, quàm excita per vocem indignationis: & excita per vocem indignationis minus est dãnabilis quàm per vocem conuitij: ita oportet hîc minorem pœnã & iudicium intelligi q̃ per cõsilium: & minorem per cõsilium, quàm per gehennã. Sicut minus timetur accusatio, quàm sententia: & minus sententia q̃ pœna. Igitur nos fratres mei, omninò euitemus cõuitia fratribus nostris inferre, & etiã indignari, vel irasci contra illos: & discamus discernere naturã à vitio: discamus diligere in omnem hominem naturã nostrã, & vitiũ odio habere: discamus semper pacatæ esse naturæ: & cõtra vitiũ irasci, tamen cum modo & mansuetudine. Quoniã mansueta correctio peccatores emendat: intemperans verò, etiã emendandos perturbat. Sed etiam si quando fratres mei, cõtigerit nos sine ratione irasci vel indignari, vel etiã contumeliã vel iniuriam facere cõtra fratres nostros, nõ occidat Sol super iracundiã nostrã: sed quàm citò fratrib' nostris nos humiliemus, veniam & pacem postulemus, aliàs, quotidianæ orationes, oblationes, & eleemosynæ nostræ, Deo acceptabiles non possunt esse. Vnde & subditur, *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tũc veniẽs offeres munus tuũ.* Ephe. 4.

Est autem hęc pars tertia, in qua ostenditur quomodo debeat fieri oblatio. Hanc enim debes facere de tuo, non de alieno. Qui enim offert sacrificiũ de rapina pauperũ, quasi qui victimat filiũ ante conspectũ patris sui. Vnde & hîc dicitur, munus tuũ, nõ alienũ. Debes etiã eã offerre ad altare, vt scilicet totam intentionem dirigas ad altare, id est, ad Deũ. Hoc cõtra illos est offerentes, qui nõ dirigunt intentionem *Quomodo oblatio fieri debeat.*

tionem suam ad Deum, imò ad oculos hominum. Debes etiam eam facere cum munda conscientia: vt scilicet munda tuã cõscientiam primò Deo offeras. Non enim offerens propter oblata, imò oblata propter offerentem Deo placerent. Vnde Dominus respexit ad Abel & ad munera eius, quasi primò ad eum, postea ad munera eius. Ad Cain verò & ad munera eius non respexit: quasi diceret: Quia Cain Deo displicebat, ideò & munera eius ei displicuerũt. Si ergo cùm offers, recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, si conscientia tua te remordeat, te fratrem in aliquo læsisse, vel ira, vel indignatione, vel contumelia, vel iniuria, vel huiusmodi: Et ideò ille habet causam querelæ aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Quod si fortè remotior fuerit à te frater, relinque ibi munus tuũ, id est, seriem offerendi quasi interrumpe, & sponde te fratri inuento, per omnia satisfacturum: & tunc incœptum prosequens, offeres munus tuum. Si verò frater nõ habet aliquid aduersum te, sed tu aduersus eum: non iuberis munus tuum relinquere, & eum postulare: sed tantum odium & rancorem animi tui contra eum habitum deponere, & ita munus offerre. Legimus fratres mei, de S. Ioanne Alexandrino Patriarcha, quod cùm quadam die Missam celebraret, & cantando Dominicam orationem venisset ad illam petitionem, in qua rogamus dimitti nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: meminit de querela quadam, quæ erat inter eum & quendam clericum. Tacens igitur mandauit clericum illum fieri, factaq; cum eo reconciliatione, rediens ad proprium, cantauit, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris. Itaq; fratres mei, si volumus orationes, oblationes, & eleemosynas nostras Deo placere: illis quibus debemus, satisfaciamus, & illis qui nobis debent, dimittamus: Cor nostrum ab omni mala voluntate mundemus: mundatũ humiliemus, humiliatũ cum lachrymis supernæ desiderij, & ardore pij amoris, Deo offeramus. Quoniam sacrificium Deo, spiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quod sacrificium nobis facere tribuat, qui est benedictus in secula. Amen.

Matt. 6.

Psal. 50.

DOMI-

Rom. 6. HUmanũ dico propter infirmitatẽ carnis vestræ. In hac lectione fratres chariſſ. præcipit nobis Apoſt. relinquere peccata, & ſequi iuſtitiã: & hoc modo: Primò dicit ſe præcipere humana & leuia. Secundò præcipit nobis vitia relinquere, & iuſtitiã facere: tertiò oſtendit quid ſequatur peccatum. Quartò quid ſequatur iuſtitia. Quintò oſtẽdit mortẽ æternã pro peccato iuſtè deberi, vitã verò æternam gratis dari. Ait ergo primò, *Humanũ dico, propter infirmitatẽ carnis veſtræ.* Ac ſi apertè dicat: quoniã adhuc infirmi & carnales eſtis, nõ exhortor vos ad grauiora & perfectiora: ſed potius ad leuiora & humana. Non enim præcipio vobis omnia relinquere propter Chriſtũ, & dare pauperibus, & nudos ſequi Chriſtũ. Neq; præcipio vobis, vt occurratis perſequutoribus, & fundatis ſanguinẽ pro Chriſto, aut quod relinquatis cõiugia, & caſtimoniã profiteamini, & cætera huiuſmodi, quæ perfectorũ ſunt. Sed tantũ hoc nunc vobis præcipio, vt relinquatis peccata & vitia veſtra, & opera iuſtitiæ faciatis: quę etiã imperfectorũ ſunt. Vnde & ſubditur: *Sicut exhibuiſtis mẽbra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibeatis ea ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationẽ.* Eſt autẽ hæc pars ſecũda. In qua præcipit nobis relinquere peccatũ, & ſequi iuſtitiam. Porrò hic inſinuat nobis Apoſtolus breuiter, quomodo peccator proficiat de malo in peius: & quomodo bonus proficiat de bono in melius. Primò enim aſſuefacit ſe peccator immunditię mẽtis & corporis, vt ingluuiei, luxurię, cæterisq; turpitudinibus. Deinde vt habeat vnde ſuæ immunditię ſatisfacere queat, aſſuefacit ſe operibus iniquitatis. Eſt enim immũditia in ſe, iniquitas in proximũ. Vt igitur queat ſufficere ingluuiei, luxurię, cęterisq; turpitudinibus inuidet, cõcupiſcit, furatur, rapit, fallit, acquirit per fas & per nefas. Et ex his proficit ad iniquitatem. i. in malitia cõſummatur. Ecõtrariò quoq; bonus primò aſſuefacit ſe operibus iuſtitiæ: videlicet vt reddat vnicuiq; quod ſuum eſt: Deo religionẽ, ſibi munditiã, parentibus honorẽ, domeſticis prouidentiã, maioribus obedientiã, minoribꝰ gubernationẽ, æqualibus ſocietatem, bonis dilectionẽ, malis correctionẽ, oppreſſis miſericordiã, omnibus æquitatẽ. Ex

Quomodo reddendũ vnicuique quod ſuũ eſt.

quo-

quorũ assuefactione proficit in sanitatẽ, id est, in bonitatis perfectionẽ. Itaq; fratres mei, iuxta mandatũ Apostoli, sicut exhibuistis mẽbra vestra seruire immunditię & iniquitati: ita exhibete ea seruire iustitię & sanctitati. Non enim dedit Deus vel redemit corpus & mẽbra nobis ad seruiendũ peccato, sed ad seruiẽdum sibi. Vnde Apostolus, Corpus, inquit, nõ fornicationi, sed Domino. Et iterũ Nescitis, inquit, quia membra vestra Christi sunt, & nõ estis vestri? emptienim estis pretio magno, glorificate & portate Deũ in corpore vestro. Heu fratres mei, quàm graue prẹiudiciũ creatori nostro facimus, quãdo corpore & membris nostris, quę ipse creauit & redemit ad seruiendũ sibi in seruitio peccati & diaboli abutimur. Tollens, inquit Apostolus, membra Christi, faciẽs mẽbra meretricis? Absit. Absit ergo à nobis fratres, vt mẽbra nostra Deo sanctificata, de cætero in immunditiã diaboli cõtaminemus. Nullatenus enim possunt mẽbra nostra simul seruire diabolo & Deo. Vnde & subditur: *Cùm enim serui essetis peccati, alieni eratis à iustitia.* Et quæ fratres mei, quæ seruitus miserior & miserabilior est, quàm seruire peccato & diabolo? Et quæ libertas petor, quàm liberũ esse à iustitia, quę est iugũ Domini suaue, & onus eius leue? In quo (vnde dolendũ est) cõfunduntur quidã habẽtes velamen malitiæ, libertatem. Qui, quia sunt liberi genere, volunt esse liberi à iugo obedientiæ & iustitię, malentes esse subditi criminibus quàm senioribus, & dicẽtes: Disrumpamus vincula eorũ, & proiiciamus à nobis iugũ ipsorũ? Sed quid sequitur? Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.

1. Cor. 6.

Ibidem.

Seruitus miserrima seruire peccato et diabolo.

Psal. 2.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur quæ peccatũ subsequatur, cùm subditur: *Quẽ ergo fructũ habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* Ac si diceret malũ: nã finis illorũ mors est. Porrò immundi, & iniqui desiderij adimpletio, videtur peccatoribus esse quasi quidã fructus suauis: eò q̃ in eius vsu ad horã delectãtur. Sed quod pessimus sit talis fructus, probat Apostolus ex consequentibus, quoniã ex tali fructu sequitur pudor & mors. Non enim ex bono & honesto, sed tantũ ex turpi & inhonesto, necesse habemus erubescere. Iste ergo pudor, perpetratę turpidinis testis est. Adeò quippè dãnabilis immunditia & iniquitas est, quod

etiam

etiã ab ipso immũdo & iniquo cõdemnatur. In ipsa enim mente iniqui, est mala conscientia, quæ eum accusat. Sed etiam memoria & pudor testes qui contra eum testificantur. Et etiã ipsa ratio, quæ eũ iudicat & damnat. Est etiam & timor qui eum punit & torquet. Vnde scriptũ est, Nemo nocens, se Iudice absoluitur. Est tamẽ fratres, quędam animi confusio vtilis peccata sua respicientis: respiciendo, horrentis: horrendo, erubescentis: erubescendo, corrigentis. Et si iniquitas ab ipso etiam agente, & etiam in fructu suo ita hic dãnatur, quantũ putatis fratres mei, passura est in futuro a summo Iudice damnationem? *Nã finis illorũ*
Ierem. 17. *mors est.* Mors scilicet duplex. Vnde Propheta: Duplici cõtritione contere eos. Prima est mors animæ in peccatis sepultæ. Secunda est mors animæ pariter & corporis in gehenna, perpetuo cruciatu. Finis ergo, id est, consummatio illorum peccatorũ est mors animæ quoniã per illa à vero bono, à vera luce & à vera vita priuatur, brutificata, excæcata, mortificata, vinculis peccatorũ obuoluta, ligata, tumulo vitiorũ sepulta, arenoq; cõsuetudinis cumulo superaggrauata. Finis quoq; illorũ, mors gehẽnalis est. Quoniã quorũ vita mortua & finita est in culpa, eorũ mors viuet
Psal. 48. in pœna. Nam iuxta Psalmistã mors depascet eos, nõ consumet. Nam sicut bos nõ radicitus comedit herbã, sed ita eam comedit, vt eam quotidie comedere possit: ita reprobi à morte semper cruciabũtur, nec tamen adnihilabũtur, vt semper sint & semper moriantur. Vnde Ioãnes in Apo
Apoc. 9. calypsi, Optabũt mori, sed mors fugiet ab eis. Cruciabuntur autem quatuor generibus pœnarum, verecundia, timore, pœnitentia & dolore. Sed verecundia illa erit sine tegmine: timor ille sine spe: pœnitentia illa, sine vtilitate: dolor ille sine compassione & sine morte: mors sine fine: finis sine defectu.

Sequitur pars quarta, in qua ostẽditur quæ ex iustitia sequantur, cùm subditur, *Nunc autẽ liberati à peccato*, per baptismũ scilicet & pœnitentiã, *Serui autẽ facti Deo*, per iustitiam, id est, ipsius iustitię, *Habetis fructũ in sanctificationẽ: finẽ verò illorũ, vitã æternã*. Ex operibus quippè & vsu iustitię proficimus in fructificationem, quia nihil melius, nihil pulchrius, in hac vita potest haberi. Quid enim fra-

fratres mei, quid melius, quid pulchrius, q̃ omni turpitudine, omniq; vitio carere, mundũ mente & corpore esse, diabolũ sub pedibus habere, omnia mũdana vilipendere, modico contentũ esse, indigentibus piũ & omnibus amabilẽ esse, ad cœlestẽ patriam toto desiderio festinare: nec etiam ipsam mortẽ timere, sed potius eam securè expectare: & quando cæteri timent, in Deo securè & lætũ esse? Et si tantisper dulcis est fructus iustitiæ in hac vita, q̃ dulcis putatis fratres mei, erit eius prẽmũ in alia vita? *Finẽ verò*, inquit, *vitã æternã*. Et verè illa vita erit vita, in qua nihil mortale, nihil erit corruptibile. Non corrũpetur amplius anima peccatis: sed potius omnibus virtutib' coruscabit. Non variabitur perturbationibus, sed potius semper lęta, semper secura, semper pacifica, semper cõcors erit. Nõ minorabitur defectibus, sed omni sapiẽtia, omni gratia, omni perfectione abũdabit. Non corrumpetur corpus vitiis, sed omni integritate, omni pulchritudine, omni honestate, decorabitur. Non afficietur indigẽtia, sed omni saturitate & affluentia cumulabitur. Nõ grauabitur defectibus, sed sanitate, iuuentute, viribus & agilitate ditabitur.

Sequitur pars quinta, in qua ostenditur mortẽ æternam pro peccato iustè deberi, cùm subditur. *Stipendia enim peccati mors est*, id est, diabolicæ militiæ debitum est mors. Quia enim peccator ex se noluit bonũ, & fecit peccatum, ex se meruit mortem: vnde & mors, tanquã merces ei debetur. Non ergo habet damnatus vnde murmuret contra Iudicem: sed potius vnde sæuiat in seipsum, qui spõtè deseruit vitam, & elegit mortem. Iuxta illud, Deus non fecit mortẽ, id est, causam mortis: sed homines pedibus & manibus accersierunt sibi mortem. Deinde ostenditur vitam æternam tantùm gratis dari, cùm subditur: *Gratia autem Dei vita æterna*. Homo enim nec ex se voluit, nec potuit, nec fecit bonum, sed ex sola Dei gratia, quæ præuenit hominem & subsequitur, dans velle & perficere. Gratia ergo Dei sunt, tam nostræ iustitiæ quàm merces. Solam enim gratiam suã coronat in nobis Deus. Non habent ergo iusti vnde sese iactitent, vnde aliquid sibi adscribant, sed soli gratiæ Dei, quæ nos gratis prædestinauit, gratis vocauit, gratis iustificauit, gratis etiã coronabit per Iesum Christũ redem-

Damnatus non habet vnde murmuret.

redemptorem nostrum, qui cum eo & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Mat. 8. *Cùm turba multa esset cũ Iesu, nec haberent quod mãducarent, cõuocatis discipulis suis ait illis, miserior super turbã, &c.* Quadripartita est lectio ista fratres chariss. Primò, demõstratur inedia eorũ qui erant cũ Iesu: Secundò, Domini cõpassio: Tertiò, discipulorũ imperfectio: Quartò, quatuor milium hominũ de septẽ panibus repletio, & superabundantiũ sublatio. Demõstratur ergo primũ inedia eorũ qui cũ Iesu erãt, cùm dicitur, *Cũ multa turba esset cum Iesu.* Sed quare fratres mei, Dominus qui panis est saturitatis, suos sequaces inediã pati voluit? Duplici de causa, vt fidẽ suã in cordibus suorum roboraret, dum scilicet esurientes miro & inaudito modo satiaret: & vt sequacibus suis exẽplum præberet: vt scilicet si quandoq; inediam paterentur, nõ desperarent, sed recordaretur etiã illos, qui Iesum Christum corporaliter sequebãtur, inediam fuisse passos, & subitò gloriose satiatos, & sperarent se quoq; ab eo potenter visitãdos. Ipsa nimirum inedia frequenter sanctis perutilis est, dum cogit eos cõtemnere temporalia, & suspirare ad æterna: dum maculas eorũ purgat: dum virtutes nutrit: dum eos modico contentos facit. Sicut econtrariò quotidiana multos corrumpit abundantia. Vnde Ezech. 16. Dominus per Prophetam, Hęc, inquit, fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis & abundantia.

Sequitur pars secũda, in qua cõpassio Domini demõstratur, cùm ipse dixit discipulis suis: *Misereor, inquit, super turbã, quia iam in triduo sustinẽt me: nec habent quod mãducent. Et si dimisero illos ieiunos, deficient in via. Quidam enim ex eis de lõge venerũt.* Cùm miserationẽ & cõpassionem Dominus ostẽdit in se, in duobus nos instruit, in fide videlicet & moribus. In fide quidẽ nos instruit, quoniam cùm ostẽdit se habere humanã cõpassionem, ostẽdit se vere susceptisse nostræ humanitatis infirmitatẽ. In moribus verò nos instruit, quoniã nos exemplo sui, super afflictos debere esse pios & misericordes ostẽdit. Vnde & hanc cõpassionem, nõ interius hic celauit, sed potius cõuocatis discipulis suis, eam ostendit, dicens: *Misereor super turbam.*

Quasi

Quasi diceret, misericordiã, quã me videtis super afflictos habere, habere mementote. Super quibus verò præcipuè misereri debeamus, ostendit cùm subdit: *quia iã triduo sustinent me*. Et cum omnibus fratres mei, misereri & subuenire debeamus, tamẽ præcipuè eis qui Dominũ sequũtur, qui eius mãdata portãdo laborãt: vnde Apostolus, Faciamus bonũ ad omnes, maximè autẽ ad domesticos fidei. Gal. 6.

Sed & in hoc quod Dominus nõ dimittit eos ieiunos in domũ suã, ne deficerẽt in via, ostẽdit se esse pium & fidelẽ super fideles suos. Iuxta quod Apostolus ait, Fidelis dominus, qui nõ patietur vos tentari super id quod potestis: sed sed faciet cũ tẽtatione prouentũ, vt possitis sustinere. Nos ergo fratres, exemplo Domini, viscera misericordiæ super afflictos semper habeamus, sciẽtes quoniã quali mensura mẽsi fuerimus aliis, remetietur nobis. Si misericordes fuerimus: misericordẽ Iudicẽ inueniemus. Si immisericordes erimus aliis, & Deus immisericors erit nobis: vnde Iacobus: Iudiciũ sine misericordia fiet ei, qui nõ fecerit misericordiã. Vnde fratres, plãgo quosdã solo nomine Christianos, qui quasi ferrei aut saxei essent, super afflictos nulla mouẽtur pietate. Sed & si quãdo trãsire eis sit necesse iuxta mendicũ, iuxta leprosum, iuxta nudũ & miserũ, faciem auertũt: eos nec aspicere queũt, quasi humanæ fragilitatis conditionẽ obliti sunt. Qui tamẽ si viderint asinũ vel porcum suũ infirmũ, cõdolent, medelã adhibẽt, plangunt pereuntẽ. Vt quid hoc fratres, nisi quia charitate Dei & proximi carent, cui præponunt asinum vel porcum suum? Iacob. 2.

Sequitur pars tertia, in qua ostenditur imperfectio discipulorũ, cũ Domino respõdentes dicunt: *Vnde quis poterit hos satiare panibus in solitudine*? Imperfectionem enim suã discipuli ostẽdunt, dum in presentia domini turbã pane satiari, vel impossibilẽ vel difficilẽ dicunt. Humanã etiã tentationẽ se passos demonstrant, dum septẽ panes turbis suffecturos in Domini præsentia desperãt. Hanc imò maiorẽ, peioremq; tentationẽ frequẽter patimur fratres mei. cum famelico clamãte ad ianuã, cauſamur nos modicum annonæ habere in horreo, modicum panis in arca: & per auaritiã mentis bonis à Deo nobis data diminuimus vel negamus cùm per amplitudinẽ ea multiplicare debemus.

Deponamus igitur fratres hanc pusillanimitatem, & de Dei largitate semper præsumamus, qui cùm etiam abundanter administret perfidis & sceleratis: quãtò magis suis fidelibus dispesatoribus, materiã benè agendi superabundanter administrabit. Ad memoriam reuocemus Sanctorum largitatẽ, qui super facultatem suam indigẽtibus erogabant. Et tamen Deo prouidente, semper abundabant, ita vt contendere viderentur, Deus eis ministrando, & illi distribuendo. Hinc Salomõ ait, Quidam semper rapiunt, & semper indigent. Quidam semper tribuunt, & semper abundant. Et Psalmista, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.

Prou.11.

Sequitur pars quarta, in qua Dominus pascit de septem panibus & paucis pisciculis, quatuor millia hominu, sublatis fragmentorũ septem sportis. In quo instruit nos tripliciter. in fide, in mysterio, in moribus. In fide, quoniam dũ mirabiliter de septẽ panib⁹ tot homines satiat, quibus si particulariter panes diuiderentur, vix vnusquisq; micam vnam consequeretur. Et dum reliquias sic multiplicat, vt septuplo plus fuerit sublatũ, quàm fuerit appositũ, verã se probat habere diuinitatẽ: sicut per humanã cõpassionem, veram se demonstrauit habere humanitatẽ. Et ita hac in lectione se verũ Deũ & verũ hominẽ demonstrat. In mysterio nos instruit: quoniam per hoc opus ad mysticũ sen sum nos mittit. Per septem ergo panes sanctarũ vniuersitas scripturarũ designatur, in quibus septiformis gratiæ sanctitas continetur. Per pisciculos verò paucos, sanctorũ Patrum, qui in respectu malorũ pauci & humiles sunt, exempla significantur. Sicut enim pisces panẽ melius mãducari faciunt: ita sanctorũ Patrũ exempla, sacrã scripturã melius intelligi & sequi faciũt. Panes ergo & pisces recũbentibus super terram distribuuntur: quoniã mysteria sanctarũ scripturarum, & exempla sanctorũ Patrũ à solis humilibus capiuntur. Vnde Dominus, Gratias ago tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Dominus super panes gratias primò agit, pòst frãgit, pòst tradidit discipulis vt apponãt. Spiritualis quoque magister exẽplo Domini super consequutas sanctarũ scripturarũ escas, Domino gratias agere debet, posteà fra-

Mat.11. Luc.10.

gere,

gere, id est, exponere: deinde docēdo eas discipulis suis tra dere, vt eas auditoribus exponant. Et satiantur ex eis quatuor millia hominū, id est, quatuor partiū orbis multitudines hominū. Et de reliquis septē sportę superfunt: quia super capacitatē auditorū spirituales intellectus abundāt. Et plus ex eis semper relinquitur, quam capiatur. In moribus etiā in hoc ipso nos instruit: quia dum famelicis cōpatitur, & inter eorum multitudinē quot panes habebat, partitur, exemplo sui nos monet, vt idem faciamus. Præcipit ergo Dominus turbæ recūbere super terrā, sicut & ipse sæpè cum discipulis faciebat. In quo damnat illorū superfluitatē, qui nisi in pictis thoris, & elaboratis mantilibus nesciunt māducare. Super panes gratias agit: nos instruēs, vt vel manducaturi, vel escā daturi, gratias agamus Deo: qui nobis vel refectionē, vel eleemosynę largitur materiā, pariter & voluntatē. Iuxta id quod Petrus ait, Si quis ministrat, tanquā ex virtute quam administrat Deus. Panes frāgit Dominus, nos docēs, vt si integros panes dare non possumus, frangamus, & fractos distribuamus. Vnde ipse per Prophetam: Frange esurienti panem tuum. Discipulis suis dat panes vt distribuant: nos instruens vt filios & familiares nostros doceamus eleemosynas facere, & per eas dādo, ipsos ad dandū assuefaciamus. Pascit autē turbas de panibus & piscibus: nec mentio fit vini vel salsamenti, vt moneret nos, simplices cibos & simpliciter paratos quærere, & præsentibus contentos esse. Esurientes satiantur: & plus est sublatum quàm fuerit appositū, vt ostendatur gratiā eleemosynarū semper superabundare: dum & hic Dominus viros eleemosynariis semper ministrat abundè quod tribuant: & in futuro eis retribuet, pro terrenis cœlestia, & pro tēporalibus æterna. Vnde Salomō Fœneratur domino qui miseretur pauperis. B. Nicolaus cōpatiens plebi fame pereunti, cùm propria dedisset, mutuat à nautis centū modios frumēti, & populū recreat famelicū, & nautæ remetientes non minus inuenerunt. Vir quoq; eleemosynarius, nomine Sanctolus, Ecclesiā S. Laurentij restaurans, artificibus quærentibus cibū, cùm eos verbis consolaretur, & nō haberet quid eis apponeret, vadēs anxius huc & illuc, venit ad furnū in quo vicinæ mulieres pridie

1. Pet. 4.

Esa. 58.

Prou. 19.

panes coxerãt: inuentũ ibi maximũ & candidissimũ panẽ, circumtulit ad vicinas mulieres, quæ cùm panẽ illũ suum negarẽt, panẽ apposuit operariis. Quibus satiatis, plus de fragmẽtis sustulit quam apposuerat: quæ iterum secunda die apposuit, & multiplicata sustulit. Et ita per dies decem illo pane satiati sunt, ac si panis cresceret comedẽdo. Deponamus ergo fratres mei, pusillanimitatẽ, & de diuina secu-
Psal. 111. ri largitate, eleemosynę faciẽdę nos assuefaciamus: Et qui multũ habet, multum tribuat: qui verò modicũ, etiã illud
Ibidem. libenter impartiatur. Quoniã, vt ait Psalmista, Iucũdus homo qui miseretur & cõmodat: Disponit sermones suos in
Prou. 36. iudicio, quia in æternum non cõmouebitur. Et alibi: Tota die miseretur & cõmodat, & semẽ illius in benedictione erit. Deus autem misericordiarum det vobis misericordiæ meritum pariter & præmium. Cui est honor & gloria & imperium, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Debitores sumus nõ carni, vt secundũ carnẽ viuamus, &c. Bipertita est hæc lectio fratres charissimi. Primò enim nos monet Apostolus, vt non secundũ carnẽ, sed secundùm spiritum viuamus. Secũdò ostẽdit viuẽtes secundùm spiritum esse Dei filios & hęredes. Monens ergo nos Apostolus, vt nõ secundùm carnẽ, sed secundùm spiritum viuamus, ait: *Debitores sumus*, subaudi spiritui: nõ carni. Vt nostis fratres charissimi, tunc patrisfamiliãs domus benè ordinata est, cùm vir est subiectus & obediens Deo, & dominatur & regit totã familiã & vxorẽ: & vxor cum tota fa-
Ephe. 5. milia ei famulatur & obedit. Vnde Apostolus, Vir, inquit,
Caput mu est caput mulieris: Christus autẽ viri. Cùm verò mulier &
lieris vir. familia nõ sunt subditi viro, sed potius vir eius, domus malè ordinata est. Porrò hæc inordinatio fuit in hospitio primi parẽtis, qui obedientiã quã debebat Deo, ei nõ reddidit, sed potius mulieri seductæ (cui nõ obedientiã, sed regimẽ & correctionẽ debebat) obediẽs fuit, propter quod in inordinationẽ sui ipsius cecidit. Quia sensualitas propriæ carnis cum sensibus suis, suo capiti, id est, spiritui, plerunq; nõ obedit, sed potius cõtradicit, & eũ ad cõsentiendum, nõ capiti suo Deo, sed suis serpẽtinis suggestionibus trahit: Vt relicto Deo & cęlo, ad quod creatus est, sola inferiora,

feriora, terrena scilicet, cogitet, appetat, & quærat, & ita viuat, nõ spiritualiter, sed carnaliter. Cũ itaq; fratres mei, tãta & talis inordinatio à primo parẽte in omnes nos deriuata esset, venit filius Dei factus homo, vt exẽplo & gratia amissam ordinationẽ in nobis restitueret: præcipiens vt de cætero mens nostra Deo seruiret, sensualitatẽ cum sensibus suis sibi cõsentire cõpleret, vt ita viueremus secundũ spiritum, & nõ secundũ carnẽ. Et hoc est quod ait Apostolus, Debitores sumus spiritui, nõ carni. Et quia quædã debemus carni, vt correctionẽ, regimen, & prouidentiã: exponit in quo nõ simus debitores carni, cùm subdit: *Vt secundũ carnem viuamus*. Quãuis enim fratres mei, in carne viuamus: tamen secundùm carnẽ, id est, secundùm voluntatem carnis viuere nõ debemus. Ille enim viuit secundùm carnẽ, qui quantumcunq; potest voluntati pariter & voluptati carnis satisfacit: qui scilicet fertur effrenis more pecoris in ingluuiẽ, in luxuriã, in irã, in incredulitatẽ, in superbiã, cæteraq; vitia, quæ ex carne partim oriuntur, & homines carnales efficiunt & animales. Talis enim nihil spirituale, nihil cœleste, nihil diuinum sapiunt, sed solã carnẽ & terrã. Vnde Apostolus, Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt. Quid autẽ tales sequantur, ostendit Apostolus, cùm subdit: *Si enim secundùm carnẽ vixeritis, moriemini*: Et hìc morte animæ in peccatis, & in futuro, morte animæ pariter & corporis in gehenna. Nónne fratres, etiã hìc malè moritur ille qui amisso honore in quo ad imaginẽ Dei creatus fuerat, factus est brutus & curuus more pecudis super terrã: Vt de eo meritò dicatur, Homo cum in honore esset nõ intellexit: cõparatus est iumentis insipiẽtibus, & similis factus est illis. Nónne etiã hìc malè moritur qui vita & vera luce (quæ Deus est) hic priuatur, & tenebris interioribus inuoluitur? Nónne in futuro pessimè morietur qui tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentiũ semper patietur: quẽ semper cruciabit ignis qui nunquã extinguitur, & vermis qui nunquã moritur? Si autẽ, inquit, spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Posset quidẽ Apostolus, sicut dixerat, si secundũ carnẽ vixeritis, moriemini: ita ecõtrariò dicere: Si autẽ secundùm spiritũ vixeritis, viuetis. Sed quoniã quidam sine abstinen-

Secundùm carnẽ viuere quid dicatur.

2. Cor. 2.

Psal. 48.

tia & macerationē carnis, se spiritualiter viuere posse in hac vita putant, vigilanter ait, *Si facta carnis spiritu mortificaueritis, viuetis.* Quasi diceret: Si spiritu sancti virtute vel etiam virtute spiritus vestri, à spiritu sancto illuminati, per abstinētiam vitia & peccata in carne vestra mortificaueritis, viuetis: & hic vita spirituali, & in futuro vita cœlesti. Cùm enim fratres mei, spiritus & caro aduersicē semper luctētur: quantò est debilior caro, tantò fortior est spiritus. Et quāto fortior est caro, tantò debilior est spiritus.

2. Cor. 12. Galat. 2. Vnde Apostolus: Quando, inquit, infirmor, tunc fortior sum & potens. Et alibi: Viuo, inquit, ego, iā non: viuit vero in me Christus. Ac si apertè dicat, Viuo quidē, sed non vita carnalīū vitioru. qua prius viuebā, sed vita spirituali.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus viuentes secundū spiritū esse filios Dei & hæredes: dicens, *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Spiritu Dei aguntur, qui nō à carne, vel à spiritu maligno, sed à spiritu sancto ipsi carni præsidente, ad benè cogitandū, loquendum, agendumq; aguntur. Non autē ait reguntur, sed q̄ maius est, aguntur. Non enim solū, vt eques equū, nos regit spiritus: sed etiā latente energia, id est, operatione, interius in nobis operatur Agit enim in nobis vt agamus. Ipse enim,

Philip. 2. vt ait Apostolus, operatur in nobis & velle & perficere. Quod apertè cōtra illos est, qui se per se aliquid agere posse putāt: Cùm Dominus dicat in Euāgelio, Sine me nihil potestis facere.

Ioan. 15. *Qui enim*, inquit, *spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Quales vos esse debetis. *Nō enim accepistis*, in baptismo scilicet & cōfirmatione, *spiritū seruitutis iterū in timore: sed accepistis spiritū adoptionis.* Vnus & idē fratres mei, est spiritus: qui ex aduersis, quæ cōfert donis, diuersis nominibus vocatur. Vocatur enim spiritus iræ Aegyptiis, quia eis intulit vindictā peccati. Vocatur spiritus seruitutis & timoris Iudæis: quoniā in lege eis timorē incussit, vnde ex timore potius q̄ ex amore ei seruiebant. Vocatur nūc spiritus adoptionis fidelibus: quoniā eis filialē cōfert dilectionē, per quam eos in filios adoptat. Vos ergo fratres, si nō ex cōscientia peccati, nec timore gehennę, sed ex amore ei seruiatis, spiritū adoptionis vtiq; accepistis, *in quo clamatis Abba Pater.* Abba Hebræum, pater

vero

verò est Græcũ & Latinũ. Omnes fideles, Hebræi, Græci & Latini, si Deũ filialiter diligimus & imitamur, eum securè patrẽ vocamus. Ecce fratres mei, quãta est pietas & benignitas Dei, qui cùm essemus indigni serui, vt viscera pietatis suæ erga nos demonstraret, & vt nos nõ ad se timendum, sed potius ad se diligendũ inuitaret, præcepit nobis, vt eũ potius Patrẽ, quàm Dominũ, vocaremus: & vt nullum patrẽ in cõparatione eius reputaremus, dicens: Patrẽ nolite vocare vobis super terrã: vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Pater enim terrenus vel nos derelinquit, vel nos nõ diligit, vel malè diligit: cùm pater cœlestis suos obliuisci non possit. Vnde Psalmista: Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autẽ assumpsit me, *Ipse spiritus reddit testimoniũ spiritui nostro*, id est, confirmationẽ spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Hoc autẽ facit tribus modis, per scripturas vocãs nos filios: vt quãdo dicit, Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Per admirabilẽ operũ mirificentiã, nos filios Dei manifestans. Ex his fratres mei, argumẽtis, spirituſſanctus spiritũ nostrũ, in fide, & spe, & charitate, firmatum securè reddit: quod filij Dei sumus. Si enim hæc habemus, iam nõ Deũ timemus, sed potius eum tanquã patrẽ diligimus: benè de eo speramus, ad eũ securè cõfugimus. *Quòd si filij sumus, & hæredes.* Tria constituunt hominẽ hæredẽ: Natiuitas, meritũ, & voluntas. Nos quoq; fratres mei, hæc tria nos constituunt hæredes æternæ hæreditatis. Primò siquidem libera voluntas Dei ab æterno hæredes prædestinauit. Secundò spiritualis baptismi natiuitas, nos ad cœlestem hæreditatẽ vocauit: Tertiò meritũ nostrũ, gratia adiutũ, nos illius dignos efficit. vnde Apostolus, Quos, inquit, prædestinauit, hos & vocauit: Quos vocauit, hos & iustificauit. Cæterùm in hoc differt cœlestis hæreditas à temporali: quoniam hæres non nisi post mortem testatoris hic consequitur hæreditatem. Deus verò nos ita hæredes constituit, vt etiam cum eo æternam sortiamur hæreditatem. Rursus temporalis hæreditas per multos hæredes distributa minoratur. Cœlestis verò hæreditas, nullã nouit pati diminutionẽ. Rursus ex temporali hæreditate inter cohæredes nascitur inuidia. Nam iuxta Poetã, omnis potestas

Pietas Dei in nos.

Mat. 23.

Psal. 26.

Psal. 33.

Tria constituunt hominem hæredem.

Rom. 8.

impatiens cõsortis erit. Ab illa verò æterna hereditate omnis inuidia relegabitur. Nam vnusquisq; sic gaudebit de proximi gloria, sicut de sua. Vnde & ipse vnicus Patris, nõ solus hæres esse, sed secum voluit cohæredes habere. Nos itaq; fratres mei, spreta temporali & vana hereditate, ad illam cœlestem toto desiderio tendamus hereditatem: æternam sine successione: distributã, sine diminutione: communem, sine inuidia: sufficientem, sine indigẽtia: iucundam, sine tristitia: beatã, sine omni miseria. Ad quã perducat nos vnus Deus, Pater & Filius & Spiritussanctus. Cui est honor & gloria per infinita seculorum secula. Amen.

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Mat. 7. *ATtendite à falsis Prophetis qui veniũt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces.* Dominus & Redemptor noster fratres charissimi prævidens persecutiones discipulis suis eventuras, eas eis prædicere, & cõtra eas, eos præarmare curauit. Prædixit ergo duo genera persequutionũ eis euẽtura. Vnũ apertũ, de quo alibi dicit,

Luc. 12. Trademini autem à parentibus & cognatis, & amicis in mortem, & morte afficient ex vobis. Alterum occultũ, contra quod hic nos munit: & hoc modo: Primò monet nos cauere à falsis Prophetis: Secũdò quibus signis cognoscantur generaliter & per similitudinẽ ostẽdit. Tertiò spiritualiter, quib' discernãtur vel nõ discernãtur, aperit, ait ergo: *Attẽdite*, id est, attendentes cauete à falsis Prophetis. Porrò illã persequutionẽ occultã præcipuè monet nos attentè cauere, quoniã peior est quàm aperta: tũ quia plus nocet occidens etiã animas: tum quia difficilius præuidetur: facilius quippè nos supplãtat qui sub specie amicitiæ & obsequij, fraudem occultat. Propriũ enim doli, est se dissimulare. Veneficus sub melle tegit venenũ. Proditor sub obsequio fraudem. Hypocrita, sub religione malitiã. Hæreticus sub veritate falsitatem. Cùm autẽ hic per falsos Prophetas quoslibet hypocritas, qui aliud occultant, & aliud simulant, possemus intelligere: tamen de hæreticis specialiter dictũ est: qui quum exterius simulent religionem, interius celant hæreticam rapacitatem, per quam animas simpliciũ iugulare festinãt. Per vestimenta igitur ouiũ, ouinã intelligimus simplicitatem; qua hæretici & omnes dolosi suam pal-

Falsi prophetæ hæretici.

palliant iniquitatē: Vt verbo, veſtimēto, obſequio, cibo, & huiuſmodi exterioribus. De verbo taliū ait Dauid: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleū, & ipſi ſunt iacula. De veſti- *Pſal. 54.*
mento dicitur hic: *Attendite à falſis Prophetis qui veniūt ad vos in veſtimētis ouium.* Et Apoſtolus: Satanas, inquit, transfigurat ſe in Angelū lucis. De obſequio dicit Poēta: *2. Cor. 11.*

Obſequio vincit meretrix & proditor omnis.

De ſimulata abſtinentia & continētia, dicit Apoſtolus ad Timot. Spiritus manifeſtè dicit, quod in nouiſſimis tēpo- *1. Tim. 4.*
ribus diſcedēt quidā à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dęmoniorū, in hypocriſi loquentiū mēdaciū, prohibentiū nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiēdum cum gratiarū actione fidelibus, quia omnis creatura Dei bona eſt. Tales ſunt hodie fratres mei, hę retici Manichæi: qui ſua hæreſi patriā Agennenſem ma- *Manichæi Agennenſes.*
culauerunt, qui mētiuntur ſe vitā tenere Apoſtolorū. Dicentes ſe nō mentiri, nec omnino iurare, ſub prætextu abſtinentiæ & cōtinentiæ, eſcas carnium & nuptias damnātes. Dicunt enim tātum flagitium eſſe accedere ad vxorē, quātum ad matrem vel ad filiā. Damnant etiam vetus teſtamentum. De nouo verò quædā recipiunt, quædā non. Et quod grauius eſt, duos prædicāt rerum auctores: Deū inuiſibilium, diabolū viſibilium auctorē credentes. Vnde & occultè adorant diabolū, quē ſui corporis credūt creatorem. Sacramentū verò altaris purum panē eſſe dicunt. Baptiſmū negant: neminē poſſe ſaluari, niſi per ſuas manus prædicant: Reſurrectionem etiam corporum negant. Hos diabolicos homines fratres mei, vitate: quia ſicut Dominus prædixit: Veniunt in veſtimentis ouium, cùm intrinſecus ſint lupi rapaces. Vos ergo ad cauendas eorū ver- *Mat. 7.*
ſutias, eſtote prudentes ſicut ſerpentes.

Sequitur pars ſecūda, in qua Dominus oſtendit generaliter & per ſimilitudinē, quomodo dignoſcantur, dicens: *A fructibus eorū cognoſcetis eos*, id eſt, ab operib⁹, loquitur autē hic metaphoricè Dominus: quoniā ſicut à ſapore fructus dignoſcitur, cuius humoris ſit truncus & radix arboris: ita ex operibus exterioribus perpenditur cuius voluntatis ſit cor hominis. Quis autē ſit fructus malorum, Apoſtolus ad Galatas oſtēdit: Manifeſta, inquit, ſunt ope- *Gal. 5.*

Opera carnis.

ra carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissentiones, hæreses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut iam prædixi: quoniã qui talia agunt, regnũ Dei non consequentur. Qui verò sint fructus bonorum ostẽdit, subdens: Fructus aũt spiritus est charitas, gaudiũ, pax, patientia, lõganimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Nunquid*, inquit, *colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* id est, nunquid de peccatoribus, malitia, & de vitiis spinosis, possunt exire fructus dulcedinis & benignitatis, & vuæ feruidæ charitatis. quasi dicat, non. Malus quidem opera virtutis simulare potest, facere omnino non potest, sed si simulauerit, quomodo poterit discerni? Quia simulator, & si quædã, tamen non potest omnia simulare. Et quia quod est simulatũ, non est firmũ, sicut nec color mutuatus: & quia simulatio lacessita deregitur. Qui ergo verè dissimulatorem deprehendere vult, inquirat non quid palàm, sed quid clàm faciat, vel dicat: Præterea si attentè & assiduè inspicias opera simulatoris, paulatim tibi vilescet. Virum verò bonũ quanto plus obseruaueris, tantò plus eũ miraberis. Sic non potest mala arbor bonos fructus facere: nec arbor bona fructus malos facere, id est, homo existens malus, nõ potest facere opera Deo placentia, & æternæ retributionis digna. Nec homo existens bonus, potest facere opera mala & æternæ damnationis digna: facit tamen homo malus quandoq. quædam minima bona: quia quandoque naturali ductus pictate pascit esurientem, vestit nudũ, hospitatur peregrinũ: quod ei in alleuiationẽ pœnæ potest valere, non ad vitam æternam. Ipse enim non bene facit, sed de eo bene fit. Econtrario bonus facit quandoque quædã minima peccata, naturali victus fragilitate: per quæ non æternã pœnã meretur, sed temporalẽ. Quid autẽ mala arbor mereatur, ostendit cũ subiungit: *Omnes arbor quæ non facit fructũ bonũ, excidetur et ignẽ in mittetur.* Notate fratres, notate: non enim ait: Omnis arbor quæ facit fructum malũ excidetur, quod vtique cõstans est. Sed ait, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Non enim sufficit homini

Fructus spiritus.

Dissimulator quomodo cognoscendus.

non facere malum, nisi etiam faciat bonum. Scriptum est enim. Declina à malo, & fac bonum. In hoc enim quod vitas malum, vitas tantùm pœnam, nec acquiris præmiũ. Si dicis mihi, non furtum feci: Loris non vteris, aio. Non hominem occidi, non pascis in cruce coruos. Diues quippè purpuratus legitur in inferno cruciari, non quia rapuerit aliena, sed quia non dedit sua: quid ergo patietur, qui rapuit aliena? Itaque fratres mei, cùm vitaueritis mala, facite bona: quia iam securis ad radicem arboris posita est, non solùm malæ, sed etiam sterilis. *Psal. 36.*

Sequitur pars tertia, in qua ostẽdit Dominus spiritualiter quibus operibus boni a malis nõ discernãtur, & quibus discernantur. Quibus operibus nõ discernantur, ostẽdit eũ subdit. *Nõ omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnũ cælorũ*: Sunt autẽ tria gẽnera operũ: Vnũ quod est propriũ bonorũ: vt dilectio Dei & proximi, benefacere etiam inimicis: obseruare pacẽ, concordiam, sapientiam, iustitiam, & cæteras virtutes. Aliud est quod est propriũ malorum, vt vitia, & eorum opera. Tertium verò est commune tam bonorũ quàm malorum: vt quędã media opera, vt orare, ieiunare, indui cilicio, dare eleemosynam, refrenare luxuriam, & huiusmodi. Hæc enim secundum intentionẽ agentis nomen assumunt. In benè vtentibus sunt bona: in malè vtẽtibus mala. Ostendit ergo Dominus ꝙ propter ista communia, non habebitur regnum cælorũ cùm dicat: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnũ cælorum*. Similiter nec omnis qui ieiunat, nec omnis qui dat eleemosynam, & huiusmodi. Deinde ostendit quo opere discernãtur boni à malis, subdens: *Sed omnis qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnũ cælorum* Voluntatẽ Dei facit, qui verè credit, rectè sperat, firmè diligit: voluntatem Dei facit, qui quod vult Deus, & vt vult, facit. Voluntatẽ Dei facit, qui eam, etiã suæ & omnibus aliis præponit, dicens: Non mea Domine, sed tua volũtas fiat. Nos ergo fratres mei, in omnibus quæramus & faciamus voluntatẽ Dei: diligentes eũ toto corde, tota anima, & totis viribus plusquam nos. Diligamus amicos nostros in Deo, & inimicos propter Deũ: non reddentes malũ pro malo, sed bonum *Triagenera operum.* *Mat. 26. Mar. 14.*

pro

pro malo: benedictum pro maledicto: sicut Dominus Iesus fecit & præcepit, quod ipse nos adimplere cõcedat, cui est honor & gloria per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA IX. POST TRINITATEM.

1.Cor.10. *Non simus concupiscentes malorũ, sicut & illi concupierũt, &c.* Quadripartita est lectio ista fratres mei. Primò enim nos dissuadet à vitiis exẽplo antiquorũ: Secundò demonstrat casus antiquorum in figurã & cautelã nostrã scriptos esse. Tertiò nos monet, ne apprehendamur à tentatione. Quartò dicit Deum non permissurum nos tẽtari vltra nostrũ posse. Primò igitur nos dissuadet à quinque vitiis, scilicet à concupiscentia mala, ab idololatria, à fornicatione, à tentatione Dei, & à murmuratione. Porrò à concupiscentia mala nos dehortatur, cùm dicit. *Non simus concupiscentes malorũ: sicut & illi concupierũt.* Ideò autem adiunxit *malorũ*, quoniã est concupiscentia bona: est & concupiscentia mala. Nisi enim concupiscẽtia bona

Psal.118. esset, non dixisset Propheta: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Et nisi con-

Exod.20. cupiscentia mala esset, non eam Dominus in lege prohibuisset dicens: Non concupisces rem proximi tui. Habet quippè anima à creatione, vt naturaliter sit concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Proinde necesse est vt anima nostra aliquid concupiscat, vel Deũ vel mundum. Nõ potest autem concupiscere Deum quin contemnat seculũ: Nec potest cõcupiscere seculum, quin contemnat Deum. Nos ergo fratres mei, totam nostrã concupiscentiam vertamus à mundo in Deum, à malo in bonum. Vt scilicet Deũ & omne bonum cõcupiscamus, & mundum cum omni malo fugiamus. A concupiscentia verò malorum nos dehortatur exẽplo Israelitarum, cùm subdit: *Sicut illi concupierunt.* Illi enim post transitum maris, in deserto manna fastidientes, carnes & delicias Ægyptiacas concupierunt, & desiderio in Ægyptũ redierunt. Ideoque plaga magna à Domino percussi sunt. In quo figuratum est, nos quoque, si post baptismum, cœlestisq; panis alimentum, ad abrenuntiatas mundi, & diaboli cõcupiscentias, desiderio redierimus, æterna animaduersione percutiendos. Ab idololatria nos dehortatur cùm subdit: *Neque efficiamini idololatræ.*

iolatræ. Idololatra est qui cultum debitū creatori exhibet creaturæ. Sūt autē duę species idololatrarū: Alij enim sunt idololatræ opinione, vt illi qui opinione attribuunt Soli vel Lunæ, vel alicui creaturę, diuinitatem. Alij sunt idololatræ moribus, vt illi qui præponunt creaturam creatori: quod enim quisq; plus diligit, hoc sibi Deū cōstituit. Qui ergo ventris ingluuiē Deo præponit, ventrem sibi Deum cōstituit. Qui vinum Deo præponit, Bacchum sibi Deum cōstitúit. Qui Venerē suā Deo pręponit, Venerē sibi Deū constituit. Quales hodie (quod sine gemitu dicere nō possum) sunt multi, vitiis & peccatis suis potius quàm Deo seruientes. Qui quanuis ore dicāt se credere in Deū, tamē operibus & moribus eum abnegant. Vnde Paulus, confitentur, inquit, se verbis nosse Deū, factis autē negāt. Hic etiā ne hoc vel illo modo efficiamur idololatræ, dehortatur nos exēplo Israēlitarū subdēs: *Sicut quidā ex ipsis, quēadmodum scriptum est. Sedit populus māducare & bibere: & surrexerūt ludere*, id est, psallere vitulo, & ipsum adorare. Vnde & prę cipiente Moyse gladio puniti sunt. In quo præfiguratum est, nos quoq;, si vel opinione, vel morib', idololatræ fuerimus, æternaliter puniendos. A fornicatione nos dehortatur, cū subdit: *Nec fornicemur*. Est autē fornicatio, omnis cōcubitus, præter nuptialē maris & fœminæ cōmixtionē. Huius sunt multę species, vt simplex fornicatio innupti cū innupta. Mæchia: nupti cum inupta. Adulteriū: innupti cū nupta, vel nuptæ cū innupto. Incestus: qui fit cū matre, vel sorore, vel cognata Sodomitica libido: masculorū adinuicē, vel mulierū adinuicē. Innominabile siue abominatio, quæ fit, quādo vir vel mulier coit cū bruto animali. Omnes autē istæ fornicationis species criminales & damnabiles sunt: à quibus omnibus nos dehortatur Apostolus exēplo Israēlitarum cùm subdit: *Sic quidā ipsorum fornicati sunt*, cum Madianitis: quas consilio Balaā misetat Balach cum cibariis obuiam eis, ad animas ipsorū decipiendas: & ceciderunt ex ipsis gladio Balach viginti tria milia. In quo figuratum est fratres, nos quoq;, si hoc vel illo modo fornicati fuerimus, æternaliter perituros. A tēptatione Dei nos dehortatur cùm subdit: *Neque tentemus Christum*.

Species fornicationis.

Christum. Ille Deum tétat, qui Dei vel potentiã, vel erga se dilectionẽ experimento probat. Nascitur autẽ talis tentatio vel ex defectu fidei, vel ex gloria vana. Porrò duobus modis tentat Deũ, cũ ad probandã Dei vel potentiã, vel erga se dilectionẽ, aut spõte se in periculà præcipitat, aut miracula sibi fieri postulat. In aperta pericula per vanã gloriã se præcipitauit quidã Eremita, vt legimus in vitis patrũ. Cui cũ apparuisset diabolus in specie boni angeli, & ei persuasisset eũ ita esse sanctũ & Deo charũ, quòd si etiã se dimitteret in puteũ profundissimũ, non læderetur: sed ab angelis custodiretur, præcipitauit se in puteũ, & vix semiuiuus à fratrib⁹ extractus est. Et quod peius est, nullatenus potuit ei persuaderi, q̃ diabolicã passius esset illusionẽ: & ita miserimè mortuus est. Hoc etiã modo tentauit diabolus Dominũ, cũ statuens eũ supra pinnaculũ templi, dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Cui Dominꝰ, qui pulchrè eũ nouerat, dixit: Scriptum est. Nõ tentabis Dominũ Deũ tuũ. Miracula verò sibi fieri ad probandã Dei potentiã, postulauerũt increduli Iudæi in deserto. vnde Psalmista: Et tentauerunt Deũ in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt. Nunquid poterit Deus parare nobis mensam in deserto? Quia percussit petrã, & fluxerunt aquæ, & torrentes inũdauerũt. Nũquid & panẽ poterit dare? Et non solũ semel, sed etiã pluries tentauerũt Deũ in deserto. Propterea à serpentibus ignitis, qui scilicet ardore & siti perimebant, perierũt. In quo præfiguratũ est nos quoq;, si tentauerimus Deũ, in æternũ perituros. Non est autẽ fratres mei tentare Deũ, si fidelis, ingruente periculo, & humano deficiente consilio, se Deo totũ in periculo cõmittit: vel si ad laudẽ Dei & vtilitatẽ proximi, quando videt oportere, à Deo fieri miracula poscit. A murmuratione nos dehortatur, cũ subdit, *Neque murmuraueritis.* Est autẽ murmuratio nec omnino aperta, nec omnino occulta reprehensio, media inter detractionem & obiurgationẽ: Et est propriè inferioris suũ superiorem per impatientiã ferre nõ volentis, nec tamen eum apertè obiurgare audentis. Est autem hoc vitium maximũ, seditiones, discordias & lites generans. Porrò probi viri est non murmurare, sed potius, si reprehensibilis

Duobus modis Deus tentat.

Mat. 4.

Psal. 77.

Murmuratio.

bilis est, vel seorsum arguere, vel apertè obiurgare. Ab hoc autem vitio nos dehortatur exemplo Israëlitarum: quorum quidam contra Moysen & Aaron murmurauerunt de sacerdotio, & etiam contra Deum de labore itineris per desertum: & ideo perierunt ab exterminatore, id est, quidam ab incendio & alij ab hiatu terræ: & alij ab Angelo percutiente exterminati sunt à terra viuentium. In quo figuratum est nos quoque si contra Deum vel contra superiores nostros murmurauerimus. (vt quidam faciunt) a vita æterna exterminandos.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus casus antiquorum in figuram præcessisse, & ad cautelam nostrã scriptos esse, cũ subdit. *Hæc aũt in figura contingebãt illis.* Temporales quippè pœnæ quibus primi præuaricatores puniebantur, significabant æternas pœnas quibus omnes præuaricatores in inferno puniendi sunt. Primã enim ingluuiem & obedientiã damnat Deus in primis parẽtibus pœna mortalitatis, vt demonstret oẽs gulosos & inobedientes æterna morte puniendos. Primã quoque filiorũ Dei cum filiabus hominũ libidinẽ dãnat Deus diluuio: significans fornicatores oẽs aquis niuiũ æternaliter perituros. Primos quoq; Sodomitas igne & sulphure Deus percutit significans oẽs Sodomitas, æterno ardore & fœtore percutiendos. Primam quoque ad abrenuntiata respicientem vxorẽ Lot, lapideo rigore & insensibilitate dãnat significans oẽs ad abrenuntiatas mundi concupiscentias respicientes, æterno rigore & excæcatione feriendos: & similiter in aliis. *Scripta autem*, inquit, *sunt hæc ad correctionem nostram*. Ruinæ enim priorũ scriptæ sunt ad cautelã posteriorũ. Stultus quippe est fratres mei, qui præcedentem cadere videt, & nõ cauet. *In quos*, inquit, *fines seculorũ deuenerũt*. Id est, qui in fine seculorũ nati sumus, & ideo si trãsgredimur, magis puniẽdi sumus. Priorũ enim tã virtutes quã ruinæ, quam doctrinæ in nostrũ scriptæ sunt erudimentum. Si ergo priores sine lege peccantes: & magnitudinem peccatorum ignorantes, tam graviter sunt puniti, quantò grauius nos in tẽpore gratiæ & scripturis eruditi, si trãsgredimur, sumus puniendi? *Itaque*, inquit, *qui se stare existimat, videat ne cadat*. Ac si apertè dicat, Via

huius

huius mundi lubrica est, & multi tam priores, quàm sequentes corruunt. Propterea omnis etiam qui sibi videtur stare, timeat, dum potest cadere.

Sequitur pars tertia, in qua nos monet Apostolus, ne apprehendamur à tentatione, cùm dicit: *Tentatio vos nō apprehēdat nisi humana.* Non autē ait, ne tentemini: quia homine in hac vita tētari est necesse & vrile, sed ait, *Tētatio vos nō apprehendat*, id est, non vos superet. Et quia rursus hoc impossibile est, dum in hac vita sumus, adiungit: *Nisi humana.* Et humana quidem tentatio est, quæ prouenit ex ignorantia aut ex fragilitate, aut ex necessitate. Ex ignorantia prouenit tentatio, quando aliquis ignoranter peccat: vt quando aliquis putat se dicere verū, & dicit falsum: Et quando putat se benè alij consulere, & tamen non consulit benè, & huiusmodi. Ex fragilitate verò prouenit tentatio, vt quando post nimiam sitim, nimis bibimus, & huiusmodi. Ex necessitate verò tentatio prouenit, quando primis motibus, quos euitare non possumus, tentamur. Dirigitur autē hoc modo tentatio humana: quia ita tentari, est humanū, & pro peccato primi parentis inflictum. Si verò fratres mei, non ex ignorantia, sed ex industria peccamus, aut ex contumacia, aut ex libera voluntate imus post concupiscentias nostras, proculdubiò non est tentatio humana, sed potius diabolica, & ideò damnabilis.

Sequitur pars quarta, in qua ostendit Apostolus Deū nō permissurū nos tentari vltra posse nostrū, cùm subdit, *Fidelis est Deus, qui nō patietur vos tentari supra id quod potestis.* Dicitur autē Deus fidelis, id est, verax in promissis: quoniā semper præstò est fidelibus suis, sicut ipse promisit dicēs: Ecce ego vobiscū sum omnib⁹ diebus vsq; ad cōsummationē seculi. Et ideò non patietur, inquit, vos tentari supra id quod potestis. Hic apertè illos confutat, qui peccata sua excusantes, & Deū accusantes, dicūt: Deus nos dereliquit: & importabili pondere præceptorū & tentationum nos opprimit, cùm nobis naturam dederit imbecillem, & resistere vitiis impotentem. Prō nephas, de infidelitate, de crudelitate, de ignorātia accusatur Deus. De infidelitate, quasi derelinquat nos antequā derelinquatur à nobis: De crudelitate, quasi præcepta importabilia nobis dederit, quę

facc-

facere non valeamus: & tentationes nobis venire permittat, quibus resistere non possumus. De ignorantia, quasi ignoret quid humana natura facere, aut ferre valeat. Sed fratres mei, Deus neminem prior deserit, quia fidelis est: nec importabilia nobis imponit, quia pius est. Nec vires quas dedit nobis, ignorat: quia omniscius est. *Sed faciet*, inquit, *cum tentatione prouentum*, id est lucrum, *vt possitis sustinere*. Quasi dicat: Cū tentatione faciet nobis duo: & prouentum proficiendi, & potentiam sustinendi. Itaque fratres, tentationes diabolicas omnibus viribus à nobis excludamus: humanas verò quantum possumus, refrenemus, perpetratas lachrymis pœnitentiæ & operibus misericordiæ redimamus: Ad æternam patriam vbi nulla tentatio est, toto desiderio festinemus. Ad quā peruenire concedat nobis omnipotens & misericors Deus: Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN. *Luc.*

Dicebat discipulis suis: Quidā homo diues habebat villicum, & hic diffamatus est apud illū, quasi dissipasset bona ipsius. Nō omnia fratres mei, quæ in hac audiuimus parabola iuxta literā, ad exēpli trahere debemus imitationē. Non enim facienda est in aliquo fraus Domino temporali, sed potius iura sua ei sunt reddenda, iuxta Apostolum dicentē. Cui honorem, honorem: cui tributum, tribu- *Rom. 13.*
tum: cui vectigal, vectigal. Vnde & Dominus in Euangelio, Reddite inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt *Mat. 22.*
Dei, Deo. Vnde & ipse cùm esset rex regū & Dominus dominantiū humilitatis, exempliq; causa reddidit Cæsari tributū. Sed à contrarijs parabola hæc intelligenda est, vt videlicet si ille qui per fraudis calliditatē de rebus sibi à Domino suo cōmissis prouidit, in posterū laudatur: maximè ille qui per verā sapientiā de rebus sibi à Deo commissis, prouidet sibi in aliā vitā, à Deo laudandus est. Illud quoq; notandū est, & hīc dicitur quia filij huius seculi, prudētiores filiis lucis in generatione sua sunt. Quod dupliciter intelligi potest, vel quia prudētiores sunt in secularibus mali quàm boni, Quod inde contingit, quoniā in eis curiosiores sunt: vel quia prudētiores sunt mali in malo, quàm boni in bono. Sed quare? Cur sunt prudentiores mali in

operibus diaboli, quàm nos in operibus Dei? Cur nō plus potest apud nos amor Dei, dulcedo cælestis præmij, securitas puræ conscientiæ, quā apud malos amor seculi, & lucrū tēporale, cū tormento conscientiæ malæ? Expergiscamur ergo fratres mei, pigritiā nostrā, & erubescamus si viderimus malos vigilātiores, si prōptiores, si callidiores, ad faciendu opera diaboli quā nos ad opera Christi. Mysticè verò in hac parabola quinq; proponuntur nobis intelligenda. Primò, q̄ rerū nostrarū non Domini, sed dispensatores sumus: Secudo, quomodo res Domini male dispensam⁹. Tertiò, quomodo Dominus exigit à nobis de rebus suis rationē. Quartò, quantū timor est vtilis ad consiliū inuestigandū. Quinto, quomodo de rebus Domini Dei nostri nobis amicos possumus cōparare. Primo igitur fratres charis. ostenditur in hac parabola, quod Deus omnipotēs homo factus pro nobis, Diues in oēs qui inuocāt eu: habet villicū, oēm hominem scilicet cui bona sua commisit. Cōmisit quippe omini tria bonorum genera, exteriora corporalia, spiritualia: horū bonorū non Dominū, sed villicū. i. custode & dispensatorem eū fecit: vt videlicet secundum voluntatē non suā, sed Domini, ea custodiret & dispensaret. Cui etiā dedit legē & mādata, quomodo & quibus, & quantū, & quando ea deberet erogare ad Domini sui lucrū & honorē. Sed vt secundo loco in hac parabola demonstratur, homo bona Domini sui dissipat, cū eis iuxta voluntatē Domini sui nō vtitur, nec erogat. Bona exteriora dissipat, cū de eis nō pauperibus, nō infirmis diuidit, non dominū honorat, nō ecclesias nō domos pauperum fabricat, nō patriæ proficit: sed vel per auaritiā ea intacta abscondit, vel per superfluitatē luxuriosè, vanè, & arroganter spargit: & vnde Deo seruire deberet, vitiis & diabolo seruit. Vnde per Prophetā Dominus, Dedi enim eis inquit, lanā, & linum, frumentū, vinū & ordeum argentū & aurum meū, quę ipsi fecerunt Baalim. Bona corporalia dissipat, cū corpus suū facit seruire fornicationi nō Domino: cū lingua, q̄ dedit & Deus ad benedicendū, abutitur ad maledicendū, mentiendū, periurandum, detrahēdum. Cùm oculis sibi ad bonum vsum datis à Deo, abutitur ad concupiscendum mulierem, & ad videndum vanitatē. Cū auri-

Bona exteriora quomodo dissipantur.

Osee. 2.

Bona corporalia quomodo dissipātur

auribus sibi datis ad audiendum Dei verbum, abutitur ad audiendū mendacia, detractiones, vanitates: Cùm naribus abutitur ad odorandū luxuriosos odores, & vnguēta meretricia, non ad odorandū odorē virtutū: Cùm manibus abutitur, ad percutiendū de pugno impiè, ad effundendū sanguinē, ad nocendū, non ad benè agendum. Cùm pedibus abutitur ad currendū ad malū, nō ad sequendum viā Domini: Cū gustu abutitur, ad comessandū, inebriādum, non ad comedendū & bibendū ad sobrietatē spiritus. Bona verò spiritualia dissipat, cū libero arbitrio abutitur ad eligendū mala, non bona: ad seruiendū mundo non Deo: carni non spiritui. Cū intelligentia abutitur ad inuestigandum quomodo possit nocere, nō prodesse. Cū memoria abutitur, ad reminiscendū mala, non bona. Cū prouidentia abutitur, ad parandū proximo laqueum, nō auxilium. Omniū istorum fratres mei, dissipatio, abusus, & infamis cōsuetudo, diffamat hominē villicū apud Deū dominum suū. Vnde Dominus vt tertiò in parabola demonstratur, vocat villicū, & ait illi: *Quid hoc audio de te? Redde rationē villicationis tuæ.* Bis ponit rationē Dominus Deus cū homine villico suo. Primùm in hoc seculo, postea in iudicio, Sed dissimiliter. Nā hîc ponit eum homine rationē, ad incutiendum ei timorē & emendationē. In iudicio verò ponet cum eo rationem ad inferendum pro meritis pœnam. Hîc ad exercendum misericordiam, ibi ad exercendum iustitiam. Ponit ergo hîc Dominus rationem cum homine villico suo, quem vult corrigere, non perire. Vocat ergo eum & citat ad respondendum, cùm ei aliquam infert infirmitatem, interrogatque eum vel interius per diuinam inspirationem, vel exterius per sacerdotem: vel per aliquam correctionem ei dicentem. Frater Dominus vocat te: & exigit à te rationem de omnibus quæ contra eum operatus es. Tibi citò consule, quia iam non poteris villicare. Iam enim per mortem auferetur tibi temporalium dispensatio rerum. His itaque interius inspiratis, vel exterius dictis, commouetur interius villicus homo & timet. Qui timor intus eum hîc illucque concutiens trahit eum ad deliberandum quid facere debeat, vt in parabola quartò significatur, cùm subditur: *Ait autem villicus intra se,*

Quomodo spiritualia bona dissipantur.

Quid faciam, quia Dominus aufert à me villicationē? fodere non valeo: Quia in alia vita non erit tempus merendi, sed recipiendi: non serendi, sed metendi: non laborandi, sed quiescendi. *Mendicare*, inquit, *erubesco*. In alia enim vita, mendicās semper patietur pudorē: nec inueniet adiutorē: sicut in alia Euangelii parabola demonstratur, cùm fatuæ
Pro. 20. à prudentibus oleum petunt, nec accipiunt. Vnde & Salomon, propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate & non dabitur ei. *Scio quid faciam*. Pensate fratres, pensate quam sit vtilis timor. Nunquam enim villicus iste de salute sua cogitasset, nisi eum timor interius concussisset, sed timore eum interius perurgente, deliberat, quærit,
Esa. 26. & inuenit consilium: iuxta illud Prophetæ, A timore tuo Domine, concepimus, parturiuimus & peperimus spiritū salutis. Concepimus benè cogitando, parturiuimus laborando, peperimus bene faciendo.

Sequitur quintò quomodo de rebus Domini sui possit sibi villicus amicos præparare. Vnde & ait, *Scio quid faciā, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas*. Conuocatis igitur singulis debitoribus Domini sui dicebat primo. *Quantū debes Domino meo? Cētum, inquit, choros tritici. Vade accipe cautionē tuam, & sedens scribe octoginta, &c.* Cū omnia quæ habemus fratres mei, non nostra, sed domini nostri sint: cū accōmodamus res domini nostri accōmodamus. Et qui nobis debēt, Domino debēt. Villicus ergo de bonis domini sui amicos sibi præparat, cū pauperib⁹ Christi cōpatitur, & alij debita, vel ex parte, vel ex toto relaxat: alij supererogat, aliū orando, alium corrigendo, aliū instruendo iuuat, aliū verbo, aliū consilio aliū patrocinio, aliū rebus sustentat: cōmunicans aliis carnalia, vt eorū spiritualia metere possit. Quod verò Dominus concludens parabolā, ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Nō ita est intelligendū, quòd de diuitiis iniustè acquisitis eleemosynā facere possit: præsertim cùm
Eccl. 34. scriptū sit. Qui offert sacrificiū de rapina pauperum, quasi qui immolat filiū in cōspectu patris sui. Sed intelligendū est de diuitiis iniquitatis, id est, retentis iniquè: quia multos iniquos, superbos & vanos efficiunt. Illud verò fratres semper memoriæ commendandum est, q⁹ Dominus subiunxit,

iunxit. *Cùm defeceritis*, per mortẽ temporalẽ: scilicet, cùm defeceritis de meritis vestris, *recipiant vos in æterna tabernacula*. Non ait, propter eos recipiamini, sed ipsi recipiãt vos. Ecce fratres, quanta est dignitas pauperũ Christi: qui iudices & ianitores regni cælorũ esse merẽtur, vt quos voluerint, recipiãt, vel excludant. Itaq; fratres mei, pauperes Christi veneremur, foueamus & diligamus, & omnibus contemptis, & ipsi pauperes Christi esse studeamus, vt ab ipsis, & cum ipsis mereamur in æterna tabernacula recepi. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

DOMINICA X. POST TRINITATEM.

Fratres, scitis quòd cùm gẽtes essẽtis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes, &c. Hæc loquitur fratres charissimi, Apostolus ad Corint. qui nunc ab eo conuersi gentiles extiterãt, & simulachra muta adorauerãt. Facit ergo tria: Primum ostendit idololatriã & blasphemiã à spiritibus malignis induci. Secundò dicit verã fidei confessionẽ, à spiritu sancto esse: Tertiò enumerat diuersa dona Dei, quæ omnia asserit ab eodem spiritu sancto dari. Ostendẽs igitur primũ homines duci à malignis spiritibus, malignis ad idololatriã & blasphemiã ait, *Fratres, scitis cùm gentes essẽtis, eratis euntes ad simulachra muta, prout ducebamini*, à spiritibus malignis. Dicuntur autem fratres mei, gentes à ge, quod est terra, siue à gignendo: quia scilicet non purgati per aliquod sacramentum, nec eruditi per legem tales manent quales geniti sunt. Immundi geniti sunt, & immundi manent. Filij iræ nati sunt, & filij iræ manent. Nihil cæleste, nihil spirituale, sed solam terram de qua nati sunt sapientes. Qui sine contradictione permittunt se duci à spiritibus malignis ad diuersos errores: vt scilicet relicto vno vero creatore, adorent non solùm vnius generis, sed etiam diuersorum generum simulachra: vt imagines hominum, quadrupedum, & serpentium, quę omnia sunt muta. Quoniam iuxta Psalmistam: Simulachra gentiũ argentũ, & aurũ, opera manuũ hominũ. Os habent & nõ loquẽtur, oculos habẽt & nõ videbũt: Manus habẽt & non palpabũt, pedes habẽt & nõ ambulabũt, nõ clamabũt in gutture suo. Similes illis fiãt qui faciũt ea: & oẽs qui cõfidunt in eis. Quod quidẽ verũ est, quoniã qui idola facit, aut

1. Cor. 12.

Psal. 113.

aut qui eis deitatē attribuit, ille vtiq; similis sit ipsis simulachris: quoniā os habet tanquā homo, nec tamē ratiocinatur: oculos habet tanquā homo, nec tamē vt homo veritatē contēplatur: aures habet vt homo, nec tamē vt homo veritatē intelligit. Quorum (quod sine gemitu dicere non possum) sunt hodie similes quidā falsi Christiani, qui quāuis ore fateantur vnū solum creatorē, tamen à spiritibus malignis ita decipiuntur & trahuntur, q̄ moribus & operibus non solū simulachra, sed etiā (q̄ est maius) suauia colunt & venerantur. Iste enim à spiritu luxuriæ ducitur, vt Venerē colat. Ille à spiritu ebrietatis ducitur, vt Bacchū colat. Ille à spiritu Mammonæ ducitur, vt pecuniam colat. Qui oēs tantò magis dānandi sunt, quanto contra conscientiam suam, creaturam creatori præponunt. Qui & si non ore, tamā opere Christum abnegant. Quod vtiq; non fit in spiritu Dei, sed potius in spiritu maligno. Vnde & subditur, *Notū autem vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquēs dicit anathema Iesu.* Idololatria enim, apostasia & blasphemia, cæteraq; vitia, à spiritibus malignis introducta sunt. Dico ergo ego cū Apostolo, illis qui blasphemant, qui peierant, vel deierāt nomē Iesu, q̄ nemo in spiritu Dei loquens, blasphemat, vel peierat, vel periurat nomen Iesu, sed potius in maligno spiritu loquens.

Idololatria.

Sequitur pars secunda, in qua dicit Apostolus verā confessionē à spiritu sancto esse, cùm subdit, *Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.* Hoc loquēs Apo. non est contrarius Domino dicenti in Euangelio. Nō omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Quoniā dicere potuit hīc pro profiteri. Ille autē verè confitetur, qui q̄ habet in corde, ore, & opere confitetur. Quæ confessio nullatenus haberi potest, nisi à spiritu sancto. Nec enim benè cogitare, nec benè loqui, nec benè operari ex nobis possumus, nisi à Spiritu sancto prēueniamur, qui operatur in nobis & velle & perficere. In quo illi damnantur, qui vel de ingenio, vel de eloquentia, vel de viribus suis gloriantur dicētes: labia nostra à nobis sunt. Quis noster dominus est? & manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia. Cùm Dominus in Euangelio dicat, Sine me nihil potestis facere.

Mat. 7.

Phil. 2.

Psal. 11.

Ioan. 15.

Sequi-

Sequitur pars tertia, in qua Apost. enumerat donorum diuersitatē, ostendens ea à Spiritu sancto dari. Primū ergo donorū dei tria genera ponit, scilicet, gratias, ministrationes, & operationes: ostendens vnūquodq; istorū in speciesplures subdiuidi, cū subdit: *Diuisiones gratiarū sunt*. Cùm autē omne donū Dei gratia sit, quia gratis datur: tamen antonomaticè hic gratiæ virtutes appellantur, eo q̄ habētem gratum faciunt & gratiosum. Quales sunt fides, spes, charitas, sapiētia, iustitia, fortitudo, temperantia, cæteræq; virtutes, quæ homines amantes & amabiles Deo & hominibus reddunt. Hæ autē tantæ in se sanctitatis & honestatis sunt, q̄ non solum dona spiritus sancti, sed etiā spiritus sanctus nuncupātur ab Esaia, dicēte, Et descendet super eū spiritus Domini, spiritus sapiētiæ & intellectus, spiritus cōsilij, &c. Et à Ioāne, hi, inquit, sunt septē spiritus Dei missi in oēm terram: id est, septem dona spiritus sancti. Diuersa enim sunt dona, sed vnus est dator. Vnde & hic cū dixisset, diuisiones gratiarū sunt, subdit: *Vnus autem spiritus*. Hæc enim dona ita comitātur spiritū sanctū inseparabiliter, q̄ nemo potest habere hæc dona, quin habeat spiritū sanctū: nec habere spiritū sanctum, quin habeat hæc dona. Hæc ergo dona fratres mei, omni studio & vigilantia acquirere satagamus, per quæ spiritum sanctū mereamur in nobis perpetuum habitatorē retinere. Deinde secundū genus donorū ponit cùm subdit, *Et diuisiones ministrationum sunt, vnus autē Dominus*. Plures enim species administrationū sunt in Ecclesia vni Domino seruientes: vt officiū prædicandi, officium sacerdotij, & huiusmodi. Quæ si cum supradictis virtutibus habeantur, magni meriti & vtilitatis sunt in Ecclesia Dei. Aliàs non solum non prosunt, imò & nocent, Quod est contra quosdā nostri ordinis, qui magis affectant prædicationis vel sacerdotij officium, quàm meritum. Magis appetunt ab hominibus honorari quàm honorabiles esse. De quibus Dominus in Euangelio, dicunt & non faciunt. Amant enim primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Deinde tertium genus donorum supponit, dicens. *Et diuisiones operationum sunt; vnus autē Deus qui operatur omnia in*

Esa. 11.

Mat. 23.

omnibus. Plures quippe operationū ſpecies dantur à Deo hominibus, vt operationes miraculoru, operationes laborum neceſſariorum, operationes eleemoſynarū, & huiuſmodi. Sed cùm quæcunq; dantur à Spiritu ſancto, dantur à patre, dantur & a filio. Quare Apoſtolus ita hic diſtinxit, vt loquens de gratijs, diceret vnus ſpiritus: loquens de miniſtrationibus, diceret vnus Dominus: & loquens de operationibus, diceret vnus Deus? Vt ſignificaret nobis quia gratiæ non niſi per amorē Dei (qui ſpiritus ſanctus eſt) obtinentur: & quia miniſtrationes a domino ſunt & ei exhibētur: & quia Deus auctor per nos operationes operatur. Vnde & hic dicens, vnus Deus adiunxit, *Qui operatur omnia in omnibus*, diſtribuēs videlicet ſingula in ſingulis. Ad quid aūt Deus dona ſua nobis tribuat, oſtendit cū ſubdit; *Vnicuique aūt datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatē*. Vocat autē donū Spiritus ſancti, manifeſtationem ſpiritus: eò q; per donum Spiritus ſancti, ipſe Spiritus ſanctus in nobis eſſe manifeſtatur. Huiuſmodi verò dona dātur ad vtilitatē tam noſtri quā aliorū. Qui verò dona Dei inutiliter recipiunt, & inde nec ſibi, nec aliis proſunt, damnantur: & talento inutiliter abſconſo iuſtè priuantur. Deinde de tribus donorū generibus exēpla ſubdit, dicens: *Alij enim per ſpiritū datur ſermo ſapientiæ*, quæ eſt de cæleſtibus: *alij ſermo ſcientiæ*, quæ eſt de terrenis rectè diſpēſandis: *alij fides*, in eodē ſpiritu. Sapiētia quippè, ſcientia, & fides, ſi cū charitate habeātur, virtutū gratiæ ſunt. Sermones verò ſapiētiæ, ſciētiæ, & fidei, & docere miniſtrationes ſunt: *alij gratia ſanitatū*, & infirmis cōferēdarū, quæ vtiq; miniſtratio eſt. Deinde ponit exēplū de operibus ſubdēs, *alij operatio virtutū*, id eſt miraculorū: vel bona opera virtutum, *alij Prophetia*. i. occultorū reuelatio, *alij diſcretio ſpirituū*, vt ſcilicet ſciat diſcernere quis ſpiritus ſit ex Deo, & quis ex diabolo, *alij genera linguarum*: vt ſcilicet loquatur varijs linguis, *alij interpretatio ſermonum*, obſcurorū. *Hæc aūt & ſimilia, omnia operatur vnus atque idem ſpiritus*. Ac ſi apertè dicat: non eſt verū quod opinabamini: quando ad adorādum ſimulachra muta ducebamini: videlicet quod ſecundum diuinitatem donorum, ſit diuerſitas deorū, vt ſcilicet Minerua det ſapientiā, Pean mediçinā, Mercurius eloquen-

eloquentiã, Mars virtutẽ, & huiusmodi. Sed potius vnus atq; idẽ Spiritussanctus hęc omnia operatur diuidens singulis, nõ omnia tribuẽs vni, ne superbiret, nec alicui nulla, ne desperaret: sed potius singula singulis: Vt scilicet nullus aliũ cõtemneret: sed vnusquisq; alio indigens ei quoq; subuenire disceret. *Diuidens*, inquit, *singula prout vult*: & quib⁹ vult, & quantũ vult, nõ meritis nostris astrictus, nec aliqua necessitate coactus, sed sola sua libera & gratuita volũtate ductus. Nos ergo fratres mei, quia dona spiritussancti gratis accepimus: gratis ea nõ habẽtibus cõmunicemus. Qui habet sapientiã, insipientes erudiat. Qui habet substantiã temporalẽ, indigentes sustineat. Qui habet potentiã, imbecilles defendat. Qui habet eloquentiã, pupillis & viduis se aduocatũ exhibeat. Qui habet gratiã orandi, pro peccatoribus exoret: quatenus vnusquisq; de cõmissa sibi gratia, tã sibi quàm alius, profectũ acquirens, æternam mereatur accipere retributionem. Amen.

DOMINICA X. POST TRINIT.

CVm appropinquaret Iesus Hierusalẽ, videns ciuitatẽ Luc. 19.
fleuit super illã, dicens: Quia si cognouisses & tu Prælibatã fratres chariss. exposituri lectionẽ, primũ ea quæ ad literã, deinde ea quæ ad mysticũ sensum pertinent, videamus. Porrò iuxta literã, Dominus in hac lectione demonstrat quatuor res se habere verã scilicet humanitatẽ, verã diuinitatẽ, veram iustitiã, & veram charitatẽ. Verã humanitatem se habere ostendit, cùm tanquã verus homo plorat. Flere enim humanitatis est. Sed quid est fratres mei, quod nunquã Dominus legitur risisse, sed legitur plorasse: nisi quia omnis risus ex vanitate est: & fletus nobis vtilis est? de risu quippè Salomon ait, In ore stulti semper risus. *Prou 14.* Et alibi: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *Luc. 6.* Et Dominus in Euang. Vę vobis qui ridetis, quia plorabitis. *Fletus quatis bonus.* Fletus qui prouenit nõ ex damno temporaliũ, sed ex desiderio cœlestis patriæ: vel ex compunctione peccatorum: vel ex pietate alienæ miseriæ, nobis fratres, perutilis est. Vnde Salomon, Melius est, inquit, ire ad domũ luctus, quàm ad domũ cõuiuij. Et Dominus: Beati qui lugent, quoniã ipsi cõsolabuntur. *Eccle. 7.* *Cùm ergo appropinquaret Iesus*, per cõpassionem, *Hierusalem videns*, id est,

Mat. 5. prævidens mala eventura civitati, flevit super illā. Flevit autem ob tres causas, vt se veram habere carnem demonstraret, vt se veram habere pietatis cōpassionem aperiret: vt nobis exemplū similiter flēdi proponeret. Et si ipse, qui nihil in se flendū habet, propter aliena peccata fleuit, quid debemus facere nos peccatores, qui in nobis multa flenda habemus? Et si ipse qui Deus est, sic humanæ miseriæ compatitur, quomodo nos homines aliis hominibus, fratres confratribus, cōpati & misereri debemus? Itaq, fratres, ploremus peccata nostra, ploremus etiā exemplo domini, aliena. Non faciamus, vt quidam faciūt, qui peccantes irrident, & de alieno casu subsannant, similes Pharisęis qui in peccatores mouētur, non per cōpassionem, sed per derisum vel indignationem, sed nunquā peccatorum veniam merentur, qui alienis nunquam compatiuntur. Imitemur potius Præabum Philosophū, qui vt legitur in vitis Patrum, cùm videret theatralem mulierem, fleuit. Et cùm quæreretur quare fleret, ait: Duæ res me flere cogūt vna huius peccatricis perditio, altera quia non tantū cupio placere Deo, quantum hæc populo. Veram diuinitatem se habere demonstrat, dum futura tanquam præsentia videt & narrat. *Quia*, inquit, *si cognouisses & tu*: id est, si mala tibi imminentia cognouisses, tu quoq, fleuisses. *Et quidem in hac die tua quæ ad pacē tibi*: ac si dicat: Nunc quidem habes tempus tuum, & pacem tuam: nunc gaudes & delectaris tempore prosperitatis & pacis tuæ: nunc autem abscōdita sunt ab oculis tuis, mala scilicet tibi ventura. Quæ subiungit: *Quia circumdabūt te inimici tui vallo: & circundabunt te vndique: & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem* Hæc omnia fratres mei, quę Dominus prædixit, impleta sunt per Romanos Principes Titum & Vespasianū, quadragesimo anno à passione Domini, & in eadem solennitate, in qua Dominū crucifixerant, subuersa est ciuitas: & de ipsis occisi, tum ferro, tum fame, decies centū milia. Cæteri per nationes captiuati & venditi, triginta vno denario, qui Christū triginta argenteis vendiderant. Hanc autem subuersionē testatur ipse situs ciuitatis, continentis in se nunc Caluariæ locū, qui prius extra portam

tam erat. Quare autē hæc mala euenerunt eis, ostendit Dominus, cùm subdit: *Eò quod nō cognouieris tempus visitationis tuæ.* Ideò enim hæc mala eis erant cuētura, quia Christū visitatorē suū & redemptorē cognoscere noluerunt. Vnde Propheta, Miluus in cœlo cognouit tempus suū, turtur, hirundo, & ciconia tempus aduētus sui: populus autē meus nō cognouit iudiciū Dei. Hanc autē excæcationē venisse super populū illū ex peccato suorū sacerdotū, Dominus ostēdit, cùm subdit. *Et ingressus templū, cœpit eiicere vendētes & emētes in illo.* In quo fratres mei, veram se habere demōstrat iustitiā Dominus. Verā enim iustitiā nō haberet, si peccātes nunquā puniret. Itaq; Dominus nunc miseretur, nunc punit: vt nos instruat habere pariter pietatē cum iustitia, & iustitiā cum pietate. Vt scilicet ita simus pij in naturā hominum, vt tamē non parcamus peccatis eorū. Eiecit ergo Dominus vendētes & emētes de tēplo, dicens: *Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur.* Quasi diceret, domus mea statuta est ad orandū, nō ad vendendū, vel emendū, vel aliud seculare negotiū agendū. Hoc apertè contra illos est, qui Ecclesiam Dei cellariū faciunt, in ea granaria & dolia ponētes: vel eam faciunt forū, in ea tabernas rerū venaliū, vel causas exercentes: vel eam faciunt refectorium, in ea comedentes & bibentes, cùm Ecclesia sit locus spiritualis refectionis, non corporalis. Hoc itaq; fratres mei, deuitantes, nihil faciamus vel dicamus in oratorio, nisi quod ad oratinē pertinet: vnde & nomen accepit. *Vos autē*, inquit, *fecistis illam spelunca latronū.* Sacerdotes qui ob cupiditatē, forum in templo fieri permittebant, latrones erant, dum sub prætextu religionis latenter cupiditatē exercebāt. Venditores etiā & emptores, latrones erant, dum alter alterū in negotiatione latenter circūueniebāt: negotiatio quippè vel vix vel nunquam exercetur sine fraude. Vnde Apostolus prohibet ne quis supergrediatur vel circūueniat in negotio fratrem suum, quoniam Deus vindex est talium. Veram se demonstrat Dominus habere charitatē, dū nec indignis gratiā subtrahit prædicationis. Vnde & subditur, *Et erat quotidie docēs in tēplo.* Quos enim obiurgauerat, & extra Ecclesiā pepulerat, p iustitię rigorē: hos reuocare ad

Ierem. 8.

Iustitia Dei peccatores punit.

Esa. 56.

2. Thes. 4.

ad salutẽ quærit per prędicationẽ, dans exemplũ Doctoribus S. Ecclesiæ, vt quanuis excõmunicent & obiurgãt peccatores, tamen interius semper eos diligant, & omnibus modis eos ad Ecclesiam reuocare festinent. Quod autem semel Dominus historialiter fecit, spiritualiter quotidie facere non desistit. Per electos quippè suos qui spiritualiter oculis prævident futurã malorũ reprobationẽ, plãgit eos qui nesciunt cur plangantur: qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Qui si damnationẽ suã prędiderent, ipsi quoq; flerent, & seipsos cum electis plangerent: qui hîc habent diem suam quia hîc in bonis ducũt dies suos. Hic etiam habent pacem suam, quia prosperantur in via sua mala, sed ventura supplicia absconduntur ab oculis eorũ. Quia dum nolunt mala prævidere, quæ lætitiam perturbent temporalem, quasi clausis oculis ad mortem festinant, quia venient dies, quando animas de corporibus exeuntes, dæmones inimici, circundabũt vallo, perpetrata scilicet mala opponẽtes, & vndiq; circundabunt, & coangustabunt: quia nõ solùm operis, sed etiã locutionis & cogitationis iniquitates ante oculos eorum replicabunt: & ad terrã prosternent, cùm caro in puluerem redigetur. Filij etiam eorũ prosternentur, cùm in illa die peribunt omnes cogitationes eorũ. Quę cogitationes etiã per lapides significantur, cùm subditur, *& nõ relinquent in te lapidem super lapidem*. Peruersa enim anima cùm peruersę cogitationi peruersiorem adiicit, quasi lapidẽ super lapidem ponit. Et cùm peruersa anima ad damnationẽ rapitur, talis cogitationũ constructio dissipatur: & hoc ideò, quia non cognouerit tempus visitationis suæ. Peruersam enim animã Deus visitat, aliquãdo flagello, aliquãdo miraculo, semper autẽ præcepto. Sed quia nec per hoc resipiscit, in extremo tradetur inimicis, cum quibus æternaliter eruciabitur. Si autẽ quælibet anima secularis sic punietur, quãtò magis Ecclesiastica persona, quæ non solùm se, sed etiã alias malè viuẽdo perimit? Et hoc est quod sequitur, quod ingressus Iesus in templo cœpit eiicere vendentes & ementes in illo. In templo vendit vel emit, qui Ecclesiasticas administrationes quæ solo Deo debẽt dari, pro pretio præbet vel accipit. In templo vendit, qui iustitiam pro mu-

Vendunt in templo qui.
Qui emũt in tẽplo.

nere

nere facit. Emit in templo, qui ne faciat quod debet, dato precio à Iudicibus emit. In templo vendit, qui bona, quæ pro solo Deo facere debet, pro humana laude vendit. In templo emit, qui ab adulatoribus vt bonus dicatur, muneribus emit. Quibus omnibus dicitur, Feciſtis domũ meã ſpeluncam latronũ. Quoniã dum peruerſi locũ tenent religionis, ibi per malitiã occidunt, vbi per orationẽ viuificare debuerunt. Sed quia cõtra omnẽ peruerſitatẽ Dominus per ſcripturas indeſinenter inſtruit, rectè ſubditur: *Et erat docens quotidie in templo.* Itaq; fratres mei, nos qui quotidie peccamus, peccatorũ ventura ſupplicia, ante oculos noſtros ſemper habeamus. Scriptũ eſt enim, In die bonorũ non immemor ſis malorum. Et alibi, Beatus vir qui ſemper eſt pauidus. Cogitemus ergo dæmones in exitu animæ noſtræ nos circũdaturos, & à nobis omnia peccata noſtra requiſiturõs. Si enim ad Chriſtũ venit diabolus, (ipſo dicente) quia venit Princeps mundi huius, & in me nõ habet quicq̃: ſi ergo ad eũ venit, in quo nihil habuit, quãto magis ad nos veniet, in quib⁹ multa habet. Itaq; fratres dulcedo huius vitæ nobis amareſcat: peccata quæ diabolus in nobis cognoſcit, fletus pœnitẽtię diluat: ieiunia, eleemoſynæ, orationes, & cætera bona, perpetrata mala redimãt: vt quãtò nũc magis ſum⁹ de anima noſtra formidoloſi, tãto in exitu animę noſtrę valeamus magis eſſe ſecuri: largiẽte domino noſtro Ieſu Chriſto, q̃ cũ Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus, p̃ oĩa ſecula ſeculorũ. Amen.

Eccle. 11.
Prou. 28.
Ioan. 14.

DOMINICA XI. POST TRINIT.

Notum vobis facio Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluemini. Tripertita eſt hæc lectio fratres mei. Primò enim predicationẽ ſuam Apoſtolus cõmendat. Secundò Chriſti paſſionẽ, ſepulturã, & reſurrectionẽ affirmat. Tertiò ſe humiliat. Primũ igitur prædicationẽ ſuam cõmendans, ait: *Notum vobis facio Euangeliũ quod prædicaui vobis.* Ac ſi apertè dicat, nõ ſicut error & incõſtantia pſeudoprædicatorũ ſolet nunc quędã, modò alia vobis prędico: ſed illud idem quod vobis prędicaui, nunc etiã vobis notũ facio, id eſt, illud quod vobis prædicaui, præſens voce, moribus, & virtutibus, cùm ſim abſens, notum vobis facio ſcripto.

1. Cor. 15.

Adeò

Adeò quippè erat sollicitus Apostolus in eruditione gentiũ, quod no solũ præsentes voce, moribus & virtutib⁹ cõfirmabat, sed etiã absentes & nascituros scripto instruebat. In quo mea, meiq; consimiliũ prædicatorũ cõfunditur negligentia, qui nec absentes scriptis, nec etiã præsentes verbis informamus, talentũ prædicationis nobis cõmissum occultantes. Qui & si quandoq; aliquid boni verbis prædicamus, illud moribus & operibus destruimus. Commendat igitur Apostolus prædicationẽ suã Corinthiis, quibus scribit, persuadens eis multis modis, vt in ea perseuerent.

Euangelium. Primo nomine eam cõmendat, cùm eã vocat Euangeliũ. quod interpretatur bonũ nuntium, de fide scilicet & moribus in vitã æternam. Et quod nuntiũ fratres mei, potest esse melius, quàm illud quod per fidei veritatẽ, & morum honestatẽ ducit nos in vitam æternã? Deinde auctoritate sui Apostolatus, *qui à Deo ad prædicandũ missus erat*, commendat prædicationẽ suam, cùm dicit, *quod prædicatũ vobis.* Susceptione etiã ipsorũ Corinthiorũ, (qui relictis erroribus veritatẽ susceperant) cõmendat eam, cùm subdit, *Quã & accepistis.* Quasi diceret, turpe esset vobis cognita veritate apostatare. Virtute eam cõmendat, cùm subdit, *in quo & statis*, viriliter in virtutibus, qui antea per vitia diffluebatis. Vtilitate eam commẽdat, cũ subdit: *per quod et saluemini*, qui anteà æternæ dãnationi deputati eratis. Et quid fratres mei, quid magis audire, quid magis retinere, quid magis diligere debemus, quàm nuntium illud, quod a Deo per Apostolos est nobis missum, & quod susceptũ non debet mutari, & quod facit nos in virtute stare, & ad æternã nos ducit saluationem? Itaq; fratres semper auribus Euãgelium captemus: corde teneamus: operibus exerceamus: verbis prædicemus. Certa quippè est damnatio eorum, qui relicto Euangelio fabulas & vanitates legunt & diligunt. *Qua ratione*, inquit, *prædicauerim vobis, si retinetis, nisi frustrà credidistis.* Alia fratres mei,

Ratio naturæ. est ratio naturæ, alia ratio fidei. Ratio quippè naturæ est, quod si mulier cõcepit, cum viro concubuit. Si Deus est,

Ratio fidei. mori non potest: Si homo est, gradiri super aquas nõ potest, & huiusmodi. Ratio vero fidei est, quod ille qui est auctor naturæ, nõ subiacet naturæ, sed potius cõtra rationes

nes & cursus naturę agere potest, videlicet vt virgo pariat, æternus fiat temporalis: immortalis moriatur, & super aquas ab homine ambuletur, & huiusmodi. De hac igitur ratione intelligit hic Apostolus, cùm ait, *qua ratione prædicauerim vobis si retinetis: nisi frustrà credidistis.* Frustrà credidit, qui primò credidit, & posteà vel dubitat, vel non credit. Frustrà credidit, qui malè viuendo fidei contradicit: frustrà credidit, qui vel negat vel tacet, quando necessarium est confiteri. *Frustrà credere.*

Sequitur pars secunda, in qua Apost. Christi passionē, sepulturā, & resurrectionē cōfirmat. Primò testimonio scripturarū, deindē testimonio Apostolorū & suo. Testimonio autē scripturarū eas cōfirmat, cùm dicit: *Ego enim in primis tradidi vobis quod & accepi*, non ab homine: vnde ipse alibi, Ego, inquit, non ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationē Iesu Christi, *quoniā Christus mortuus est pro peccatis nostris secundū scripturas. & quia sepultus est, et quia resurrexit secundū scripturas.* Porrò passio, sepultura, & resurrectio Christi significatę sunt in scripturis, nō solū verbis, sed etiā factis. Et verbis quidē significatę sunt: quoniā de passione eius prædixit Esaias, dicēs: Sicut ouis ad occisionē ductus est. Itē illud: Ipse autē vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. De sepultura prædixit idem in persona Patris, Propter scelus, inquit, populi mei, percussi eum: & dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua. *Esa. 53.* *Ibidem.*

De resurrectione quoq; eius prædixit Oseas: Viuificabit nos, inquit, post duos dies, & die tertia suscitabit nos. Et Psalmista in persona ipsius Christi: Exurge, inquit, gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurge diluculo. Factis quoq; præfiguratæ sunt: proiectio enim Ionæ in mare, Christi passionem: susceptio eiusdē in ventre Ceti, Christi sepulturā: redditio eius viui in littus, Christi resurrectionem, apertè prefigurauit. Porrò fratres mei, Christi passio pro peccatis nostris, sepultura & resurrectio, non tantùm à peccatis nostris nos redemerunt, sed etiam eius amorem nobis ingesserunt, & exemplū nobis præbuerunt: & à peccatis quidē nostris nos redemerūt: quoniā nec originalia, nec actualia, nobis imputantur, ad pœnā, si crucifixi fidē *Oseæ 2.* *Psal. 56.*

&

& sacramenta tenemus. Nobis quoq; amorē Christi ingerunt, quia in hoc quod Christus mori, sepeliri, & resurgere voluit pro nobis: quantū nos diligeret nobis demonstrauit, & nos ad se reamandū arctius inuitauit. Si enim tātus & talis Dominus tot & tanta fecit pro nobis seruis, quid nos facere pro eo debemus? Exemplū etiā nobis pbuerūt: quomiā Christus passus est pro nobis sexta feria: sabbato quieuit in sepulchro: octauo die resurrexit: vt nos quoque per sex dies huius seculi pro eo laborare & pati debere demonstraret: & ita ab hoc seculo transeuntes, in sabbato, id est, in septima ętate, secundū corpus in sepulchris, & secundum animā in Paradiso requiē habituros: & in octauo, id est, in generali resurrectione, in æterna glorificatione resurrecturos. Deinde testimonio Apostolorū Christi confirmat resurrectionē, cùm subdit: *Et quia visus est Cephæ*, id
Luc. 24. est, Petro ipso die resurrectionis. Vnde Lucas, Surrexit dominus verè, & apparuit Simoni: *Et post hoc vndecim*, ianuis clausis, vt Ioannes & Lucas ostendunt. *Deinde plusquā quingentis fratribus simul, ex quibus quidā manēt vsque adhuc, quidā autē dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.* Has duas apparitiones in textu quatuor Euangeliorū non inuenimus. Vnde aduertimus Dominum pluries apparuisse quàm à quatuor Euāgelistis describatur. Tradit autē B. Hieronymus, quod Euangeliū Nazarenorū describit Iacobū fratrē Domini se deuouisse non cōmesturum, vsq; dum videret Dominū resurrexisse. Vnde & ei ipsa die resurrectionis Dominus apparens, ait: Pone mēsam & comede, quoniā filius hominis à mortuis resurrexit. Deinde, inquit, visus est Apostolis omnibus in Galilea, scilicet & in mōte Oliueti in die Ascensionis. Eandem verò resurrectionē suo confirmās Apostolus testimonio, subdit: *Nouissimè autem visus est & mihi*, scilicet in via, quando ibam Damascum.

Est autē pars tertia, in qua Apostolus se humiliat in quatuor, videlicet in coacta cōuersione: in extenuitate, in indignitate, in nulla de se præsumptione. Per coactā cōuersionem se humiliat, cùm dicit: *Nouissimè tanquā abortiuo es mihi*. Dicitur autem abortiuū quando ante tempus natiuitatis imperfectū de vtero extrahitur, de cuius vita desperatur-

ratur. Talis erat Apostolus, qui tempore creationis cæterorũ Apostolorũ, creatus Apostolus nõ est ad prædicationem Christi, sed quasi violenti manu de vtero Synagogæ extractus & conuersus est. De cuius salute desperatũ erat, nisi gratia Dei subuenisset. Et quidẽ fratres mei, spõtanea conuersio dignior est quàm cõacta. Et tamẽ ex coacta conuersione, multi viri perfecti claruerunt. Per extenuitatẽ se humiliat, cũ subdit: *Ego enim sum minimus Apostolorũ*, hoc est, vocatione sum extremus: qui scilicet cum cæteris Apostolis nõ interfui familiari cõsortio & colloquio Christi: sed postea eis fui adiectus. Per indignitatem se humiliat, cùm subdit: *Qui non sum dignus vocari Apostolus*. Et quare? *Quia persequutus sum Ecclesiam Dei*. Ecce fratres mei, Paulus vas electionis & doctor Gentiũ, qui plus omnibus laborauit, nõ cõsiderat ad magna merita sua, quę in lucro infinitarũ animarũ, & in scriptione Euangelicæ doctrinæ, & in multis laboribus & passionibus acquisierat, sed ad peccatũ quod fecerat, & ad aliorũ Apostolorũ merita semper oculos tenebat, vt ita semper sibi humilis esset, & alios sibi præponeret. Quẽ, nos pro viribus nostris imitãtes fratres chariss. nunquã ad bonum, si quod habemus, in nobis aspiciamus: sed semper peccata nostra & aliorũ bona ante oculos nostros ponamus, vt ita semper nos humiliemus, & alios nobis præponamus. In nulla de se præsumptione se humiliat, cùm subdit, *Gratia Dei sum id quod sum*. Ac si dicat, ex me fui malus, ex me autẽ vel ex meritis meis, nec bonus sum, nec esse possum, sed sola Dei gratia, ex qua etiam habeo quod sum, scilicet quod gratia eius in me vacua nõ fuit. In eo est vacua Dei gratia, qui vel Deo ingratus existit, vel talentũ abscondit, vel nõ perseuerat: & talis nõ fuit Apostolus, Ingratus enim nõ fuit, qui dixit: Gratia Dei sum id quod sum. Talentũ enim non abscõdit, qui viuus & mortuus semper prędicauit. Perseuerauit, qui nec morte, nec vita, à charitate Dei separari potuit. Nos ergo fratres, exẽplo Apostoli instructi: nihil nobis ascribamus, nunq̃ de meritis nostris cõfidamus: quicquid boni habemus, Dei gratię attribuamus: Deo auctori semper gratias agamus: talentũ nobis cõmissum, ad vtilitatẽ aliorũ erogemus, & semper in bono pseuerare cõtendamus.

In quo Dei gratia vacua. 1. Cor. 15.

damus, vt ad æternã beatitudine peruenire valeamus. Per Dominũ nostru Iesum Christũ, qui cũ patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorũ. Amẽ.

DOMINICA XI. POST TRINIT.

Luc. 18. *DIxit Dominus ad quosdã qui in se confidebãt tanquã iusti, et aspernabãtur cæteros, parabolã istã dicẽs: duo homines, etc.* In hac S. Euãgelij lectione fratres charissimi demõstratur quid superbia habeat in se mali: & quid humilitas habeat in se boni: & hoc modo: Primò describitur quorundã superbia: secundo ponitur cõtra eos parabola. Tertiò demonstratur quid superbia mereatur, & quid humilitas. Describens igitur primò Euãgelista quorundã superbiam, ait, *dixit dominus ad quosdã qui in se cõfidebant, &c.* Sũt autẽ fratres mei, quatuor species superbiæ: Prima est cũ quis bonũ quod habet, nõ à Deo, sed à se æstimat se habere: & ita diuinã sibi arrogãdo auctoritatẽ, se idolũ & idololatriã simul cõstituit. Talis fuit apostata Angelus, q. diuinitate sibi voluit arrogare. Tales fuerũt gẽtiles Philosophi, & multi etiã falsi Christiani, q. de libero arbitr. præsumentes, putãt se ingenio, viribus, & labore suo, ea quæ habent cõsequutos fuisse, dicentes: Manus nostra excelsa, & nõ Deus fecit hæc omnia. Talis erat Horatius, q. dixit, *Æquũ animum ipse parabo*. Tales erãt & illi de quibus ait Psal. 11. Dauid, Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Et hæc proprie dicitur arrogãtia. Porrò huic speciei superbiæ, contraria est humilitas illa, quæ se nullũ bonũ à se habere credit. Secunda est, cùm quis bonũ quod habere credit, se habere à Deo, sed ex meritis suis. Tales, vnde dolendum est, sunt hodie plerique, quibus si cõferantur à Deo dignitiæ, vel honores, vel dignitates, putãt se pro meritis suis hæc à Deo accepisse, & hæc propriè præsumptio dicitur.

Quatuor species superbiæ.

2. Cor. 15. Huic contraria est humilitas illa quę dicit, Gratia Dei sum id quod sum. Tertia est, cùm quis iactat se habere bonum quod non habet, quæ propriè est hypocritarũ, & hęc propriè iactãtia dicitur, cui illa species humilitatis cõtraria est, quæ nunquã vult dici melior quàm sit. Quarta est, cũ quis despectis ceteris, singulariter appetit videri quod habet, & hęc propriè superbia dicitur. Superbꝰ erat Põpeius, qui habere nolebat æqualẽ. Cæsar verò arrogans erat, qui nolebat

bat pati superiorē: huic cōtraria est illa humilitas, quę etiā bonū quod habet, dissimulat & tegit, vt vilior cæteris habeatur, sicut legimus de quadā sanctimoniali, quę cū religiosissima esset, se quasi stultā simulabat. Has quatuor species tumoris innuit Euāgelista illos habuisse, contra quos Dominus hīc loquebatur. Nā cōfidebant in se, nō in Deo, nō ex Deo, sed ex industria propria se bonū habere putantes: nec erāt iusti, sed tanq̄ iusti cæteros aspernabantur.

Sequitur pars secunda, in qua ad confundendā eorū multiplicem superbiā, inducitur parabola Domini de superbo iusto, & humili peccatore, cùm dicitur, *Duo homines ascenderunt in templū vt orarēt: vnus Pharisæus, & alter Publicanus*. Ascenderunt, inquit, in templū, quod ad literā in eminētiori loco situ erat. Et moraliter, quicunq; rectè vult orare, debet ima vitiorū deserere, & desiderio ad alta conscendere. *Ascenderunt*, inquit, *vt orarent*. Ecce quomodo recta fuerit eorū intentio. Si ergo opus vtriusq; fuerit bonum in genere, & rectū intentione: quare non acceptum fuerit vtrunque? quia opus vnius fermento superbiæ fuit vitiatū, & opus alterius cōdimento humilitatis fuit commendatum. Tanta est enim fratres, labes superbiæ, quod quantumcunq; fuerit opus bonū, per eam corrumpitur. Hoc est enim illud modicum fermentum, quod totā massam corrumpit. Et ecōtrariò tantum est bonum humilitatis, quod quantumcunq; fuerit opus malū, per eam emendatur. *Pharisæus*, inquit, *stās hæc apud se orabat*. Pharisęus iste iustus erat nomine: quia iustus opere, iustus etiā intentione, nisi eā vitio superbiæ corrupisset. Iustus erat nomine: quia Pharisęi dicebātur quidā religiosi, qui ob religionis obseruantiā, à seculari vita se seperabāt, vnde & Pharisæi, id est, diuisi vocabātur. Iustus erat opere, quia vitia vitabat, rapinā, iniustitiā, adulterium: & bona faciebat, ieiunās & decimas donans. Iustus etiā erat intētione, quia bona quę faciebat, propter Deū faciebat: & ei cuncta, nō sibi attribuebat: vnde & ei gratias agebat. Verùm cùm cætera vitia cauisset, solam superbiam, quæ vltima solet iustos expugnare, non benè cauit. Sed quid valet, si ex cæteris partibus hostes excludas, cùm per vnam eos recipias? Hinc Salomon ait: Omni custodia serua cor tuū. Ezechiel

Superbiæ labes.

Pro.

Ezech.10. quoq; scribit sancta animalia oculis vndiq; plena: quia sancti semper & omni ex parte debēt vigilare. *Gratias*, inquit, *ago tibi Domine, quia non sum sicut cæteri hominū, raptores, iniusti, adulteri*. Ecce fratres quàm peruersè loquutus est Pharisęus iste. Si enim gratias Deo ageret de bonis sibi collatis, benè vtiq; faceret. Ipse autē agit gratias non tam de suo bono, q̄ de alieno malo. Gratias agit, nō tam quia ipse benè egisset: quantū quia alius peccasset. Gratias agit, non tam quia ipse esset bonus: quantū quia solus. Peccauit igitur multipliciter, tum quia in bonis suis minus sibi placuit: tum quia alios cōtempsit: tum quia se eis cōparans, ex eorū depressione sibi gloriā quæsiuit: tum quia se laudauit: tum quia aliorū vitia nō cōpatiendo, sed potius insultando numerauit: tum quia in generalibus vitiis, in singularē detractionē descendit: & cùm deberet multitudinē peccatorū fratris p̄ charitatē orādo ante Deū operire, visus est apud Deū eum incusare, dicens, *Velut etiā hic Publicanus*. Quasi diceret, huic Publicano, qui non est similis mihi, nō debes parcere. *Et Publicanus à longe stans, nō audebat oculos ad cœlū leuare*. Ecōtrariò fratres, hic Pu-

Publicanus blicanus peccator erat nomine, peccator erāt opere, peccator erat cōscientia. Nomine quia Publicani dicūtur, q̄ implicātur publicis criminib⁹, vel negotiis, quæ vix vel nunquā sine peccato possunt ministrari. Peccator erat opere, quia erat talis qualē describit Pharisæus: videlicet, raptor, iniustus, adulter. Peccator erat cōscientia, seipso de se testimoniū perhibēti, cū ait: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Cùm ergo talis & talis esset: tamē quia se despexit & se humiliauit, veniā meruit. Pharisęus suas virtutes & aliorū vitia cōsiderando se extulit, & alios contēpsit. Ecōtra Publicanus sua vitia & aliorū virtutes cōsiderans seipsum despexit, & alios sibi prætulit: dū se & ab omnibus & à sanctuario separās, à lōge stetit se omnib⁹ viliorē, & sanctuario indignū iudicās. Habuit igitur maximā humilitatem, habuit & comitem eius pudorē & cōfusionem, vnde nec oculos ad cœlū attollere ausus est: Habuit igitur & maximam ex prædictis natā cordis cōtritionem. Vnde & percutiebat pectus suum, seipsum accusāns, seipsum iudicās, seipsum puniens. Cùm enim cor nostrum sit in pectore, qui

percu-

percutit pectus suum, ostendit quod cor suum eum accusat, iudicat & torquet. Habuit & veram cõfessionem, cùm ait: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Sine excusatione se accusat: sine exceptione se humiliat: sine aliqua sui præsumptione de sola gratia veniam sperat.

Sequitur pars tertia, in qua demõstratur quid superbia, quídve humilitas mereatur, cùm subditur: *Amen dico vobis, descẽdit hic iustificatus in domũ suã ab illo.* Hanc enim summus Iudex, q̃ falli nõ potest, nec fallere vult, promulgat sententiã super merita glorioſi iusti & humilis peccatoris dicẽs, *Descendit hic iustificatus in domũ suã ab illo*, id est, cõparatione illius. Simile legitur in Propheta, Iustificata est Sodoma ã filiis tuis Hierusalẽ, id est, in cõparatione filiorũ tuorum, ô Hierusalẽ, Sodoma est iusta. Ecce fratres, iudicium quod iudicauit qui scrutatur corda & renes Deus, qui nõ secundum intuitum hominũ, iudicat. Quis enim hominũ, iustũ, & nomine, & opere, & cõscientia, nõ præferret peccatori & nomine, & opere, & cõscientia? Nemo. Sed terribilis in cõsiliis super filios hominum Deus, peccatorẽ sese despicientẽ & humiliantẽ prępoſuit iusto se iactãti, & se peccatori præferenti. Timeat ergo fratres charissimi, quantũcunq; iustus, & ne desperet quantumcunq; peccator. Itaq; fratres, cùm in Ecclesia cõuenimus, & ante nos aliquã personã infamem videmus, ne eum despiciamus, nec nos ex comparatione eius bonos æstimemus: quia Deo operãte, potest illi enormitas peccatorum fieri occasiõ maioris humilitatis & pœnitẽtię: ita vt exeat magis iustificatus q̃ nos, qui de nostrorũ quasi securi remissione peccatorum, nõ satis humiles vel pœnitẽtes sumus. Nã proculdubiò quãtò quis magis humiliatur, tantò magis exaltatur apud Deũ. Vnde & generalis sentẽtia subditur. *Nã omnis, inquit, qui seipsum exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.* Seipsum exaltat q̃ se super se æstimat: qui se maiorẽ q̃ sit, appetat dici vel videri. Et ecõtrã se humiliat, qui infra se, se reprimit: nec maiorẽ se q̃ sit æstimat: nec maior appetit videri vel dici. Itaq; fratres, quia superbia est ruina etiã iustorũ: & humilitas est exaltatio etiã peccatorum: semper nosmetipsos humiliemus; semper ante oculos nostros peccata nostra habeamus:

Ezech. 16.

Exaltari sæ-ipsum.

Seipsum hu miliare.

semper infirmitatē nostrā cogitemus. Et econtrà semper aliorū bona, præcipuè, quę nondū cōsequuti sumus, admiremur. Ne cogitemus quibus simus maiores, sed quibus minores. Illos etiam qui nobis minores videntur, nos per humilitatem præcessuros pensemus: Vt ita semper humiles, timidi, & cunctis subiecti viuamus, vt exemplo domini nostri Iesu Christi, magis studeamus ministrare quàm ministrari: magis famulari quàm dominari: magis obedire quàm imperare, vt mereamur cum humilibus habere gratiam & præmium, per Dominum nostrū Christum qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XII. POST TRINIT.

2. Cor. 3. *Fiduciam talem habemus per Christū ad Deū, nō quòd sufficiētes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficiētia nostra ex Deo est, &c.* Tripertita est hęc lectio fratres mei. Primò enim ostendit qualē fiduciā ipse & cęteri Apostoli, habeāt in Deū. Secundò cōmendat ministeriū sibi à Deo cōmissum. Tertiò probat magis noui quàm veteris testamēti ministeriū glorificandū. Primū igitur ostēdens qualē fiduciā ipse & cæteri Apostoli habeant in Deū, ait, *Fiduciā talē habemus per Christū ad Deū.* Tria dicit: in quem habeat fiduciā: & per quem: & qualē fiduciā. In quē habeat fiduciā, ostendit cùm dicit, *ad Deū.* In Deū se habere fiduciā dicit Apostolus, & vt nos similiter habeamus, exemplo sui docet: quoniā solus Deus & saluare potest, vt verè diligit, & verax est. Reges autē, Principes, parētes & amici seculares, nec se, nec nos saluare possunt. Vnde Psalmista: Nolite cōfidere in Principibus nec in filiis hominū, in quibus nō est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terrā suā, &c. Sed neq; verè diligunt: quoniā omnes amici seculares non diligunt nos propter cōmoda nostra, sed propter sua. Deus verò diligit nos, nō propter cōmoda sua, sed propter nostra. Rursus nec veraces sunt, cùm scriptū sit, Omnis homo mendax: Deus autē verax. In Deū ergo solū non in temporalia, totā fiduciā nostram ponatuus fratres mei, quoniam parentes, amici, & omnia temporalia fefellerūt. Deus autē solus nō derelinquit sperantes in se. Vnde scribitur, Quis sperauit in Domino, &

Psal. 145.

Psal. 115.

Eccle. 2.

con-

confusus est? Et Dauid: Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spē meā. Per quem habeat fiduciā ostendit, cùm dicit, *per Christū*. Per Christū enim solùm habemus accessum ad Patrem, qui est reconciliator & mediator Dei & hominū, qui semper interpellat pro nobis, inquantū est homo, & saluat nos æquè cum Patre, inquantum est Deus. Illum ergo fratres mei, totis viscerib' diligamus, quoniā, vt ait Apostolus, nō est aliud nomen in cœlo, nec in terra, in quo oporteat nos saluari. Qualem verò fiduciā habeat in Deū, ostendit cùm dicit, *non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis*. Ac si dicat, nec de toto, nec de parte (vt quidam solent) in nobis fiduciā habemus, sed totam & de omnibus in Deum. Talem enim in Deum habemus fiduciā, quod nec etiam cogitandi, nec dum loquendi, vel faciendi aliquid, fiduciā à nobis habemus, sed a Deo. In quo confundit illos qui præsumunt de libero arbitrio, vel de ingenio, vel de viribus, vel de diuitiis suis cùm scriptū sit: Non saluatur Rex per multam virtutem: & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Et alibi: Qui confidit in diuitiis, corruet. Quia verò secundū loquendi vsum dicimus aliquando nos cogitare aliquid a nobis, id est, ex propria ratione, sine adminiculo alterius creaturæ, adiungit Apostolus, *quasi ex nobis*, subaudis auctoribus. Et si enim aliquid à nobis aliquando cogitamus, tamen ex nostra auctoritate aliquid cogitare non valemus: præsertim cùm nec ipsam rationem, nec per eam aliquid cogitare habeamus ex nobis, sed ex Deo: vt ait Paulus, in quo viuimus, mouemur & sumus. *Sed sufficiētia nostra ex Deo est*, in omnibus scilicet bonis. In nullis enim bonis, nec in corporalibus, nec in spiritualibus, nec in cœlestibus, nisi per ipsum, valemus abūdare. Qui nisi per nos operetur. & labor noster ad temporalia, & studiū ad spiritualia: & meritū ad cœlestia obtinenda, inefficax est. Vnde ipse discipulis suis: Sine me, inquit, nihil potestis facere. Et Apostolus, Neq; volentis, neque currentis est, sed miserētis Dei. Et alibi: Neq; qui plantat, neq; qui rigat, aliquid est, sed q incrementū dat Deus.

Psal. 72.

Act. 4.

Homo suis viribus non saluatur. Psal. 32.

Prou. 11.

Ioan. 15. Rom. 9. 1. Cor. 3.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus sibi à Deo commissum ministerium commendat, cùm subdit, *qui idoneos*

nos fecit ministros noui testamenti: nõ litera, sed spiritu. In tribus ergo nobis cõmendat suũ, cęterorumq; Apostolorũ ministeriũ, cùm ostendit à quo & quales, & cuius ministri facti sunt. A quo? à Deo. In quo dãnat eos, qui nõ à Deo, sed à se sibi ministeriũ assumunt. De qualibus Dominus: Ipsi, inquit, regnauerunt, sed non ex me. Quales? idonei. Porrò tria faciũt ministrũ idoneũ, bona vita, bona fama, bona prædicatio: quorũ vnũ sine reliquis nõ sufficit. Cuius? noui testamẽti, id est, Euãgelij. Sanè S. scriptura vocatur testamentũ triplici de causa. Quia est quasi cartha testificans fœdus inter Deũ & hominẽ factũ: quia testificatur nobis diuinã voluntatẽ quam facere debeamus: quia est quasi testamentũ hęreditatis, à Deo promissę nobis: Euangeliũ quoq; dicitur testamentũ nouũ triplici de causa: vel quia est à nouo homine Christo datũ: vel quia cõtinet doctrinã nouã, in respectu Mosaicę legis, vel quia obseruatũ, hominẽ interius facit nouũ. *Noui*, inquit, *testamenti*, subaudis cõstituti: nõ in litera, sed spiritu. In S. scriptura fratres mei, sunt duo: sensus superficialis literæ exterior, & intellectus spiritualis interior. Sensus verò superficialis literæ exterior, multos fecit errare: vt Iudæos & hæreticos: nõ attendentes ex quo sensu, vel ex qua causa fuerint verba prolata, sed quid exterius sonare viderentur. Vnde & subdit: *Litera enim occidit, Spiritus autẽ viuificat.* Hoc est quod Dominus in Euãgelio ait, Spiritus est qui viuificat: caro autẽ non prodest quicquã. Vocans carnẽ, sensum literæ exteriorem: qui quandoq; nõ solùm non prodest, imò etiam nocet. Omnia enim figuralia veteris testamenti ad literã tantùm intellecta, litera occidens sunt. Sed & etiam ipsa moralia, si quis penes ea, causam iustitiæ suæ constituat, litera occidens sunt. Sed & etiam quædam in nouo testamẽto ad literam tantùm intellecta, vt illud: Qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium, Litera occidens sunt. Legant ergo & intelligant ministri noui testamẽti sacras scripturas, nõ ex sensu quem faciũt: sed ex sensu ex quo fiunt: attẽdentes quæ historialiter, quę mysticè, quæ tropologicè, & quæ anagogicè dicantur: vt mereantur esse cũ Paulo idonei ministri noui testamenti, nõ litera, sed spiritu. In quo fratres mei, plango quosdam

Ose. 8.

Quid & quare scriptura vocetur.

Ioan. 6.

Lu. 22.

no-

nostri ordinis, qui, non dicam, spiritualem intelligẽtiam, sed nec etiam ipsam literæ crassam legere norunt, cæci & duces cæcorum, qui tot animarum rei sunt, quot per stultitiæ suæ cæcitatem in perditionem trahunt.

Sequitur pars tertia, in qua probat Apostolus magis noui quam veteris testamenti ministerium esse glorificandũ, dicens: *Quod si ministratio mortis, literis in lapidibus deformata fuit in gloria, ita vt non possent filij Israël intendere in faciẽ Moysi propter gloriã vultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Ac si dicat: Si ministrationẽ literæ legis occidentis, scriptæ in lapide ad tempus, glorificatio subsecuta est: ita vt Israëlitæ faciem Moysi non possent aspicere: quomodo ministrationem spiritus literæ viuificantis, non magis glorificatio subsequetur? ac si dicat: imò subsequetur. Est autem hæc probatio à minori, minus est enim litera: & maius est spiritualis intelligentia. Subsequẽter idem dicit, sed aliis verbis: Si enim, inquit, *ministratio damnationis in gloria est: multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.* Porrò legem vocat mortem & damnationem: triplici de causa, quia iuxta literam intellecta, occidit: quia prohibens peccatum magis irritat ad peccandum. Vnde Apostolus, Cõcupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: non concupisces, & quia sine misericordia reddebat animam pro anima. Euangelium verò vocat spiritum & iustitiam quia viuificat & iustificat. Fuit autem lex data Iudæis in lapide scripta: in quo significatum fuit, quod sicut lapis vix suscipit literas: & cùm suscipit, suscipit brutas, sed tales non de facili perdit: Ita Iudæi duri & lapidei, legalium ceremoniarum assuefactionem vix susceperunt, susceptas brutè tenuerunt: sed talem nec etiam veniente Euangelio, derelinquere voluerũt. Vnde idem Apostolus: sed vsque, inquit, hodie, cùm legitur Moyses, velamen est ante oculos eorum. Hoc tamẽ velum in passione Christi scissum est Apostolis & cæteris spiritualibus viris. Non autem solum ministerium Euangelij præcellit ministerio legis, sed etiam ipsi doctores, & ipsi executores Euangelij præcellunt doctoribus & executoribus legis. Nec illud fratres mei dico, quin quidam doctores & executores legis, quibusdam do-

Rom. 8.

1. Cor. 3.

ctoribus & executoribus Euangelij pacificari, vel etiã præcellere potuerint: sicut quidã Diaconi, quibusdam sacerdotibus: sed in genere ministerij & rei ministratæ excellentia demonstratur. Gratias itaque agamus fratres Domino Deo nostro, qui excellentiã Euangelicæ doctrinæ, nobis qui in extrema ætate viuimus, dedit: orantes eũ vt ipse nobis qualibuscunq; doctoribus. Euangelium & rectè intelligere, & vtiliter docere cõcedat: vobis quoq; auditoribus bene audire & retinere præbeat, tam nobis verò quã vobis, moribus, & operibus, & vita illud adimplere tribuat, quatenus & in præsenti vita iustificari, & in futura glorificari mereamur, per Dominũ nostrum Iesum Christũ filiũ Dei qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus. Amen.

DOMINICA XII. POST TRINITATEM.

Mat. 7. *EGressus Iesus de finibus Tyri venit per Sidonẽ ad mare Galileæ, inter medios fines Decapoleos.* In hac sancti Euangelij lectione fratres charissimi iuxta literam quinque nobis proponuntur: Sollicitudo Domini, miseria surdi & muti, rogantium charitas, virtus Domini curantis: & contrà mandatũ diuulgatio miraculi. Primò igitur sollicitudo Domini, quã habet pro salute humani generis demõstratur, cùm dicitur: *Egressus Iesus de finibus Tyri, &c.* Magnam quippè sollicitudinẽ de salute hominum habebat, qui terras, vrbes, & castra in quibus se nouerat aliquibus profecturum peragrabat. Quem nos imitantes charis. nõ expectemus vt quæramur: sed etiã ipsi quæramus, quibus proficiamus, Secundò verò miseria curandi describitur eũ surdus & mutus vocatur. Multum quippè miser erat, qui surdus simul & mutus erat. Qui enim mutus est, nec suã miseriam alij indicare: nec consilium, nec auxilium potest postulare. Qui verò surdus est, consilium salutis suæ audire non potest. Multum ergo fratres miser & miserabilis erat, qui suæ miseriæ, opem nec petere, nec etiam si daretur, poterat audire: inde est quod mutorũ & surdorũ miseriæ magis miserandũ est. Cæteri enim miseri, & si magnã habent miseriã, tamen illam possunt manifestare, & auxiliũ postulare: Surdus verò & mutus, quantò est insensibilior, tantò est miserabilior. Propterea cõpatitur ei charitas miserorũ hominum, qui adducũt eum ad Iesum, & quod

ille

ille nō poterat, pro eo rogant. Poterant quidē eū non adducere, sed tantum pro eo rogare: sed ideo eum adducunt vt manifesta præsensq; miseria, magis moueat Deū ad miserendum. Inde quoq; maiorem suam demonstrant charitatē, cùm pro misero non solùm rogāt, sed etiam ipsum adducunt & demonstrant. Quòd est contra quosdā duros & immisericordes, qui fraterni miseriæ compati nesciunt, imò ꝙ peius est, derident & maledicunt surdo, quia audire nō potest: & offendiculū ponunt cęco, quia videre non potest, cùm Moyses dicat: Non maledices surdo, nec corā cæco ponens offendiculum. Nos ergo fratres, omnem duritiam, omnem exuamus inhumanitatē, & discamus habere viscera misericordiæ super egenos & afflictos, & eis pro posse nostro subuenire, & in aliena miseria, nostrā quam habuimus, aut habere possumus, lugeamus, imitatores Dei & Domini nostri, qui nō solùm super iustos, sed etiā super iniustos, misericors est. Vnde & hic non solū ad miseriā muti & surdi, sed etiā ad miserantium precem pietate commouetur. Vnde & subditur, *Et educens eum de turba seorsum.* Ostenditur autem quarto loco virtus Domini in tribus: in doctrina, in humilitate, in potentia. In doctrina cùm dicitur, *& educens eum de turba seorsum.* Hīc enim exēplo sui nos docet, vt cùm volumus facere misericordiā & eleemosynā, turbā & frequētiam hominum fugiamus: vt eleemosyna nostra sit tanto Deo magis grata, quantò magis ab aspectibus hominum occulta. Vnde Dominus, Cùm facis, inquit, eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt, in vicis & in plateis. Te autem faciente eleemosynā, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Et alibi, Abscondite eleemosynā in sinu pauperis, & ipsa orat pro vobis ad Dominū. In humilitate ostēditur virtus Domini, cùm subditur: *Misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius.* Ecce magna humilitas Domini, qui suos sanctos digitos in aures surdi feculētas mittere, & immundam muti linguam cum sua sancta saliua tangere (cum solo verbo salutem conferre posset) non aspernatur. In quo dat nobis exemplum, vt si ipse qui ipsa munditia & sanctitas est, immunditias & infirmitates homi-

Leuit. 19.

Mat. 6.

Eccl. 29.

Humilitas Domini.

hominum non abhorruit, imò piè tractauit, præcipuè homo homines: vermis vermes: putredo putredines, nõ abhorreat attractare. Rursus in doctrina virtus Domini ostẽditur, *cum suspiciens in cælũ ingemuit*. In quo nos instruit fratres mei, vt oraturi, siue misericordiã, vel aliquod aliud bonũ facturi, semper in cælum magis mẽte quàm oculis
Psal. 120. suspiciamus, iuxta illud Prophetę: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxiliũ mihi. Deo cuncta attribuentes: de eo & in eo totũ sperantes: de nobis verò & in nobis ingemiscentes, qui ex nobis nihil possumus boni. In potentia demonstratur virtus Domini, cũ ad eius imperiũ surdo & cæco vsus audiendi donatur & loquẽdi, cũ dixit: *Effeta, quod est adaperire. Nam statim apertæ sunt aures eius, & solutũ est vinculũ linguæ eius, et loquebatur rectè.* In quo demonstrat Dominus se esse illũ eundem, qui in principio tantũ dixit, & facta sunt vniuersa. Quintò contrà mandatũ, diuulgatio miraculi demonstratur, cũ subditur: *Et præcipit eis, ne cui, quæ vidissent, narrarẽt, &c.* Sed quare fratres mei, Dominus ea quę fecerat prohibuit enarrari? ad exemplũ. Exemplũ quippe præbuit nobis vanam gloriã euitandi: vt similiter nos quãdo facimus alij misericordiã, ab eo nostri operis exigamus taciturnitatem: ne scilicet illud corrumpat aura popularis, sed fit tantò Deo magis gratũ, quãtò magis occultũ. Quod verò illi eo magis mirabãtur & loquebãtur dicẽtes: *Bene omnia fecit, etc.* Ostendit illam virtutẽ magis esse mirabilẽ quę latere quęrit, cũ latere non possit. Gloria enim sui appetitores fugit, & sequitur sui contemptores. Sed nunquid fratres mei, illi qui iussi non tacuerunt, rei inobedientiæ æstimãdi sunt? Minimè: quia non ex contẽptu, sed ex dilectione hoc fecerunt. Virtus enim, & si celari quærat, nõ tamen celari debet. Et si ille, qui eã operatur, eã occultet, ille cui fit, eam occultare nõ debet. Nec Dominus miracula sua ideo præcepit celari, quod vellet ea celare: imò ad salutẽ pluriũ latius propalari, sed prohibuit tantũ ad exemplum. Mysticè verò egressus Iesus de finibus Tyri (quę angustia interpretatur) venit per Sidonem, id est, venationem, ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos, quando propter infidelitatem dereliquit angustias Iudææ, & per venationem

Tyrus angustia interpretatur.

prædi-

prædicationis iter tenens per decalogum legis, transiit ad mare gentilitatis. Sic enim præuisum erat à Domino, vt nō nisi per Iudææ desertionem, gentilis populus reciperetur ad fidem. Vnde Propheta. Coangustatum est stratum vt alter decidat, & breue est pallium, vt vtrunq; operire nō possit. Erat autē tunc gentilis populus surdus ad intelligēdum Dei verbū. Quales hodie sunt multi in ecclesia, qui ex vitio peccati & negligentiæ suæ aurem cordis ad intelligendum Dei verbum habent surdā: Iuxta illud. Noluit intelligere vt bene ageret. Et os habent mutum ad laudādum Deum, iuxta illud: Non est speciosa laus in ore peccatoris: Qui cùm dignè pro se rogare nō possint, deuotio fidelium debet eos precibus Deo offerre ad curandum, ad quorum preces Deus sæpè illos curat, ita quod de surdis & mutis eos verbi Dei intelligentes faciat & loquentes. Porrò surdum & mutū curaturus Dominus de turba seorsum educit, ostendēs quod qui vult de vitijs suis integrè curari, debet declinare vitiosorum turbam, & peccandi occasionem. Scriptum est enim: Cum sancto sanctus eris, & cū peruerso peruerteris. Et alibi, Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Digitos verò suos in aures surdi Dominus mittit. cùm in cor surdum dona sancti Spiritus infundit. Vnde Propheta, Dominus aperuit mihi aurē. Saliua verò linguam muti tangit, cum sapientia, quæ à summo capite, id est, à Deo Patre defluit, hominē mutū facit disertum, facundumq; ad prædicandum Dei verbū. Vnde & de eadem dicitur, quod linguas infantiū facit disertas. Effeta (q̄ est adaperire) dicit, quando iussu potentissimo cor ad intelligendū, & linguā ad eloquendū Dei verbū iubet aperiri. Vnde & hæc verba in cathechismo baptizādorum dicuntur, cū de saliua aures eorū & nares tanguntur. *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius: & loquebatur rectè.* Deo enim intus visibiliter operante, qui fuerat surdus & mutus, fit statim verbi Dei intelligens & eloquens. Et recognoscens pristinam surditatē & taciturnitatē suā, suū creatorē intelligit, & benedicit. Nos ergo fratres, si per gratiā Dei iā habemus aures cordis apertas ad intelligendū, & os ad proferendum Dei verbum, diuinā bonitatē magnificemus, & fratres nostros

Esa. 28.

Psal. 35.

Eccl. 15.

Psal. 17.

Psal. 54.

Esa. 50.

ſtros adhuc ſurdos & mutos, domino curādos offeramus: deprecantes eū vt manū miſericordiæ ſuæ eis imponat: & eos ſuū ſanctū verbū intelligere, proferre & exequi faciat, quatenus ſimul cū eis diuinā maieſtatē in ęternū cōtęplari & laudare mereamur, ipſo præſtāte, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorū, Amē.

DOMINICA XIII. POST TRINIT.

Gal. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius, &c.* In hac lectione fratres chari. diſputat Apoſt. cōtra quoſdā Iudæos, qui ex operibus legis ſe habere iuſtitiā & ſalutem opinabantur. Quorum etiā hodie (vnde dolendū eſt) ſunt ſimiles quidā falſi Chriſtiani, qui ex hoc, quod quędā vitia fugiunt, & opera bona faciunt, putāt ſe eſſe iuſtos &

Pſal. 142. conſecuturos ſalutē. Vtroſq; confundit Pſalmiſta cū orādo clamat, Nō intres in iudiciū cū ſeruo tuo domine, quia

Eſa. 64. nō iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuēs. Et Prophęta, Oēs, inquit, iuſtitiæ noſtræ ſunt, quaſi pannus mēſtruatæ ante te Domine. Itaq; fratres mei, ſi veri Chriſtiani eſſe volumus, hanc fidē firmiter teneamus, q̄ ex nullis operibus noſtris iuſtificari vel ſaluari valemus, ſed ex ſola Dei gratia, qui gratis iuſtificat impiū. Non enim quia bona fecimus, iuſtificamur, ſed potius quia gratis à Deo iuſtificamur, bona agimus, & bona agendo ſaluamur. Oſtēdit igitur Apoſt. tria. Primò, q̄ nō eſt nobis ſalus, niſi ex gratia: Secundò, q̄ per Ieſum Chriſtum eſt hæc gratia. Tertiò, q̄ non ex lege. Oſtendens ergo ſalutē eſſe ex gratia ait, Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius. Ac ſi apertè dicat, nō ex operibus legis, vel aliquibus præcedentibus meritis, ſed potius gratis promiſſiones vel Abrahæ factæ, & gratis exhibitæ. Promiſſiones enim iſtæ propriè dicuntur, quæ tantū gratis fiūt, præſertim ſi attēdas à quo & quę, & cui promiſſiones iſtæ factæ ſint. A quo? à Deo, qui nec aliqua neceſſitate, nec propria vtilitate, nec aliquo debito cō ſtringi poteſt. Neceſſitate quippè aſtringi nō poteſt, qui liber penitus, imò ipſa libertas eſt: nec propria vtilitate, qui nullius indigēs eſt: nec debito, qui nulli obnoxius eſt. Qui quāuis promiſerit, tamē ex hoc vinculo promiſſi nō aſtringitur: quoniā nō promiſit niſi dignis, quod nullus poteſt eſſe, niſi quē Deus dignū gratis voluerit facere: vt ita ge-

neraliſ-

neraliter & ꝙ promiſit, & quod dignũ facit, & quod promiſſa tribuit totũ gratia fecit, quæ aũt promiſſiones dictæ ſunt Abrahæ à Deo, in Geneſi legitur, ſcilicet ꝙ in ſemine eius benedicentur oẽs gẽtes, plus ſpiritualem & æternam, quàm corporalem & temporalẽ intelligens benedictionẽ. Et ꝙ ei daret terram ſcilicet lacte & melle manantem: figurans terrã viuentium, quæ lacte veræ ſapientiæ, & dulcedine cæleſtis gratiæ manet in æternũ. Cui factæ ſunt iſtę promiſſiones? Abrahę & ſemini eius, id eſt illis qui patres ſunt multarũ gentium fide & doctrina & exemplo, & illi qui ſunt imitatores fidei, & doctrinæ, & exempli illorũ. Si ergo fratres mei ſanctarum promiſsionũ, quæ Abrahæ dictæ ſunt participes eſſe volumus, ſimus ſancti & imitatores Abrahæ cæterorumq; ſanctorum patrũ, ſimus in fide fortes, Deo in omnibus obedientes, Deũ cunctis præponentes, in ſpiritualibus & cæleſtibus eruditi, vita præclari, charitate feruidi, hoſpitalitate præcipui: exemplo patres aliorũ: vita & moribus lux orbis terrarũ. Secundò demonſtrat Apoſtolus quod per ſolum Ieſum Chriſtum gratia facta ſit, cũ ſubdit, *Non dicit et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, in ſemine tuo quod eſt Chriſtus*, id eſt quod Dominus dixit Abrahæ, in ſemine tuo benedicentur oẽs gentes. Singulariter ait, nõ pluraliter in ſeminibus, ſed ſingulariter in ſemine, ſignificans nõ per plures perſonas de ſtirpe natas Abrahæ, ſed per ſolum Ieſum Chriſtum, diuinam benedictionẽ ad omnes gentes deriuandã. Nõ enim in Patriarchis, in Prophetis, non in ſacerdotibus, nõ in rebus Iſraëliticis, ſed in ſolo Chriſto oẽs gentes dixit benedicendas. Iuxta quod prædixit Iacob. Non auferetur ſceptrũ de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Ipſe enim duos populos Iudæorum ſcilicet & gentium, in ſe caput & angularem lapidem vniens, de plenitudine gratiarum & benedictionum, quibus ſine menſura vnctus eſt, in omnes deriuauit, Quod ſignificatum eſt per vnguẽtum effuſum ſuper caput Aaron, quod deſcendit in barbam, & vſque in oram veſtimenti eius. Vtinam fratres mei, & in nos vltima membra dignetur Chriſtus de ſuarum plenitudine gratiarum & benedictionum aliquid diſtillare: vt quemadmodum

Gen. 12.

Gen. 49.

modum dedit nobis Christianis, nominis sui denominationē: ita & tribuat suæ vnctionis & benedictionis immēsæ aliquā nobis deriuationē. *Hoc aūt dico testamentū confirmatum à Deo* Quod testamentū? testamentum gratuitarum promissionū, siue promissārum gratiarū: dico confirmatum esse à Deo patre in tēpore gratiæ, per mortē testatoris Iesu Christi, quod nouū testamētum vocatur. Quod si verè sequimur & tenemus fratres charissi. pignoramur hic gratiā iustificationis nouę, & in futuro hęreditabimur æterna beatitudine. Tertiò demōstrat Apostō. quod salus nō est ex lege. Primò est hoc, q̄ cùm promissiones futuræ salutis factæ sunt Abrahæ, nondum erat data lex, nec post fuit data, nisi post quadringētos & triginta annos. Et hoc est q̄ dicit, *Quæ post quadringētos et triginta annos facta est lex non irritū facit ad euacuandā promissionē* Ac si diceret, Si lex necessaria esset ad cōsequendā promissam hæreditatem, cū ipsa simul promissione debuisset dari, vt determinaret promissionem: q̄ scilicet, nisi per legem promissa hæreditas nō posset obtineri. Sed hoc nō fuit: quoniā facta promissione, Abrahā, Isaac, & Iacob ante legem datā mortui sunt, qui tamen consecuti sunt hæreditatem, Ex hoc ergo q̄ post tantum tempus post promissionē data est, constat quia lex non irritat, nec euacuat promissionem, id est, opera legis, non destruunt gratiam promissionis. Similiter fratres mei, postquam gratis ad fidem vocati sumus, si postea aliqua bona opera facimus, non propterea gratia Dei euacuatur, nec Deus propterea tanquā ex debito præmiare tenetur, sed qui gratis vocat, gratis iustificat, & gratis præmiat. Secundo probat per indirectam ratiocinationem, quod salus non ex lege est, cùm subdit: *Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione* Est autem argumentum ab oppositis: nam merita & gratia opposita sunt. Est ergo ac si diceret, Si ex merito legalis obseruationis datur hæreditas, iam non ex gratia promissionis. Et statim assumit per destructionem cōsequentis, subdens. *Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.* Ex his tacita conclusio subintelligitur: ergo non est ex lege hæreditas. Similiter possumus colligere: si ex meritis & operibus nostris est nobis salus, iam non ex gratia: sed cō-

stans

stans est quia salus datur nobis ex gratia, ergo non datur nobis ex meritis & operibus nostris. Quæstionē quā videbat Apost. posse fieri, facit & soluit, subdens: *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est*, cauēdas & vindicandas. Ac si dicat, non fuit lex posita ad euacuandā gratiam, sed potius ad euacuandū & corrigendum peccatum. Non enim fratres mei, ideo mandata veteris & noui testamenti data sunt, quod ex obseruantia eorū tanquā ex causa daretur salus, sed vt per ea corrigeremur & instrueremur, quomodo consequi salutē valeremus. Multi enim ante legem iusti fuerunt & salutē consecuti sunt. Vnde Apost. Lex inquit non est posita iustis, sed iniustis, impiis & peccatoribus. Posita, inquit, nō semper, sed donec veniret semē, Dominus scilicet noster Iesus Christus, in quo *p*miserat subaudis Deus benedicendas omnes gentes. Fuit autē lex ordinata, id est, ordinatè statuta medio tempore inter tēpus legis naturalis, & tempus gratiæ. Primò enim fratres mei, conuincenda erat superbia humana per naturalē legem & scriptam: vt videlicet postquam intelligeret homo se de viribus liberi arbitrij, nec per legem naturalem, nec per scriptam posse iustificari vel saluari, ad gratiam confugeret: & de se desperans, totum de gratia Dei præsumeret. Fuit autem lex ordinata *per angelos*, id est, per ministeriū angelorum, per quos loquebatur Dominus ad Moysen. Vel certè angelos, id est, nūtios Dei vocat Moysen & Aaron, cæterosq; doctores legis, & tamen intantum legis ministri erant non auctores: quia lex erat *in manu*, id est, in potestate & auctoritate *mediatoris*, Dei & hominum Iesu Christi, qui tanquam omnium Dominus potestatem habuit legem statuendi quando vellet. Per quem solū (quod per legem fieri non poterat) fit gratia, pax, & reconciliatio Dei & hominum. Quod inde patet, quia *mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est*. Ac si apertè dicat, cùm propriè mediator dicatur, qui participando & conueniendo inter duos oppositos, eos adinuicem cōponit, si Christus tantum diuinæ naturæ, vel tātum humanæ esset, mediator Dei & hominum non esset. Sicut enim fratres mei aliquando videtis in secularibus, quod quādo duæ tribus adinuicem sibi inimicantur, datur vir vnius tribus vxorī

Quare præcepta veteris & noui testamenti data. 1. Tim. 1.

Mediator.

alterius tribus: vt illo matrimonio mediãte, fiat duarũ tribuũ recõciliatio. Ita cũ inimicitię essent inter deũ & hominẽ, placuit altissimo, vt homine fugitiuũ & inimicũ suum sibi recõciliaret, coniungens filiũ suũ naturæ humanæ, vt esset simul Deus & homo, vt eo mediãte, deus homini, & homo deo recõciliaretur. Cũ igitur lex post Dei promissionẽ & ad tẽpus fuit posita, nunquid inquit Paulus, *lex aduersus promissa Dei? Absit.* Aduersus quidẽ promissa Dei esset lex, si ex lege & non ex gratia promissionis, iustitia & vita proueniret. Sed hoc nõ esse ostendit Apo. dicẽs: *Quod si data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia:* subaudi & cõsequẽs eius vita. Sed hoc nõ est. Vniuersaliter enim fratres mei, verũ est, q̃ nec ex libero arbitrio nostro, nec ex obseruãtia legis, nec ex aliquibus operibus vel virtutibus nostris, iustificari vel saluari valemus, sed ex sola Dei misericordia, quæ gratis iustificat impiũ. Nec solũ lex Iudęos non iustificauit, sed etiã peccatũ auxit. Vnde & subditur, *Sed cõclusit scriptura omnia sub peccato:* quosdã enim per occasionẽ ad peccatũ magis irritauit. Iuxta illud Poeticũ. Nitimur in vetitũ semper, cupimusq; negata. Sic interdictis imminet æger aquis, quosdã quoq; p occasionẽ de operibus legis gloriari & superbire fecit. Omnes verò sub peccato conclusit. i. concludi ostendit, dum non concupiscere prohibuit. Dũ enim quantũcunq; iustus aliquando nõ concupiscere nõ possit, oes sub peccato concludi & transgressores esse legis lex demõstrauit. Et quare hoc? *Vt promissio ex fide Iesu Christi, daretur credentibus.* Ac si dicat, Ideo permisit Dominꝰ oẽs cõcludi sub peccato, vt appareret quod ex sola gratia (quæ est in fide Iesu Christi) promissio æternæ hæreditatis, daretur credẽtibus. Propterea fratres mei, oẽm glorificationẽ oẽm superbiã mentis nostræ deponamus: & malũm quod in nobis est, ex nobis habere cognoscamus, Si quid verò boni habemus, non ex nobis, sed ex solo Deo, & gratis nos accepisse intelligamꝰ. Et iuxta mandatũ Domini, cũ omnia nos fecisse putabimus, dicamus quia serui inutiles sumus: inutiles quidẽ ex nobis, si verò in aliquo vtiles sumus, ex Deo est, qui per solam misericordiam suam cùm essemus filij iræ & perditionis, gratis in filios nos vocat: vocatos gratis iustificat,

iustifi-

iustificatos gratis beatificat, si tamen de gratia eius nō ingrati fuerimus: si gratiam eius non otiosam, sed operante habuerimus: si talentum nobis commissum multiplicauerimus: & cum multiplici lucro ad Dominū reportauerimus. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia secula. Amen.

DOMINICA XIII. POST TRINITAT.

Dixit Iesus discipulis suis, Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. In hac lectione fratres charis. tria demōstrantur. Primū ostenditur beatos esse qui vident quæ Apostoli viderunt. Secundò exponitur legisperitus quærēs & exponens quomodo possit haberi æterna beatitudo. Tertiò ad interrogationē eius, ostendit Dominus quis vel qualis debeat esse proximus. Ait ergo Dominus discipulis suis. *Beati oculi qui vidēt, quæ vos videtis.* Porrò quidam viderunt Christū tantū corporaliter, vt Iudæi persecutores, alij tantū spiritualiter vt posteri Christiani, alij & corporaliter & spiritualiter vt Apostoli & discipuli. Sed Iudęi, qui tantum corporaliter Christū viderunt, non ideo beati, imò peiores effecti sunt. Quia enim virtutes & opera Christi viderūt, & eius prædicationē audierunt, & tamen nō credere, sed detrahere curauerunt, deteriores facti sunt. Vnde Dominus, *Si nō venissem, inquit, & locutus eis nō fuissem, peccatum non haberet, nunc autē excusationē non habent de peccato suo.* Nos verò sequaces, qui tantū spiritualiter & oculis fidei Christū videmus, beati proculdubio sumus, si fidei vitam tenemus. Sed beatiores discipuli, qui Christū & oculis corporis, & oculis cordis simul eū viderunt, audierunt, tractauerunt, cū eo māducauerūt & biberūt. Quid putatis fratres mei, quid dulcedinis, quid amoris, quid firmitatis cōtulerit præsens & corporea cōuersatio Christi discipulis? Per exteriores enim virtutes latentē aduertētes deitatem, tātò eū firmius crediderūt & prædicauerunt, quanto eum expressius viderunt. Vnde Ioann. *Quod fuit, inquit, ab initio, quod vidimus, quod audiuimus, & manus nostræ cōtrectauerunt de verbo vitæ, vobis annuntiamus.* At dices: Nónne Dominus ait Thomę, *quia vidisti me Thoma, credidisti: beati autē qui non viderūt & crediderunt:* Et super hoc Gregorius, *fides, inquit, nō habet meritū cui humana*

Luc. 10.

Ioan. 15.

1. Ioan. 1.

Ioan. 20.

ratio præbet experimentū. Videntur ergo beatiores qui Ie sum in carne non viderunt, & tamen crediderunt. Et quidem si fides sine visione tāta esset, quāta illa quæ fuit corroborata visione corporali, vtique non minoris meriti esse videretur, sed maioris. Sed vix fratres potest fieri, vt aliquis qui non viderit Dominum, nisi spiritualiter, tam firmam fidem habeat, quātum ille qui eum vidit simul corporaliter & spiritualiter: aliter enim degustata, aliter tantum odorata creduntur. *Multi enim Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & nō audierunt.* Quantū fratres putatis habebant desideriū antiqui sancti, qui in spiritu nouerant Christum venturū, quanta suspiria, quantā admirationē? Horū quippè desideria, suspiria & admirationes, designātur per septē antiphonas, quæ ante natale Domini per septem dies cantantur, incipientes ab ô desideratiuo & admiratiuo aduerbio: vt quando per secundum tonū, quasi plangendo cantatur, O sapientia, ó Adonai, quasi quando venies? quando te videbimus? quando te audiemus?

Sequitur pars secunda, cùm subditur: *Et ecce quidā legisperitus surrexit tentans eū, & dicens: magister quid faciendo vitam æternā possidebo?* Huius legisperiti oculi, & si videbant Dominū exterius, tamen non videbant in eo ea quæ discipuli videbant. Non videbant in humanitate diuinitatē: in humilitate, maiestatem: in stultitia, sapientiam. Habebat enim in oculo albuginem, id est, in scientia superbiā: talis à ministerio Dei reprobatur. Humilis quippè scientia videt, superbia non videt. Et superba sciētia legisperiti eum inflabat, non autem ædificabat. Ostenditur igitur ex scientia, quā sine humilitate & charitate habuit, elatus, iactator, & contemptor. Elatus quum dicitur, *surrexit*. Plus enim mente quā corpore se eleuasse intelligendus est, iactator & contemptor, cùm ea quæ nouerat, quærebat, non vt addisceret vel doceret, sed vt scientiam suam iactitaret, & alterius simplicitatem derideret. Quales (vnde dolendum est) sunt hodie plerique magistri, qui de sciētia sua inflati, legunt & disputant, non vt sibi vel aliis proficiant, sed vt se ostenderent, & simplices confundant. Sed hi profectò licèt multas literas nouerint, tamen quia albugi-

Rom. 1.

buginē habent in oculo, diuinā in humilitate sapientiam non vident. De quibus dicitur: Quia dicentes se esse sapiē tes, stulti facti sunt, dum sapientiæ verba non saporem ha bent. At Dominus qui nouerat eū causa tentādi hoc quę- siuisse, ait; *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Occa- sionem magistrandi Dominus legisperito donat, ꝙ maxi- mè affectare eum sciebat. Cùm enim superbia sciētia, etiā non interrogata, multotiens docere præsumat, tunc ma-ximè gaudet cùm interrogatur: quia locū magistrandi, & se ostentandi inuenit, quod maximè desiderabat. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*. In hoc mandato demon- stratur, quare sit diligendus Deus, & quātum. Quare? Ob tres causas. Prima est, quia est bonus in se. Quod innuit in hoc quod ait, *Deum*. Secunda, quia meruit diligi à no- bis nos creando, nutriendo, redimendo, quòd innuit cùm ait, *Dominum*. Tertia, quia seipsum in præmium diligētī- bus se tribuit. Quod innuit in hoc quod dicitur, *tuum*. Quantū verò diligendus sit, ostendit, cū ait, *Ex toto corde & ex tota anima, & ex tota mēte, & ex totis viribus tuis*. id est, ex toto ꝙ scis, ex toto ꝙ viuis, ex totō quod potes: ac si dicatur, oēs potentias, vires, virtutes, motus, & actus tuos diriges ad Deū diligendum. Sed quid vult sibi fratres mei, tanta verborū inculcatio? Nónne si dixisset tantū ex toto corde, satis dixisset? Ad maiorem fratres expressionē dictum est: & si expressius posset, expressius hoc dixisset, quoniā nunquā satis dicitur, quod nunquam satis agitur. Nūquā enim satis diligi potest Deus à nobis. Nemo enim eum tantū diliget quantū meruit, & quantū amari dignus est. *Et proximū*, inquit, *tuum sicut teipsum*. Non enim ait quantū teipsum (hoc enim à nullo exigitur) sed sicut teip- sum. Nosmet enim diligere non debemus nisi in bonū & ad bonū, id est, vt efficiamur boni. Similiter proximū no- strū non debemus diligere nisi in bono, & ad bonū, id est, in bono quod iam habet, vel vt habeat: vt scilicet bonum quod nobis ipsis volumus, proximis velimus. Discretè igi tur fratres mei, tā nos quā proximos nostros diligamus, Nam sicut peccat qui nō diligit bonū in proximo, ita pec- cat qui non odit malū in eo, *Hoc*, inquit, *fac & viues*. Ac si dicat, non sufficit tantum scire, vnde tu gloriaris.

Quomodo nos & proximum dilige debeamus.

Sequitur pars tertia, in qua legisperitus, sciens quod pluribus modis dicitur proximus, vel cognatione, vel familiaritate, vel fide, vel mente, vel loco: quærit quis in hoc loco proximus intelligatur. *In hoc volēs iustificare seipsum*, id est, se ostentare inquisitorē prudentē & iustum. *Et suspiciens in cœlum Iesus*, in quo significabat se magna & spiritualia dicturū, ait: *Homo quidā descendebat à Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, &c.* In hac parabola fratres mei, ostēdit Dominus quis sit proximus noster: Quia omnis qui naturæ particeps est: & qualis debeat esse proximus erga proximū: quia benignus & misericors per charitatē & compassione. Iuxta mysticum verò sensum, ostendit Dominus se præ cæteris proximum esse humani generis, non tantū secundu carnem, sed etiam secundū charitatem, compassionē, & redemptionē, quam nobis immeritis exhibuit. Iuxta q̄ ipse ait: Maiore hac dilectionem nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis, Ostē
Ioan. 15. duntur autē in hac parabola quatuor, ruina generis humani, persecutio diaboli, insufficiētia legis, misericordia Christi, ruina generis humani ostenditur, cū dicitur: *homo quidam descendebat ab Ierusalē in Iericho, & incidit in latrones.* Homo enim iste humanū genus est: qui in primo homine dum per superbiā ascendere voluit, descendit: Scri-
Pro. 16. ptū est enim ante ruinā exaltabitur cor: Descendit igitur à Ierusale cœlesti ad quā creatus fuerat, *in Iericho*, id est, in defectum huius mundi. Iericho verò defectus siue luna interpretatur: *Et incidit*, peccando, *in latrones*, id est, in potestatem dæmoniorū, qui latenter insidias suas sub specie serpentis rectiq; consilij occultabant. Et mox aperta persecutio diaboli ostenditur, cū subditur, *qui etiā expoliauerūt eum*, gratuitis scilicet bonis, vt virtutibus & fructibus earum, *Plagis etiā impositis*, subaudis in naturalibus bonis: vt in intellectu, memoria, & huiusmodi. Gratuitis quippè bonis eū penitus priuauerunt. Naturalibus verò bonis nō eum penitus priuauerunt: sed ea in eo deteriōrauerunt, *Et abierunt*, non lædere cessando, sed latendo, *semiuiuo relicto*. A quo & cui? A Deo, sibi homini. Fuit enim exigente peccato suo, à diuino auxilio destitutus, & suo arbitrio derelictus. Nō fuit tamen omnino mortuus, sed semiuiuus.

Quo-

Quoniã non potuit diabolus auferre penitus homini scin tillã rationis in homine, quæ ei etiã cùm peccat, dicit, male facis. Insufficientia verò legis ostenditur, cũ dicitur. *Accidit aũt vt Sacerdos quidã descenderet eadem via, & viso eo præteriit. Similiter & Leuita cùm esset secus locũ & videret eũ, pertransiit.* Porrò sacerdos & Leuita descendentes eadẽ via, sunt sacerdotiũ & ministeriũ legis: quorum ministri in eandẽ quoq; miseriã inciderunt. Et cùm essent secus eum, & viderent eũ, pertransierunt: quia sacerdotes & ministri legis cognouerũt quidẽ miseriã humani generis: & secus fuerunt per experientiã & compassionem, & non valentes auxiliũ ferre, præterierunt. Lex enim peccata monstrauit, non abstulit. Misericordia autem Christi ostẽditur cũ subditur, *Samaritanus verò iter faciẽs, venit secus eum.* Sanè Samaritanus, qui interpretatur custos, est Christus, hominũ custos. Qui iter faciens de cœlo in mundũ factus est vicinus homini per humanitatem, *Et videns*, miserias eius, *misericordia motus est. Et appropians*, per cõpassionem, *alligauit vulnera eius*, per correctionẽ & pœnitentiã *infundens oleũ & vinũ*: id est, suauitatẽ & spem veniæ, & austeritatẽ minarum. Alligat vulnera eius, dum clamat, *Agite pœnitentiã*: infundit oleum dum addit, appropinquabit enim regnũ cœlorum, infundit vinum cùm dicit, Omnis arbor quę non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. Super iumentum suum posuit: cùm peccata hominis in corpore suo super lignũ portauit. In stabulum tulit, cùm in sinu sanctæ Ecclesiæ, vt refoueretur, posuit. Curam illius agit, cũ homini modò prospera, modò aduersa, prout nouit expedire, immittit: Altera die, id est, post Ascensionem, protulit duos denarios, dum notitiam vtriusque Testamenti dat magistro Ecclesiæ, dicens illi, Curam illius habe, corripiendo, erudiendo, confortando, monendo. Et quodcunque supererogaueris, nouas sententias, monitiones, & exempla addendo: Ego quum rediero reddere vnicuique secundum merita sua, reddam tibi. *Quis horum trium videtur fuisse proximus illi qui incidit in latrones? Qui fecit*, inquit, *misericordiam in illum.* In quo ostenditur fratres mei, propinquitatẽ gentis vel carnis nullam esse in comparatione illius quę est charitatis &

Mat. 8. Luc. 3.

compassionis. Quæ quia in Christo præ cæteris abũdauit, præ cæteris est magis proximus noster & magis diligendus. Sed & post eum, quisquis est magis imitator eius magis est proximus noster, & magis diligendus. Vnde & subditur. *Vade & tu fac similiter.* Videlicet vt quemadmodũ Christus fecit pro nobis, ita & nos pro eo faciamus, eum super omnia diligentes, nos & nostra pro eo ponẽtes, omni etiam homini pro eo charitatẽ & compassionem exhibentes persequentibus nos, iniurias nostras dimittentes, prauos, Deo verbo & exemplo lucrifacientes, miseros cõsolantes, hospites susciptentes, nudos vestiẽtes, famelicos reficientes, captiuos redimentes, cæterasq; consimiles pietates Christo in membris suis facientes, vt ab eo extremã & æternam consequamur benedictionem. Amen.

DOMINICA XIIII. POST TRINIT.

Gal. 5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, &c.* Quatuor hîc facit Apost. fratres mei. Primò monet nos viuere secundum carnẽ: secundò demonstrat quanta guerra sit inter carnẽ & spiritũ: tertiò ostẽdit quæ sint desideria carnis & quod damnũ afferant: quarto demõstrat quę sint desideria spiritus, & quam vtilitatẽ conferant. Primo ergo nos monens Apostolus viuere secundum spiritũ, nõ secundum carnem, ait: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Ac si apertè dicat, desideria carnis non perficietis. Et est locus ab oppositis. Desideria quippè spiritus & desideria carnis opposita sunt, adeò vt nemo possit in hac vita desideria vtriusque simul facere. Desideria enim spiritus sunt mundum contemnere, ad cælestia toto nisu anhelare, modico contentum esse, amare ieiunia, sobrietatem, vigilantiam, castitatem, temperantiam, iustitiã, cæterasq; virtutes. Econtrario verò desideria carnis sunt, mundum amare, cælestia contemnere, in terrenis diuitiis abundare, comessari, inebriari, dormire, luxuriari, superfluè viuere, atq; iniustè, & huiusmodi. Porrò non ait Apostolus, spiritu ambulate & necessitates carnis nõ perficietis. Benè enim fratres mei, possimus simul & spiritualiter viuere, & necessitates carnis facere: vt modestè comedere, bibere, dormire, modestè possidere, & huiusmodi.

Desideria spiritus.

Desideria carnis.

Rom. 13. Vnde Paulus ad Rom. ait, ne feceritis curã carnis, sed ait vigi-

vigilãter, ne feceritis curã in desideriis carnis, necessitatem concedendo, & superfluitatẽ prohibendo. Rursus non ait Apost. & desideriis carnis nõ mouebimini: præsertim cùm motus nostri carnales in potestate nostra nõ sint. Sed ait, & desideria carnis nõ perficietis, id est, ad effectũ non ducetis. Spiritualiter enim viuere, & tamẽ aliquãdo moueri desideriis carnis possumus. Sed spiritualiter viuere, & desideria carnis ad effectũ ducere simul nõ valemus. Proinde fratres mei, spiritualiter viuere conemur, vt turpia desideria in nobis nascentia, & si nõ omninò amouere, tamẽ cõpescere & refrenare valeamus. Beatus enim, inquit Dauid, qui tenebit, id est, retinebit, & allidet paruulos suos, id est, nascentes carnis suæ motus, ad petrã, id est, ad Christum. *Psal. 36.*

Sequitur pars secunda, in qua ostẽditur quãta guerra sit inter spiritũ & carnẽ, cùm subditur: *Caro enim concupiscit aduersus spiritũ: et spiritus aduersus carnẽ: vt nõ quæcunque vultis, illa faciatis.* Caro enim sæpè impedit ne faciamus voluntatẽ spiritus. Et spiritus sæpè impedit, ne faciamus voluntatẽ carnis. Videntur autem hîc fratres chariss. quinq; inquirẽda. Primò enim quare caro dicatur cõcupiscere aduersus spiritũ, cũ caro nihil possit nisi per spiritũ. Caro hoc in loco fratres mei, nõ vocatur sola caro, sed sensualitas cum carne. Duæ quippè sunt vires siue potẽtiæ, spiritus superior & inferior. Superior est ratio, quæ cœlestia cõtemplatur & quærit. Inferior verò est sensualitas, quæ per quinq; officinas corporis temporalia sola desiderat & quærit. Superior ergo pars spiritus vocatur interior homo, siue spiritus. Inferior verò pars cũ carne, vocatur exterior homo siue caro: ideò quia à carne sola habet quod tẽporalia desiderat & quærit. Hinc est quod homo, qui viuit secundũ sensualitatẽ, homo carnalis, imò etiã totus caro dicitur. Sicut ecõtrariò ille q. viuit secundũ spiritũ, homo spiritualis, imò etiã spiritus dicitur. Secũdò quæritur vnde est tanta repugnantia inter spiritũ & carnẽ, id est, inter rationẽ & sensualitatẽ, vt altera cõcupiscat contra alterã. Ex culpa prothoplasti. Ante enim culpã creatus sic & ordinatus erat homo à Deo, vt nullã in se sentiret rebellionẽ, sed sed spiritus suo creatori subditus & obediẽs esset: caro verò siue sensualitas spiritus in omnibus sine cõtradictione *Duæ potentiæ spiritus.*

pareret. Quia verò spiritus peccãdo inobediens Deo fuit, inde merito suũ inferius, id est, carnalitas cũ sensibus suis ei obedire cõtempsit. Hinc est q̃ Adã post peccatũ se nudũ vidit, id est, se gratia & dominio (quod habebat in mẽbris suis) spoliatũ cognouit. Est ergo hęc repugnãtia in homine, nõ ex natura, sed potius ex peccato pœna inflicta. Tertio queritur quare dominus a seruis suis hãc repugnantiã nõ tollit. Quia fratres mei, nouit Dominus, eã seruis suis esse vtile tribus modis. Reddit enim eos humiliores, ne scilicet de se presumant: dũ internam rebellionẽ nõ ex se, sed ex sola gratia se posse superare videt. Reddit eos erga alios misericordiores: ex propria enim miseria quomodo aliis misereri debeãt, addiscũt. Reddit eos victoriosiores: quãtò enim maiorẽ sentiunt & vincunt pugnã, tantò maiorem cõsequentur coronã. Quartò quæritur quomodo in hac interna & tam familiari guerra poterimus victoriã obtinere. Nõ per nos fratres mei, sed per solã Dei gratiã. Vnde

Rom. 7. Apostolus, Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Sed quoniam gratia Dei non præuenit dormitantibus, si volumus hanc rebellionem vincere in nobis, instandũ est vigilãter orationi, & carnis macerationi. Porrò fratres mei, super motus cordis & carnis nostræ, vigilare continuè debemus: malos, si surrexerint, omninò extinguendo: bonos, etiam si excesserint corrigendo. Non simus sicut quidã carnales homines, q̃ nullã in se cognoscunt rebellionem: sed omnem motũ surgentem recipiũt, & nulli tentationi obsistunt. Oremus etiam & cõtra prauos motus nostros auxilium desuper queramus, dicentes cũ

Psal. 21. Psalmista, Domine, vte reues nostros & cor nostrũ, videlicet ne illi malè delectẽtur: vel illud malè cogitet, igne sancti spiritus expurga. Carnem quoq; ieiuniis & orationibus atq; laboribus macceremus, & spiritui eã seruire cogamus: quia duorum rebellium, quorũ alter debilior, tanto alter

2. Cor. 12. fortior est. Vnde Apostol. Quando, inquit, infirmor, tunc fortior sum & potens: subaudis secundũ spiritum. Quin-

Rom. 7. tò: si (vt ait Apostolus) non facimus ea quę volumus, vel si facimus ea quæ non volumus, quomodo ad præmium vel ad pœnã sunt nobis imputanda. Duæ voluntates fra-

tres

tres mei, cõtrariæ sunt in homine, vna rationis, altera sensualitatis, siue carnis. Sed secundũ illã quę superat nolẽtes iudicamus. Vult enim quilibet malus saluari, voluntate rationis, sed voluntate carnis hoc nõ vult, dũ per eam voluntati cõtraria facit. Quia ergo volũtas carnis in eo superat voluntatẽ mentis, magis nolens q̃ volẽs saluari, debet iudicari. Similiter aliquis bonus vult voluntate carnis cognoscere alterius vxorem, sed secundùm voluntatem spiritus hoc nolens, voluntatem carnis refrenat: hic magis nolens quàm volens cognoscere mulierem debet dici. Propter hanc duplicem voluntatem dicit Salomon, Vult & non vult piger. Omnia ergo quæ facimus fratres mei, secundùm voluntatem quæ superat, non secundũ eam quæ superatur, nobis debent imputari. Propterà fratres, carnis voluntatem in nobis refrænemus, & bonã spiritus voluntatem in nobis nutriamus. *Quod si*, inquit, *spiritu ducimini, nõ estis sub lege.* Carnales & peccatores sub lege arctantur: Spirituales verò viri lege non indigent, cum propria ratione regantur. Vnde Apostolus, Lex, inquit, non est posita iustis, sed iniustis & peccatoribus.

Duæ voluntates in homine cõtrariæ.

Prou. 13.

Sequitur pars tertia, in qua Apostol. enumerat desideria carnis, dicẽs, *Manifesta autẽ sunt desideria carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorũ seruitus, &c.* Dicitur autẽ fornicatio omnis coitus præter legitimũ. Immunditia verò est omnis coitus contra naturã. Impudicitia est omnis impudẽtia quæ fit vel in verbis, vel in motibus, vel in gestibus dissolutis. Luxuria est omnis luxus vel ciborum vel vestiũ, vel quarumlibet superfluitatum. Idolorũ seruitus, duplex est. Alter eorum qui cultum Deo debitũ exhibent creaturæ. Alter eorũ qui creaturam præponunt creatori, vt auarus, qui præponit nummum Deo, & luxuriosus meretricem, & gulosus ventrem. Veneficia sunt quę per venena, vel magicas artes exercentur. Inimicitiæ sunt quando non vitia, sed ipsi homines odio habentur. Contentiones sunt pugnę verborũ factæ vel de re inutili vel de vili inutiliter. Aemulationes sunt malorũ in prosperitate sua. A quib⁹ nos dehortatur Dauid, dicẽs: Noli æmulari in malignãtibus, neq; zelaueris faciẽtes iniquitatem: quoniã tanquam fœnũ velociter arescent, &c.

Idolorum seruitus duplex.

Emulatio.

Psal. 36.

Dissentio sectæ.

Iræ

Iræ. Iræ sunt cõmotiones mentis cõtra hominẽ, non cõtra vitium, vel cõtra vitiũ immoderatè. Rixę sunt alternæ & cõtumelioſæ lacerationes ad modum canũ, vnde & a ringo ringis, rixæ denominatæ sunt. Diſſentiones sunt, quando aliqui à veritate, vel ab vſu cõmuni pertinaciter diſſentiũt. Sectæ sunt, quando aliqui vnitatẽ fidei, vel charitatis, vel

Inuidiæ. cõmunitatis ſcindunt. Inuidiæ sunt, quãdo aliqui de bonis aliorũ vtuntur. De qua Poeta dicit, *Iuſtus inuidia nihil eſt, quæ protinus ipſum auctorẽ damnat, excrutiatq; ſuũ.*

Homicidia. Homicidia dicuntur pluraliter: quoniã ſex sunt ſpecies homicidiorũ. Et ebrietates sunt frequẽtes & immoderatę potationes.

Ebrietates Comeſſationes sunt, frequentes, immoderatęq;

Comeſſationes. epulationes. *Et his ſimilia*, inquit, ſubaudis vitia, *quæ prædico vobis, ſicut prædixi*: vt ſcilicet caueatis ab his dum habetis tẽpus pœnitentiæ & emẽdationis. Nã hæc & ſimilia vitia, adeò sunt dãnoſa: *quoniã qui talia agũt*, ſubaudi finaliter, *regnũ Dei nõ conſequẽtur*, id est, dãnabuntur: nullũ est enim mediũ. Propterea fratres mei, omni ſollicitudine, ab huiuſmodi cauete. Sed & ſi fortè aliquãdo talia feciſtis, dũ licet, pœnitẽtię lachrymis vos abluere memẽtote.

Sequitur pars quarta, in qua enumerat Apoſto. deſideria ſpiritus, dicens: *Fructus autẽ lucis sunt, charitas, gaudiũ, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mãſuetudo, modeſtia, cõtinentia, caſtitas.* Sed quare Apoſtolus loquẽs de de vitiis, ait, *opera carnis*: loquens verò de virtutibus, ait, *fructus lucis*? Quoniã vitia tanquã opera caduca citò cadunt & tranſeunt: virtutes verò tanquã fructus multiplicantur, & mentẽ illuminãt, & ad lucẽ æternã trahũt. Charitatẽ autẽ, id est, dilectionẽ Dei & proximi, ideò cæteris præponit, quoniã ipſa est fons & origo omniũ virtutum: hac enim habita, cætera habẽtur: & qui hanc nõ habet, fa

Prou. 14. ctus est omniũ reus. Gaudiũ, non ſeculare, cuius extrema luctus occupat: ſed ſpirituale, quod est in ſpe, vel in re ſpi-

Mat. 10. rituãlis & æterni boni. Pax, nõ illa, de qua Dominus, Non veni, inquit, pacẽ mittere in terrã, ſed gladiũ: ſed illã qua pacificatur homo Deo, ſibi, & proximo. Patientia quæ est æquanimitas aduerſa ſuſtinendi. Longanimitas, quæ est virtus per quã ſine fatigatione lõgius aduerſa ſuſtinemus, & prędia ſperamus. Fides, quę est perceptio inuiſibiliũ, ad

ſalu-

salutẽ pertinentiũ cum assensione. Bonitas, quæ est virtus omnẽ detestans malitiã. Benignitas, quæ est virtus prompta & exposita ad benefaciendũ. Mansuetudo, quę est virtus faciens nos tractabiles & humiles ad obediendũ. Modestia, quæ est virtus refrenans in nobis prauos motus, & omnẽ intemperantiã. Continentia, quę est virtus etiam à concessis continens. Castitas, quæ est virtus castrans in nobis omnẽ libidinẽ. Et quã vtilitatẽ cõferunt ista? Libertatem à iugo legis & vitiorũ. Vnde & subdit, *aduersus huiusmodi nõ est lex*, id est, tales nõ dãnat, neq; premit lex, sicut Iudæos. *Qui autẽ*, inquit, *sunt Christi, carnẽ suã crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, id est, qui supradictas virtutes Christi habent, vitia & carnales concupiscentias in se mortificauerunt, & Deo viuunt. Propterea vitia & carnis petulantiam per ieiunia, vigilias, labores, & orationes, in nobis mortificemus. Charitati, paci, patientiæ, temperantiæ, castitati, cæterisq; virtutibus insistamus, vt mortui mundo, viuamus Deo: & hic vita spirituali, & in futuro vita cœlesti. Per Dominũ nostrũ Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XIIII. POST TRINIT.

CVm iret Iesus in Hierusalẽ, trãsibat per mediã Samariã & Galilææ. Et cùm ingrederetur quoddã castellũ, occurrerunt ei decẽ viri leprosi. In hac S. Euãgelij lectione, fratres chariss. primò iuxta literã sex sunt cõsideranda. Domini circa salutẽ hominũ sollicitudo, eiusdẽ prona miseratio, legis obseruatio, leprosorũ fides & obedientia: diuina in Christo potentia: quantum sit bonũ gratitudinis, & quantũ malũ ingratitudinis. Porrò sollicitudo Domini circa salutẽ hominũ in hoc apparet, quoniã cùm pro salute hominũ de cœlis descendisset ad terras, dum fuit in terra, semper circa eandẽ rem fuit sollicitus eundo in labore & siti, & per insidias de loco ad locũ circumeundo vrbes & castella, & loca, in quibus præsciebat aliquẽ ad vitã prædestinatum se inuenturũ: vt ita filios Dei (sicut ipse ait) qui erant dispersi, congregaret in vnũ. In quo pastoribus S. Ecclesiæ exemplum dedit, idem faciendi. Hoc sequentes fecerunt Apostoli: hoc & reliqui Patres præponentes quietem suam *Luc. 17.* *Ioan. 11.*

suam per labores, penurias, & insidias, pergebant Deo lucrum facere animarū. Heu quid dicam super pigritiā modernorum Pastorum, qui spernentes salutem animarū, de quiete sua nunquā exeunt, nisi forte trahat eos lucrū pecuniarum. Quos si forte pauper decubans in grabbato ad se vocauerit, super anima sua ab eis consiliū quęsiturus, indignantur & cōtemnunt ire, vbi sciunt lucru pecuniarū deesse: vel si fortè timentes auctoritatē maiorē inuiti eant, causantur tempora & vias, & maledicūt infirmis, pro quibus orare debuerant. Sed isti in numero pastorū habendi non sunt, sed mercenariorū. Miseratio autē Christi in hoc apparuit, quoniā vt vidit decē leprosos, eorū misertus est. Dās nobis exemplū, vt semper erga miserorū afflictionē, viscera misericordię in nobis habeamus. Vnde ipse alibi di-

Luc. 6. cit, estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Quod apertè cōtra illos est, qui ac si ferrei essent, aliorū miseriei nulla mouentur cōpassione. Sed, vt ait Ia-

Iacob. 2. cobus, Iudiciū sine misericordia fiet ei, qui nō fecerit misericordiā. Legē etiā se obseruare Christus demōstrat, quādo iuxta quod in lege scriptū erat, leprosos mittit ad sacerdotes. Porrò fratres, si subtiliter inspiciamus, triplici de causa misit Dominus leprosos ad sacerdotes. Prima est, vt

Quare Christus leprosos misit ad sacerdotes.

in hoc se nō destruere legē, sed adimplere demōstraret. Secunda, vt sacerdotes honoraret, & eos honorādos esse, & offerendas eis faciendas demonstraret. Vnde confutantur illi, qui Sacerdotes domini ob viliorem eorum vitā honorare & eis deferre detrectant, nō considerantes quod non ministrū in se, sed Deum in ministro honoramus: & quod sacerdoti, nō propter se, sed Deo, in eo supplicamus & offerimus. Tertia causa est, vt spiritualem lepram, id est, culpam criminalem, sacerdoti per confessionem significaret esse demonstrandam. Fidem quoque & spem se habere leprosi testati sunt, quādo *Iesu miserere nostri*, clamauerūt. Nisi enim eum misericordiā talē sibi posse conferre crederent, eum nunquā super hoc rogarent: & nisi sperarēt, sanitatem ab eo non postularent. Obedientiam etiam Domino exhibuerūt, cum ad eius præceptū mox ad sacerdotes cucurrerūt. Sed cōsideremus fratres mei hic quanta sit virtus obedientiæ fidelis. Non enim legitur hic quod vs-

Confessio.

que

que ad sacerdotes peruenerint, sed in cœpto & proposito eundi mũdati sunt, & voluntas pro facto reputata est. Hic fratres cõtendamus habere virtutem fidei & obediẽtiæ. Si enim habes fidẽ & obedientiã, & si nõ potes quod iuberis, fac quod potes: & pro facto reputabitur. Vt enim ait Samuel. Melior est obedientia quã victimæ. Legimus autẽ in vitis patrum, quod cùm quidã Abbas vellet obedientiã cuiusdã nouitij tentare, præcepit ei vt in clibanum ardentẽ prosiliret. In quẽ cum ille dicto citius prosiliisset, incombustus exiuit. Maurus quoq; ad iussum sancti Benedicti Placidum puerum de aquis extrahens more Petri super aquas ambulauit. Quid plura? Quid boni obedientia habeat, malum inobedientiæ prothoplasti demõstrat. Diuinam verò se habere potentiam Dominus demõstrauit, quando leprosos absentes sine alicuius facti vel dicti adminiculo, sola voluntate sanauit. Vt apertè demonstraret se illum esse de quo propheta canit: Dominus autẽ in cœlo, omnia quæcunque voluit, fecit. Quantum autem sit bonum gratitudinis, & quãtum sit malũ ingratitudinis, ostẽditur, cum subditur, *Vnus autẽ vt vidit quia mũdatus est: reuersus est cũ magna voce magnificans Deũ. Et cecidit in faciẽ suã ante pedes Iesu gratias agẽs.* Cõsideremus autẽ fratres mei, quod dicitur: Vt vidit quia mũdatus est: & quod cum magna voce magnificans Deum, & quia cecidit in faciem suam ante pedes Iesu gratias agens. Vidit, quia mundatus, id est videns de se tali prius per culpã, talem factum esse per gratiã, reuersus est non solùm corde: sed etiã opere, ad suum mundatorem, magnificans diuinã potentiã: *magna voce*, nõ tam clamosa quàm deuota: *cecidit in faciem suã*: de meritis suis se cadere cognoscens: & emendationẽ suam olim auctori adscribens: & de gratuito bono illi gratias agẽs. Benè autem hic Samaritanus, id est custos erat, quia collatũ sibi beneficiũ in memoria custodiebat. Et hoc cõtra illos qui beneficij immemores fuerunt. Quantum verò sit malum ingratitudinis, ostenditur cùm Dominus ait, *Nonne decẽ mundati sunt, & nouẽ vbi sunt?* Ac si apertè dicat: quia ad agendas gratias non reuersi sunt, ideirco, vt debuerunt, per malum ingratitudinis deuoluti sunt ad pristinam lepram, imò peiorẽ quàm ante-

3. Reg. 13.

Psal. 13.

anteriorem, *Non est*, inquit, *inuentus qui rediret & daret gloriã Deo, nisi hic alienigena*. Ac si dicat, noti & cognati mei, more suo semper mihi ingrati existunt. Cumq; multi diuina sint experti beneficia, nõ inuenitur qui Deo gratus existat, nisi vnus, amator charitatis & vnitatis. Nam etiam ipsi Iudæi indignè mihi de collatis sibi beneficiis ingrati existunt, sed Gentilis alienigena, qui per legem ad agẽdas gratias instructus non est, mihi solus gratus est. *Fides*, inquit, *tua te saluũ fecit*. Quare Dominus in huiusmodi dicere solitus erat, *fides tua te saluũ fecit*, quàm spes vel charitas tua? Sicut enim illa: ita & hæc ad salutẽ sunt necessaria. Sed tunc cùm essẽt ferè omnes infideles, primò fides quærebatur, quæ est fundamẽtum omniũ virtutum. Nec tamẽ intelligenda est hic fides sola, sed fides cum spe & dilectione. *Vade*, inquit, *in pace*: id est, in pacẽ mẽtis profice, vsq; in pacem ęternitatis. Iuxta mysticũ verò sensum, quatuor nobis cõsideranda sunt. Primò quo & per quã viam debeamus ire. Quò? in Hierusalẽ. Per quã viam? Per mediam Samariã & Galilęã, id est, per custodiã mandatorum Dei, ita pergere debemus, vt nec ad minus, nec ad nimis declinemus. Ita mediocritatẽ virtutum teneamus, vt nec ad vlteriora, nec ad citeriora vitia appropiemus. Ita teneamus largitatem, quod nec ad prodigalitatẽ, nec ad auaritiam declinemus: ita iustitiã, quod nec ad credulitatẽ, nec ad laxitatem, appropiemus: & similiter in cæteris. Debemus etiã desiderio trãsmigrare ad cœlestia, & sursum habitare mẽte: vt dicamus cum Propheta, Portio mea hęc in terra viuentiũ. Et illud, Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã? Qui enim hic mente habitãt, ad cœlestẽ Hierusalẽ nõ pergunt. Secundò insinuatur nobis ab istis decẽ leprosis, quomodo debeamus postulare à domino intus mundari. Illi enim domino occurrerunt, à longè steterunt, vocem suã leuauerunt, & dixerunt, *Iesu præceptor miserere nostri*. Per decem leprosos significãtur illi, qui quãuis decalogũ legis professi, per aperta crimina notabiles sunt. Quales (quod sine gemitu dicere nõ possum) pleriq; nostrũ sunt. Si ergo fratres, peccatis leprosi sumus, exemplo horũ Domino per gratiã venienti, occurrere debemus p̃ desideriũ. Nec esse graues oportet ad surgendũ,

Psal. 141.
Psal. 72.

sicut

sicut quidã sunt, qui vix flagellis & tribulationibus emendari volunt. Stemus etiã à longè, vt scilicet propriæ lepræ conscij nos humliemus, iudicantes nos indignos, qui vel accedamus cõsortio hominũ, vel sanctuario Dei, sicut Publicanus fecisse legitur. Leuemus etiã vocẽ nostrã magis deuotione q̃ clamore: nõ alienam vocẽ, sed de affectione intimi cordis procedentẽ. Et dicamus fide & deuotione, Iesu præceptor, cuius scilicet præcipere est facere, miserere nostri, nos a lepra peccatorũ abluẽdo. Tertiò insinuat nobis dominus, quomodo ipse criminosos à peccatis emundet, cũ ait: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Cùm enim quotidiana & leuia peccata, qualibet leui satisfactione, etiam sine expressa cõfessione nobis dimittantur leprã, id est, maiora crimina præcipit nobis Dominus sacerdotibus ostendere, & iuxta eorũ mandatũ satisfacere. Sed quare cũ p̃ se Dominus ea mundare posset, sacerdotibus cõfiteri præcepit? Et triplici ratione. Vt scilicet nemo propter peccata desperaret, dũ Medicũ peccatorũ iuxta se inuenire posset. Vt etiã in hoc quisq; mereretur, quod homini q̃li scilicet suo se humiliaret: vt etiã alter alterius onera portaret. Sed quid est q̃ leprosi anteq̃ perueniãt ad sacerdotes mundantur in via: nisi q̃ peccatores dũ pœnitẽdo eunt, vel ire volũt cõfiteri sacerdotib⁹, in hoc proposito à peccatis mundãtur? Hinc Dauid, Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiã meã domino: & tu remisisti impietatẽ peccati mei. Quasi diceret, deliberaui apud me peccatũ meũ cõfiteri, & tu domine remisisti. Tamẽ nõ idcirco spernãt peccatores peccata sua sacerdotib⁹ cõfiteri: quoniã ex contẽptu tenerentur rei. Et si enim in cordis cõtritione peccata dimittantur, nõ tamẽ Ecclesiæ esse dimissa ostẽduntur, Deus quippè, vt auctor, soluit vel ligat. Sacerdos verò vt minister, ligatũ vel absolutũ esse demõstrat. Hinc est q̃ Lazarũ, quẽ p̃ se in tumulo suscitauerat, discipulis dominus iubet vt absoluant, & abire sinant. Quartò demõstratur nobis quomodo ingratitudinẽ fugiẽtes, de emũdatione aut gratiarũ collatione gratias Deo agere debeamus. Est aũt triplex ingratitudo. Prima illorũ, q̃ de collato beneficio gratias Deo nõ referunt. Secunda illorũ, qui ad vomitũ redeũt. Tertia eorũ, q̃ talentũ cõmendatum inutiliter abscõdunt. Quibus om-

Quare dominus præcepit cõfiteri.

Psal. 31.

Triplex ingratitudo.

nibus nō solū ꝑ ingratitudinē gratiæ subtrahūtur, & vitia
Mat.12. redeūt, sed etiā peiores efficiuntur, Domino alibi attestan-
Luc.11. te. Et fiūt inq t nouissima hominis illius peiora prioribus.
Nos ergo fratres, exēplo decimi leprosi cōsideremus, qua-
les fuerimus ex culpa nostra: & quales sumus ex gratia.
Reuertamur corde ad Deū emundatorē nostrū: eius mi-
sericordiam magna cordis deuotione laudemus: & cada-
mus ante pedes eius, nō retro vt Heli in mortē, sed in fa-
ciē, id est, in proprię fragilitatis cognitionē, nobis peccata,
& deo bonū ꝙ habem⁹ attribuētes, & inde ei gratias sē per
referentes. Nec solū fratres de bonis nobis collatis ei gra
tias referamus, sed etiā de dānis & flagellis, dicētes cū bea-
Iob.1. to Iob. Si bona suscepimus de manu Domini, mala etiam
quare nō suscipiamus? Dominus dedit, Dominus abstulit,
sicut Domino placuit ita factū est, sit nomē Domini bene-
dictū. Agere. n. in prosperis gratias etiā quorundā malorū
Psal.148. est. Vnde Dauid, cōfitebitur, inquit tibi cū benefeceris ei.
Agere etiā in aduersis gratias: tantū bonorū est: q ipsa ad-
uersa, magna dona esse intelligūt: ꝑ quę pius pater filios,
quos magis diligit, corripit. Inter quos fratres, hìc corripi
a Deo diligamus, vt cū eis cōsolari mereamur. Amen.

DOMINICA XV. POST TRINITAT.

Galat.5. *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus, &c.* Triperti-
ta est hęc lectio, fratres chariss. Primò enim nos horta-
tur Apost. ad spiritualē vitā. Secūdo ostēdit quę vita sit spi
ritualis. Tertiò præcipit, vt subditi magistris suis spiritua-
libus omnia bona sua cōmunicēt. Hortās ergo nos Apo-
stolis primò ad spiritualē vitā, ait: *Si spiritu viuimus, spi-*
Quatuor modis in scriptura accipitur spiritus. *ritu & ambulemus.* Quatuor modis, fratres mei, accipi-
tur hoc nomē Spiritus in sacra scripturta. Quandoq; enim
ponitur ad significandū spiritū humanum: vt quādo dici-
tur, quod homo cōstat ex corpore & spiritu. Quādoq; ve-
rò ponitur ad significandum partem ipsius spiritus: super-
iorem scilicet rationem, vt ibi. Spiritus quidē promptus
est, caro autem infirma. Quandoq; verò ponitur ad signi-
ficandum interiorem literæ intellectum: vt ibi, litera oc-
Mat.26. cidit, spiritus autem viuificat. Quandoque etiam poni-
Luc.24. tur ad significandum spiritum sanctum. Spiritus ergo se-
2.Cor.5. cundum primam acceptionem, cōfert nobis, vt etiam vi-

uamus

uamus corporaliter. Secũdum verò secundam & tertiam & quartam acceptionem, confert nobis, vt viuamus spiritualiter. Ait ergo Apostolus, *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Ac si apertè dicat, si nec spiritualiter, nec etiam corporaliter possumus viuere, nisi ex spiritu, secundum spiritus, non secundum carnis voluntatem operemur. Non simus ergo fratres mei, similes Adæ, qui abiit in cõsilio impiorum, suggestionibus scilicet vxoris & serpentis consentiendo, sed potius tentationes diaboli repellentes, carnem nostram ieiuniis & macerationibus cogamus consilio spiritus obedire.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus, quæ vita sit spiritualis: ea scilicet quæ vitia fugit, & virtutes sequitur, Vnde & subdit, *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, subaudis nec cæterorum vitiorum. Sed ideo hîc potius ponit vanam gloriã: quoniam ea præcipuè viros spirituales solet impugnare, qui habẽt multa bona vnde glorientur. Est enim vana gloria, quãdo aliquid de bono quod habet vel habere videtur, nõ Deo, sed sibimet gloriã tribuit, vel quærit, vel recipit. Ideo autẽ dixit de bono quod habere videtur, quoniam hypocrita etiam de bono quod simulat humanã gloriã captat. Cæteri, si gloriantur de bono quod habẽt, (de bono dico spirituali vel corporali) sed de corporali bono gloriantur & superbiunt, tantũ seculares & bruti homines. De spirituali verò bono, plerunque ipsis magnis & spiritualibus viris accrescit gloria & elatio. Sed istorum omnium, alij de bono quod habent, sibimet attribuunt gloriam, à se, vel ex meritis suis illud se habere putantes. Alij verò exterius humanam captant gloriã, & si non sit qui eos laudet, ipsi seipsos laudare nõ erubescũt. Alij autẽ sunt, qui etsi de bono suo laudem humanã non quærunt, tamen ab alijs oblatam recipiunt. Qui quanuis ad laudẽ sibi oblatam erubescant, & se fateãtur indignos, tamen intus ad auditam laudem animus gaudet & gloriatur. Hæc autem gloria inanis siue vana dicitur: quia à gloria vera æternæ retributiones cassatur. Vnde Dominus de huiusmodi ait: receperunt mercedem suam, gloriam scilicet temporalem quam quæsierunt, non æternam. *Inuicem*, inquit, *prouocantes, inuicem inuidentes.* *Mat. 5.*

Proprium est glorioſorum hominum, vt alios prouocent ad contentionem & certamen: vt in ipſo certamine appareant ſuperiores. Quod ſi eos ſuperare non valent, inuident, & de bono eorũ cruciãtur. Nos ergo fratres chariſſ. de bono ſi quod facimus: nec intus in nobis gloriemur: nec exterius ventulũ humanę gloriolæ captemus, nec oblatum recipiemus: ſed laudantis verba interrumpamus, dicentes: Non laudaueris hominem in vita ſua, lauda poſt mortem. Tunc enim nec laudans adulatur, nec laudatus tentatur. Sed quoniam non ſufficit vitia cauere, niſi etiam bona faciamus, addit Apoſtolus: *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Hortatur autem hic nos ad cõpaſſionem, & ad inſtructionem delinquentium: quod maximi meriti eſſe teſtatur Iacobus, dicens: Si quis conuerti fecerit peccatorẽ ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Iacob. 5.

Porrò aliter corripiendi ſunt fortiores & ſapientiores, quando peccant: aliter fragiliores & rudiores: aliter qui peccant ex præconſideratione: aliter qui ex præoccupatione: aliter qui in pluribus: aliter qui in vno: aliter qui faciunt quod non deberent: aliter qui non faciunt quod deberent, quod eſt delictũ. Qui enim fortior & ſapientior eſt: vel qui peccat ex præconſideratione: vel qui peccat in pluribus: vel qui facit cõtra præceptũ manifeſtè, grauius arguẽdus eſt. *At ſi homo*, id eſt, fragilis, *fuerit præoccupatus* ſubitò, nõ in pluribus, ſed in aliquo delicto: *vos qui ſpirituales eſtis*, ad quos ſcilicet pertinet peccantes corrigere: *inſtruite huiuſmodi*, & hoc *in ſpiritu lenitatis*: non eos ſcilicet deridendo vel execrando, vel ad deſperationem prouocando (vt quidã ſolent) ſed potius ad pœnitentiã exemplo peccatorũ conuerſorũ trahẽdo, & veniã promittẽdo. *Conſiderans*, inquit, *teipſum, ne & tu tenteris*. Ac ſi dicat, cùm cõſideras homines, cõſidera quoq; teipſum, qui homo & fragilis es, & ſimiliter potes tentari, vel iam tentatus es. Et in te addiſce, qualis inter cæteros eſſe debes. Nihil enim fratres chariſſ. plus mouet hominẽ ad pietatẽ & compaſſionem, quàm proprij periculi conſideratio. Hinc eſt quod Dominus Petrũ principem Apoſtolorũ, primùm per-

permisit cadere, vt videlicet in seipso disceret quomodo cæteris misereri deberet. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi.* Est onus peccatorum, & est onus necessitatum: est & onus molestiarum. Onus ergo fratres mei, peccatorum proximi portemus, pro eis orando, eos corripiendo, & ad emendationem vocando. Sic enim fecit Christus: qui non solùm peccata nostra tulit, orando, corripiendo, & ad emendationem vocãdo, sed etiã pœnã pro eis in suo corpore portando. Ipse est agnus qui tulit peccata mundi. Onus quoq; necessitatum proximi portemus, ejus indigentiis & afflictionibus cõpatiendo, consulendo, & subueniendo. Sic enim fecit & docuit Christus, qui indigentiis & afflictionibus humanis cõpassus est, cõsuluit & subuenit. Onus etiã molestiarũ proximi nostri portemus: indignationes, cõtumelias, & iniurias ab illis nobis illatas æquanimiter patiendo, & pro eis affectuosè orãdo. Sic enim fecit & docuit Christus, qui persequutorũ odia, cõtumelias & iniurias passus & cõpassus est: reddens pro odio dilectionem: pro cõtumeliis orationem: pro iniuriis beneficẽtiam. *Si quis autẽ*, inquit, *existimat se aliquid esse (cùm nihil sit) ipse se seducit.* Generaliter fratres mei, hoc verũ est: Quia si quis se existimat aliquid esse, in quo nihil est, ipse vtiq; se seducit. Si quis æstimat se non egere aliorum auxilio, ipse se seducit. Si quis æstimat se ex meritis suis aliquid esse, vel respectu aliorũ, ipse se seducit: Et huiusmodi, *Opus suum probet vnusquisque: & sic gloriam in seipso tantũ habebit, & non in altero.* Porrò opus probũ & probatũ est, quando & in genere est bonũ, & in intentione, & à vana gloria vel superbia est incorruptũ. Multi quippè faciunt opus bonũ in genere, sed distortum intentione: vt ille qui facit eleemosynã propter vanam intentionẽ. Multi quoq; faciunt opus bonũ in genere, & rectũ intentione: sed corruptum à vana gloria vel superbia, vt quando scilicet ex latere se adiungit vana gloria in faciendo, vel post factum. Quando autem in ipsa intentione est vana gloria, facti sunt hostes in capite: quãdo verò se adiungit rectæ intentioni nostræ: iuxta iter. scandalum posuerunt nobis, quando verò sequitur post factũ, calcaneo nostro insidiati sunt. Qui ergo opus suũ probat

Ioan. 1.

Psal. 139.

in genere, & in intentione, & in cõseruatione. ille, inquit, gloriam in seipso tantùm habebit: Non ait à seipso, quia à Deo tantùm gloria vera est. Sed in ipso, id est, in conscientia sua: non extra. Quod exponens subdit, *& nõ in altero*: id est, non ex malorum, vel minus bonorũ cõparatione, vel ex adulatorũ laudatione, vt pleriq; faciunt, sibi gloriã attribuentes: Qui enim ita gloriatur, decipitur. At qui de bono sibi à Deo dato, gloriatur in Deo, apud seipsum benè agit. Vnde Apostolus, Gloria, inquit, nostra, testimonium est conscientiæ nostræ. Nunquid maius malum vel minus bonum aliorũ est laus nostra? minimè. *Vnusquisque enim onus suum portabit.* Non est autem fratres, hoc cõtrarium ei quod superius dictũ est, Alter alterius onera portate. Hoc enim dictũ est contra illos, qui ex alieno peccato, se vel laudari vel maculari putant. Vnusquisq; enim onus, id est, pœnã substinebit pro peccato suo, nõ alieno: nisi fortè alienum peccatũ per cõsensum vel per incuriam faciat suum. Illud verò dictum est, contra illos qui adeò duri sunt, quod nesciunt cõpati proximorũ indigentię vel fragilitati: Nos quoq; fratres ita compatiamur peccatoribus, quod eorũ peccatis per consensum non inuoluamur: & ita refugiamus proximorum peccatis inuolui, quod eis per compassionem approximemus.

B. Cor. 8.

Sequitur pars tertia, in qua præcipit Apostolus, vt subditi omnia bona sua communicẽt spiritualibus magistris suis, dicens: *Communicet autem is qui catechizatur*, id est instruitur *verbo, ei qui se catechizat in omnibus*, quod etiam Dominus in Euangelio præcipit. Quare? Triplici ratione. Primò quia debitũ est. Vnde Dominus, Edentes, inquit, & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius cibo suo. Et Apostol. Si vobis, inquit, spiritualia seminauimus: magnum est si vestra carnalia metamus. Et Dominus in lege, Non alligabis, inquit, os boui triturãti. Secundò quia expediens est. Si enim necesse esset spiritualem magistrum esse sollicitum pro necessariis corporis, impediretur à lectione, & oratione, & prædicatione, & à cæteris spiritualibus studiis, in quibus propter subditos debet vigilare. Propterea vt esset expeditus ad spiritualia, præcepit Dominus, vt à subditis acciperet necessaria. Vnde

Luc. 10.

1. Cor. 9.

Deut. 25.

de & in eo superfluitas capillorũ & barbę resecatur: ne visum vel auditũ, vel cęteros eius sensus impediãt: vt p hoc intelligat à se debere resecari exteriorũ curarũ superfluitatẽ. Tertiò, quia vtile est. Vtile est enim secularibus personis, vt per subministrationẽ temporalium, se participes faciant meritorũ spiritualiũ virorũ. Vnde Dominus, Qui recipit, inquit, Prophetã in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Non ait mercedem pro Propheta recepto, sed mercedẽ Prophetæ. Qui enim Prophetã vel prædicatorẽ sustẽtat, ne à spirituali õpere deficiãt: quodãmodo mercedẽ Prophetæ facit suam. Hinc Dominus per significationẽ inter vtiles vel fructiferas arbores etiã vlmũ ponit, dicens, per Esaiã: Dabo in solitudine Cedrũ, & spinam, & mirtũ, & lignum oliuæ: ponam in deserto abietẽ, vlmum, & buxũ simul. Quãuis enim vlmus sit sterilis, tamen vitem cum fructibus solet sustinere. Per quod significatur, quod inter spirituales viros in Ecclesiã Gentiũ Dominus seculares personas ponit, qui quanuis nõ habeant fructum spiritualium virorũ, tamen spirituales viros cum fructibus suis, beneficiis temporalibus sustẽtant. Sed quia quidam subditi auari solent se excusare per inopiam, subdit, *Nolite errare, Deus non irridetur*, quasi dicat excusando, vos hominem fallere potestis, non Deum. Et propterea bona quæ potestis, facere debetis: Quia qui in hac vita non seminat bona, in alia vita non potest metere bona. Vnde & subdit: *Quæ enim seminauerit homo hæc & metet.* Nam *qui seminat in carne*, id est, qui carnalia & mala opera facit, *de carne metet corruptionẽ*, id est, pœnã. *Et qui seminat in spiritu*, id est, qui secundũ voluntatem spiritus operatur, *de spiritu metet vitã æternã.* Bonũ ergo faciẽtes nõ deficiamus. *Tempore enim suo metemus nõ deficiẽtes.* quasi dicat, q nõ deficit in satione, nõ deficiet in messione. *Faciamus ergo*, inquit, *bonũ ad omnes*: supple quod possumus: & cuius vnumquemq; egere vedemus. Quod autem legitur: benefac iusto, & non dederis impio: non naturæ, sed impietati auxiliũ denegat faciendũ. Sed cum omnibus benefacere debeamus *maximè tamẽ ad domesticos fidei.* Cũ enim & Iudæis & Paganis bonũ facere debeamus, tamẽ præcipuè Christianis, & inter ipsos Christianos, eis q

Mat. 10.

Esa. 41.

Luc. 12.

magis fraternitate, sanguine, familiaritate, nobis cõiuncti sunt: ordinatã enim debemus habere charitatẽ. Itaq; fratres, viscera benignitatis & pietatis erga omnes habeamus, iuuantes hunc re, hunc verbo, hunc protectione, hũc consilio, hunc correctione, hunc admonitione, omnes verò voluntate & oratione quatenus hîc large seminantes, in æterna largius metere mereamur: per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XV. POST TRINIT.

Mat. 6. NEmo potest duobus dominis seruire. Sicut ex hac sancti Euãgelij lectione fratres charissimi nobis innuitur,

Tres hominum species. tres sunt hominũ species. Alij enim seruiũt Deo: alij mundo: alij vtriq; seruire volũt, sed nõ possunt. Porrò Deo seruiunt, qui ei toto corde & principaliter adhærẽt, & ei obsequuntur, quæ seruitus beata & desiderabilis est & benedicta: nam scriptũ est, Deo seruire, regnare est. Mundo verò seruiunt, qui ei principaliter adhærent, & cupiditatibus

Ioan. 8. obsequuntur: quæ seruitus infelix est & misera. Nam scriptũ est, Qui facit peccatũ, seruus est peccati. Et quot vitiis peccator famulatur, tot dominiis dæmonis subiugatur. Deo autẽ & mundo seruire volũt simul, qui volunt sequi partim iussa Dei, partim cupiditates seculi. De qualibꝰ Salomon, Væ, inquit, homini ingredienti duabus viis. Duabus vũs graditur, qui vult gaudere cum seculo, & cũ Deo: qui vult facere quæ sunt mundi, & quæ sunt Dei. Cùm dico mundũ, mundi concupiscentiã intellige. Contra quos primò hîc ostẽdit Dominus neminẽ posse duobus dominis seruire. Secũdò sollicitudinẽ mundanã prohibet. Tertiò quid quærere debeamus, ostẽdit. Ait ergo, *Nemo potest duobus dominis seruire*, contrariis. *Aut enim alterum odio habebit*, id est, diabolum siue mundum: *& alterum*, id est, Deum, *diliget*, *aut alterum*, id est, diabolum, *sustinebit*: *& alterum*, id est, Deum, contemnet. Eleganter loquutus est subsstinebit. Nemo enim diabolum diligit, quamuis eius faciat voluntatẽ. Sed sicut aliquis amãs ancillam alicuius tyranni, non tyrannũ diligit, sed propter amorẽ ancillæ, duram eius patitur seruitutẽ. Ita homines mundani non diligunt diabolũ, sed propter amorẽ mũdanæ voluptatis.

eius

eius sustinent tyrannidē. Non autem ait, *Deum odio habebu*, quia vix conscientia alicuius Deū potest odisse, à quo habet esse viuere & sapere. Sed propter amorē mudi eum contenit. Qui autē sint illi duo Domini, exponit, cū subdit: *Nō potestis Deo seruire & Mammonæ*. i. diuitiis. Māmon enim dicitur dæmō, qui suggerit hominibus, amorē diuitiarū, Non autem ait, non potestis Deo seruire, & dominari diuitiis, nā hoc fideles possunt. Vos ergo fratres, qui habetis mundanas possessiones, diuitias, vxores, & liberos, notate quæ hîc dicūtur: pēsate in animo vestro quę hic dicuntur: Si enim principaliter Deo adhæretis, & eum diuitiis, vxoribus, liberis, & honoribus præfertis, malētes omnia perdere quā Deū offendere, Deo seruitis, & rectè viuetis. Sin autē (q̄ absit) amorē diuitiarū, honorum, coniugij, & liberorū, Deo præfertis: eligentes potius offendere quā illa dimittere, nō Deo, sed modo seruitis, facti serui miseri & miserabiles, nō solùm mundi, sed etiam diaboli.

Sequitur pars secunda, in qua prohibet Dominus solicitudinē temporaliū, dicens: *Nō ergo sollliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, aut corpori vestro, quid induamini.* Non autē ait, nō sitis prouidi, nō enim prouidentia temporalis, sed sollicitudo prohibetur. Porrò sollicitudo est quæ amorem & intentionem æternorum in nobis suffocat & extinguit. Vnde alibi in parabola dicit, quod exortę spinæ *Luc. 8.* suffocauerunt verbū Dei. Prouidere verò secundū Deum vnde tribuamus nobis & nostris & etiā pauperibus necessaria, bonū est. Quod verò alibi dicitur, Nolite cogitare de crastino: cogitare ponitur pro futuro remoto, vel pro so- *Mat. 6.* licitum esse: contra illos, qui necessaria in multos annos conceruant. Quod verò de cibo vel vestimēto soliciti esse non debeamus, probat à maiori subdens. *Nonne anima*. i. vita, *plus est quā esca: & corpus plusquā vestimentū?* Ac si diceret: Deus qui dedit nobis maiora. i. vitā & corpus: dabit quod minus est, id est, victum & vestitum. Rursus probat à minori nos de victu non debere solicitos esse, cum subdit: *Respicite volatilia cæli, quoniam non seruunt, neque metunt, neq; congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa, nonne vos pluris magis estis illis?* id est, maioris pretij apud Deum. Ac si diceret, Si Deus dat volatilibus

cibum sine sollicitudine eorũ, quantò magis dabit cibum vobis, qui vtiq; estis rationabiles, ad imaginem Dei facti. Mystice verò per volatilia, vani & mali homines huius mundi accipiuntur, qui volitant per curiositatẽ: eleuãtur per superbiã, deponuntur in terrã per cupiditatem: nõ de labore suo viuunt, sed de alieno per rapacitatem. Quibus si Dominus sui contẽptoribus dat cibum, quantò magis fidelibus suis? Rursus quod de vestitu non debeamus esse solliciti, probat à minori, dicẽs: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: nõ laborãt neque nent. Dico aũt vobis, quod nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Ad literã nulla purpura vel sericũ, quo Salomon, vel aliquis gloriosus in mundo vestitus est, potest floribus cõparari. Quid enim ita candet vt liliũ? Quid ita rubet, vt rosa? *Si aũt*, inquit, *fœnũ agri quod hodie est, & cras in clibanũ mittitur, Deus sic vestit, quãtò magis vos modicæ fidei:* subaudis vestiet: & hic veste temporali, & in futuro stola immortalitatis? Mysticè verò per lilia accipiũtur potentes & gloriosi huius mundi homines, qui in cras situdine mũdi nati, crescunt in mundo per altitudinẽ honorũ: florent per prosperitatẽ temporalẽ: non laborãt, neq; nent: quoniã in labore hominũ non sunt, & cũ hominibus non flagellabũtur: ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate sua, &c. Et si Deus superbos & glorioſos homines huius seculi sic vestit, qui vtiq; fœnũ sunt: quia omnis caro fœnum, omnis gloria eius, tanquã flos agri. Et cras in clibanum æternæ dãnationis mittentur, quantò magis vos cultores suos? Sed valdè pensandum est fratres mei, quod eos qui solliciti sunt de victu, vel de vestitu, dicit esse minimę fidei. Qui enim magnæ fidei sunt, sciunt proculdubio Deum omnia necessaria prouisurum. Ergo fratres, si timetis necessaria defore vobis, minimæ fidei estis.

Psal. 72.

Esa. 40.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Dominus quid petere debeamus, cũ subditur, *Primùm quærite regnũ Dei et iustitiã eius.* Primùm enim, id est principaliter regnũ Dei, quod quotidie in oratione dominica rogamus vẽturum, tanquã præmiũ & metã petere debemus. *Et iustitiã eius:* .i. virtutes & bona opera quæ sunt vię eũdi ad regnũ Dei. *Et hæc*, inquit, *omnia*, videlicet tẽporalia viæ præsenti necessaria,

cessaria, *adiicientur vobis*, scilicet tanquã incidẽtia: nõ enim propter se, sed propter æterna sunt petenda. Sicut enim satellites Regis stipendia militiæ, non reputant in laboris remunerationẽ, ita nec nos fratres, necessaria vitæ tẽporalis debemus reputare in remunerationẽ præmij: quis enim (teste Paulo) militat suis stipendiis vnquã? Si ergo fratres Christo militamus, non de stipendijs, sed de promerendo præmio solliciti simus. Ipse enim rex regẽ prouidet & hic stipẽdia militibus suis, & in futuro reseruat ęterna prȩmia Dominus noster Iesus Christus, qui cũ patre & S. sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen. 1. Cor. 9.

DOMINICA XVI. POST TRINITAT.

Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra, &c. In hac lectione fratres charis. hortatur Apostolus Ephesios, & per eos quoslibet nostrum, ad constantiã & fortitudinem fidei, spei, & charitatis, & hoc modo. Primò obsecrat eos ne deficiant in tribulationibus. Secundò ostendit se orare pro fortitudine & perfectione eorum. Tertiò gratias agit Deo, qui potens est dare suis melius quàm ipsi sciunt postulare. Apostolus igitur propter Euangelium positus in vinculis, timens ne tribulationes illatæ magistro, fierent timor & debilitas discipulorum: quos non poterat verbo, confortat scripto. In quo certè fratres ostenditur mira charitas Apostoli, qui de constantia discipulorum, magis quàm de vinculis suis sollicitus erat. Ait ergo, *Obsecro vos*, & de vobis, *ne* scilicet *deficiatis in tribulationibus meis*, i. propter tribulationes meas, quæ vtiq; sunt pro vobis, id est, propter fidem vobis prædicatam: mihi illatæ, *quæ est gloria vestra*, id est, non deficere in tribulationibus, vel meis, vel vestris, est gloria vestra. Fortes enim in certamine milites sunt apud Deum glorioſi. Et econtrario formidolosi & deficientes erunt inglorij. Sicut enim fornax aurum, ita tribulatio probat iustum. Vnde non debetis mirari fratres mei, si Dominus sinit tribulari & flagellari suos in mundo. Aurũ enim purum esse nequit, quod caminus nõ excoquit. Obsecrò ergo & ego vos cum Apostolo fratres mei, ne deficiatis in tribulationibus: si quę mihi vel vobis vel etiã sanctioribus viris cõtingãt: quoniã cœlestis faber Ephe 3.

vasa

vasa electionis cum multa tribulatione cõsueuit elimare.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostol. se orare pro constantia discipulorũ, dicens: *Huius rei gratia*, scilicet ne deficiatis, *flecto* nõ genu vnũ: sicut faciebant Iudæi ante Iesum: vel sicut hypocritæ, qui corpore non mente humiliantur, sed *genua mea*, id est, supplico mente & corpore, *ad Patrem Dei & Domini nostri Iesu Christi: ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Sicut cùm Deus sit solus bonus: solus sit Dominus, solus sit rex: tamen voluit participatione bonitatis suæ homines dici & bonos, & dominos atq; reges. Sic cùm ipse solus sit pater, voluit tamẽ homines ex se vocari patres. Porrò Deus, pater dicitur, quatuor de causis. Pater generatione, creatione, doctrina vel exẽplo, adoptione. Et quidẽ generatione est pater solius filij. Creatione verò est Pater omniũ creaturarum, doctrina vel exẽplo, tantũ rationaliũ: adoptione tantum bonarũ. Quicunq; aũt dicitur pater in cælo vel in terra: siue hoc, siue illo, siue tertio, siue quarto modo, à Deo Patre habet hoc. In cælo enim, & filius & S. Spiritus dicitur Pater, & omniũ rerũ creatione, & rationaliũ doctrina & exemplo, & bonarũ adoptione, sed à Patre hoc habent. Sicut enim nõ ex se, sed ex Patre: ita nec sunt Deus, nec pater, nisi ex patre. In terra verò dicuntur homines patres filiorum suorũ per generationẽ: Et minorũ per doctrinæ & exempli auctoritatẽ: & etiã alienorũ filiorũ per adoptionem. Sed siue hoc, siue illud, siue tertiũ, non ex se, sed ex summo Patre habẽt. Itaq; ex deo Patre omnis paternitas, id est, omnis modus dicendi patrem, & est, & nominatur. Qua de causa flectis genua tua ad Patrẽ? *Vt det vobis*, inquit, *secundũ diuitias gloriæ suæ*. Cũ Deus habeat oẽs diuitias, quæ sunt in cælo, & quæ sunt in terra, tamẽ diuitiæ gloriæ, dicũtur hic virtutes & earũ opera: ideò quia homines faciunt vere glorioſum, & ad æternam gloriã perducunt. Et quid det? *Virtutẽ corroborari in vobis*, id est, vos cõroborari in virtute. Et scilicet habeatis virtutẽ fortitudinis & constantiæ in interiorẽ hominẽ. Magna enim fortitudo corporis nõ est necessaria Christianis: quiã magna fortitudo & pinguedo corporis opprimit animam. Cùm enim caro & spiritus sibi adinuicẽ aduersentur, quãtò alterum

Deus dicitur pater ob quatuor causas.

terũ est fortius; tantò reliquũ est debilius. Vnde Apostol. Quando ego infirmor, tunc fortior sum & potẽs. Exponit quòd dixerat, det inquã virtutẽ. Et quam? *Christũ* qui scilicet est Dei virtus & sapiẽtia, *habitare per fidẽ in cordibus vestris*, quẽ qui habet, omnẽ virtutẽ & gratiam habet. Det etiã vt sitis *in charitate radicati & fundati*: vt scilicet nec cuelli, nec moueri à charitate possitis. Electi & si quãdoq; aliquantulũ moueantur, non tamẽ euelluntur. Dauid qui peccauit, motus fuit, sed nõ euulsus, & ideo non aruit. *Vt possitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis*. Quia soli sancti cõprehendere possunt, quorũ est nosse misteriũ regni Dei. Et quid? *Quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundũ*. Quia charitas patiẽs est & benigna: quia omnia credit, oĩa sperat, oĩa sustinet. Ipsa charitas est longanimis in patientia: ipsa est lata in dilectione amici scilicet & inimici: ipsa est lata in spe æternorũ scilicet prẽmiorũ: ipsa est profunda in fide, & euitatione eternorũ suppliciorum. Qui enim charitatẽ non habet radicatã, in patientia lacescit, & in dilectione deficit: & in spe æterni præmij langue scit, in fide æterni supplicij ambigit. Et quia non possumus esse firmi in fide & charitate Christi, nõ nouimus quantã charitatẽ ipse erga nos habuit, addit: *Det etiam vobis scire supereminentẽ scientiæ charitatẽ Christi*. Christus quippè habuit supereminentẽ charitatẽ: quia posuit animã suam pro seruis & inimicis, vt eos faceret filios & amicos. Habuit etiã charitatem scientię & scientiam charitatis: id est, habuit sapientẽ dilectionem, & sapiẽtiam diligentẽ. Quidam enim habent charitatẽ, sed non secundũ sapientiam. De qualibus Apost. Zelum Dei habẽt, sed non secundum scientiam. Alij habent scientiã, sed non secũdum charitatem. De qualibus Apostolus, Scientia inflat, charitas verò ædificat. Nos ergo fratres studeamus scire eminentẽ scientiæ charitatem Christi, vt quemadmodum ipse sapienter nos dilexit: ita & nos eũ discamus diligere sapienter, *Vt impleamini*, inquit, *in omnem plenitudinem Christi*. Vt videlicet & hic habeamus secundum modum viæ, plenitudinem sapientiæ & virtutis: & in futuro plenitudinẽ æternæ retributionis: vbi nõ iam per speculum & in ænigmate, sed plenariè & sciemus & diligemus,

2. Cor. 12.

1. Cor. 13.

Rom. 10.

1. Cor. 8.

Sequi-

Sequitur pars tertia, in qua Apost. agit gratias Deo, ostẽ dens ipsum esse potentẽ facere oĩa superabundãter quàm petimus aut intelligimus: superemínet enim potẽtia Dei & petitionẽ & intellectũ nostru. Ecce fratres Apo. supplicans & rogãs Deum, primò vocauit eũ patrem, ideo, quia patris est velle bonũ filiorũ. Secundò ostendit eum esse diuitẽ in donis, cũ ait. Secundum diuitias gloriæ suæ. Modo tertio ostendit eum esse potentem in omnibus, in quibus perpetratio petitionis cõsistit. Qui enim vult dare, & abũdat donis, & potest dare, proculdubio dabit. Itaq; fratres Deũ piè & cõstanter rogemus: qui cũ velit, & abundet, & possit, profectò iusta petita nostra nobis est daturus. *Secũdum*, inquit, *virtutem quæ operatur in nobis*, potẽs est omnia facere. i illa virtute qua facit nos de iniustis iustos, de insipientibus sapientes: de impotentibus potentes, *Ipsum Ecclesia & in Christo Iesu*, id est, in ipsis appareat gloriosus in oẽs generationes. i. in æternum. Itaque fratres sicut Apost. quodã Corint. ita nunc & vos obsecramus, ne déficiatis in tribulationibus, vel nostris, vel vestris. Oportet enim lapides qui collocandi sunt in cœlesti ædificio, hîc quadrari & poliri. Qui enim hîc nõ quadratur, vel politur correctionibus & disciplinis, inter lapides summi ædificij nõ est ordinandus. Quod benè significatur per hoc q̃ ligna & lapides tẽpli exterius poliebãtur tantũ nõ interius. Non enim auditus fuit in tẽplo sonus mallei vel dolabri. Quia videlicet in mundo vapulãtur sancti nõ in cœlo, flectimus ergo fratres, sicut Apostol. faciebat, genua nostra ante Deũ pro constãtia fidei nostræ. Quod vos quoq; pro vestra salute debetis facere, Vt & nos & vos pariter ad æternã beatitudinem peruenire mereamur. Per Dominũ nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XVI. POST TRINITAT.

Luc. 7. *IBat Iesus in ciuitatẽ quæ vocatur Naim: Et ibant cũ eo discipuli eius, & turba copiosa. Cũ autẽ appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ* In hac sancti Euãgelij lectione fratres charissimi, ostenditur primò iuxta literã, domini & redẽptoris nostri Iesu Christi circa salutem hominũ sollicitudo, misericordia,

dia, humilitas, & omnipotentia. Et sollicitudo quidē ostē-
ditur, cùm dicitur: *Ibat Iesus in ciuitatem, &c.* Sollicitus
quippè erat circa salutem hominū, qui huc & illuc perge-
bat, vbi occasionē benè agendi hominibus se inuenturum
præuidebat. Pergebat siquidem vbi sciebat esse conuentus
hominum, vt eis verbum vitæ annuntiaret. Pergebat vbi
sciebat infirmos: vt eos misericorditer curaret. Pergebat
vbi sciebat esse pauperes & miseros: vt eis consolationem
exhiberet. In quo exemplū itidem operādi suis proposuit,
cōfundens duritiā eorum qui declināt loca vbi sciunt esse
pauperes & miseros: ne fortè eorū præsentia & importu-
nitate, eis cōpati, & subuenire cogātur. Nemo autē putet
quod fortuitu acciderit, quod Domino appropinquante
ad portā, defunctus efferretur. Non enim hoc causaliter,
sed diuina ordinatione procuratū est. Misericordia Domi
ni ostenditur, cùm cōpatitur viduæ, quæ triplici infortu-
nio misera & miserabilis erat. Quia erat vidua: quia filiū
defunctum efferebat: quia aliū non habebat. Et quia tam
miserabilis erat: turba ciuitatis eius miserās, eā comitaba-
tur, cōsolabatur, & funus curabat. In quo discamus & nos
fratres mei, mœrentes comitari & consolari, & funera cu-
rare, quoniā opus humilitatis & misericordiæ est, cōsola-
ri mœstos, & sepelire mortuos. Tobias enim quia sepelie-
bat mortuos, meruit à Domino misericordiā & illumina-
tionē. Dominus etiā, vt daret nobis exemplū miserandi &
consolādi afflictos, misericordia motus viduā consolatur
verbo & facto. Verbo, cū ei dicit, *noli flere*: facto, cùm red
dit ei filiū rediuiuum. Humilitas verò Domini ostenditur,
cùm loculū mortui quem solo nutu resuscitare poterat,
tāgere nō veretur. Porrò si subtilius inspiciamus, illū te-
tigit ob tres causas: ob humilitatis exemplū: ob legis in-
telligentiā: ob figuræ mysteriū. Ob humilitatis exemplū
tetigit Dominus loculū: vt si ipse qui vita æterna est, mor
tuum tangere voluit, nos qui sumus cadauera & sanies,
tangere, lauare, & sepelire nō reformidaremus. In quo cō
fundit quosdā inhumanos & duros, qui quasi non essent
morituri, mortuos reformidāt & abhorrēt. Ob legis intel
ligentiā tetigit loculū vt demōstraret mortui contactū in
lege prohibitum, nō carnaliter, sed spiritualiter esse intel-

ligen-

ligẽdum: præsertim cùm ipse, qui ipsa munditia est, & qui inquinari non potest, mortuum tetigit. In contactu enim mortui, spiritualiter prohibeatur cõsensus peccati. Ob mysterium etiã tetigit loculum, vt designaret in resurrectione à peccato operis criminalis, necessariã esse satisfactionem operis, vt pòst dicetur. Omnipotẽtia Domini demõstratur, cùm ad solũ eius imperium mortuus suscitatur. In quo ostendit se illũ eundem esse, qui in principio tantùm dixit, & omnia facta sunt. Mira virtus fratres in verbo Do
Gen. 1. mini, ad cuius vocẽ mox aperitur infernus: & anima quã detinebat, egreditur: recalescit frigidus, & recedit qui erat mortuus. *Accepit autem omnes timor* vt scilicet timerent simul & diligerent, quem tam potentẽ in opere & sermone videbant: *& magnificabant Deũ.* Quos nos quoq; imitantes, Deũ in sanctis & miris operibus suis, discamus timere simul & laudare. Mysticè verò per mortuũ, mortuus in peccato designatur. Cũ aũt Dominus multos mortuos suscitauerit, tres tantùm ponunt Euangelistæ, certi causa mysterij, Significant quippè tres mortui, tria genera peccatorũ in peccatis mortuorũ: id est mortuum, peccato volũtatis, mortuũ peccato operis, & mortuũ peccato consuetudinis. Suscitauit igitur Dominus primò filiam Archisynagogi in domo priuatim cũ paucis verbis. Per q̃ significatur quòd quando peccat aliquis in sola mente, quasi in secreto, facilius & cũ minore satisfactione, à Domino suscitatur. Suscitauit & secundò Dominus (vt hìc legimus) filiũ viduæ in porta, tangẽs loculũ, & plura dicens. In quo significatur q̃ quándo peccatum exit foras per impletionem operis, eget maiori satisfactione, & operis, & orationis. Tertiò verò suscitauit Lazarum quatriduanũ à monumento, flendo, clámando, lapidẽ tollendo. In quo innuitur quòd quando aliquis premitur peccato consuetudinis & iam per putridam vitam & infamiam fœtet: adeò est ligatus & pressus consuetudinario peccato, q̃ vix resuscitatur. Magna tamen misericordia Dei eũ respiciente, quandoq; resurgit: sed opus est lachrymis magnis, confessionibus, orationibus & labore magnę satisfactionis. Quartus verò mortuus domino nũtiatur: sed ab eo resuscitatus esse nõ legitur: sed ait nunuãti: Sine mortuos sepelire mortuos

ruos suos. Mortuus sepelit mortuū: quādo peccator peccatorē adulādo, fouet & demulcet. Hunc dominus nō resuscitat: quia quādo laudatur peccator in desideriis animę suæ, & iniquus benedicitur: Ita hinc ligatur vinculo consuetudinis, & inde fouetur oleo adulationis, quod nō surgit ad veniā emēdationis. Itaq; fratres mei, adultores deuitate. Illos qui vos corrigūt, diligite. Cauete ne dormiatis in peccato cōsuetudinis. De peccato operis vel volūtatis celeriter satisfacite, ne prȩueniamini repentina morte: quia qua hora nō putatis, filius hominis veniet, ad vocādū & ad iudicandū vos. Propterea fratres, mortem nostrā semper ante oculos nostros habeamus: quàm terribilis vēturus sit iudex supernus, semper recogitemus: suspiriis & lachrymis & bonis operibus sordes peccatorū nostrorū tergamus: quatenus venientē Christū iudicē securi videre mereamur: ipso præstāte, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorū. Amen.

Psal. 9.

Luc. 12.

DOMINICA XVII. POST TRINITAT.

Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, &c. In hac lectione fratres charissimi, intēdit confirmare Ephesios, & per eos omnes credētes in vnitate charitatis, & huiusmodi. Primò obsecrat eos perseuerare in fidē, ad quā vocati erāt. Secūdò monet eos habere virtutes, quæ efficiūt & conseruant pacem & charitatē. Tertiò monet eos, vt per charitatem sint vnum corpus, & vnus spiritus. Ait ergo, *Obsecro vos ego vinctus in Domino.* Triplici cathena fratres mei, vinctus erat Apostolus: cathena scilicet ferri, cathena corporis, cathena charitatis. Porrò cathena ferri erat vinctꝰ propter Christum, quando hæc scribebat. Vnde ipse alibi ait, ego quidē vinctus sum, sed tamen verbū Dei nō est alligatum. Cathena quoq; corporis se esse alligatū recognoscit, nō solū Apostolus, sed etiā omnis verus Christianus, qui intelligit se in corpore grauari, exulare, & peregrinari à Deo. Vnde idē Apostolus, cupio inquit, dissolui, & esse cū Christo. Et Psalmista: Educ inquit, de carcere animā meā vt confiteatur nomini tuo. Cathena etiā charitatis Dei & proximi, nō solū Apostolus, sed etiā quilibet fidelis debet semper vinciri: aliàs fidelis nō est. Porrò Apostolus sic per

Ephes. 4.

Philip. 1.

Psal. 141.

dilectionem vinctus erat cũ Deo & proximo, vt positus & in cathena ferri, & in cathena miserię corporalis, plus erat sollicitus de salute animarum & proximorũ, quàm de duplici miseria, qua circũdatus erat. Vnde & obsecrat eos de coru vtilitate, sciens vtiq; profectũ discipulorũ, gaudium & coronã esse Magistri. Vnde idem alibi dicit: Itaq; amantissimi & desideratissimi mei, gaudium meum, & corona mea, sic state in dominõ charissimi. De quo nos obsecrat? *Vt digne*, inquit, *ambuletis vocatione qua vocati estis.*

Philip. 4.

Duplex vocatio fidelium.

Est aũt duplex vocatio fideliũ. Prima est qua vocantur ad fidem: secunda qua vocantur per fidẽ ad vitam æternam, dignè ergo ambulat vocatione qua vocatus est, qui & fidẽ rectè tenet, & per eam digne ambulat bene operando, in vitam æternam. Sed multi sunt hodie (vnde magis dolendum est) qui ad fidẽ vocati sunt: & per eam nõ dignè ambulant: dũ benè operando nõ proficiunt, sed magis retrogradi sunt, & cùm Deum ore cõfiteantur, factis negant.

Sequitur pars secunda, in qua Apostolus monet nos habere virtutes per quas retinetur & obseruatur charitas & pax, cum subdit: *Cum omni humilitate & mãsuetudine & patiẽtia, supportãtes inuicem in charitate.* Itaq; humilitas, mãsuetudo, patientia, & mutua supportatio, sunt virtutes quę efficiunt & cõseruant charitatem & pacem. Quod patet per vitia illis cõtraria, quę charitatẽ & pacem destruũt. Hæc autem sunt, superbia, ira, impatientia, & cõtemptus proximorum. Quod superbia pacem dissipet, ostendit Salomon dicẽs, Inter superbos semper iurgia sunt. Vbi enim vnusquisq; per superbiam vult dominari, charitas & pax esse nõ potest. Ecõtrario verò humilitas pacẽ nutrit: quia humilis cõtendere nequit, sed semper cedere & subdi quęrit. Quod verò pacem destruat, ex hoc apparet: quia sicut motus maris vel aëris disturbat tranquillitatem & serenitatem, & generat tempestatem: ita ira turbat quietẽ mentis, & parit perturbationem & furorem. Vnde Poëta: Ira breuis est furor. Econtrario verò mãsuetudo est pax aëris. Qui autem mansuetus in se & tranquillus est, alios etiam pacificare potest. Quod impatientia turbet pacem, ex hoc apparet: quia qui seipsum pati non potest, alios pati non poterit. Et qui sibi discors est, nemini concors erit. Econtrario

Superbia pacem dissipat

Prou. 13.

Ira pacem destruit.

Mansuetudo.

trario verò patiens, quum omnium iniurias patiatur patienter, cum omnibus pacē habere potest, quātum in ipsō est: Iuxta illud Apostoli, Cum omnibus hominibus, quod in vobis est pacē habentes. Quod verò cōtemptus pacem & charitatē destruat, inde patet, quia qui cōtemnit offendere, nō timet. Et vt Sapiens ait, vbi contēptus ibi frequēs iniuria. Et vbi frequens iniuria, frequens inquietatio, & frequēs perturbatio. Econtrario verò supportatio alienorum onerum & infirmitatū, charitatem & pacem nutrit: Obsequium enim parit amicos. Itaq; fratres, superbia de maioritate cōtendit: Ira cōtra negantem irascitur: Impatientia iniuriat: Cōtemptus se iniuriasse cōtemnit. Et ecōtrario humilitas nō cōtendit, imò cōtendenti libens subiicitur. Modestia etiā nō irascitur, imò iratū mitigat. Patientia nō repercutit, imò inferientem æquanimiter sustinet. Supportatio mutua nō cōtemnit, imò contemptos iuuat. Has ergo fratres virtutes habere cōtendite, si veram charitatem & pacem inter homines vultis habere.

Patiens.

Rom. 12.

Modestia.
Patientia.
Supportatio.

Sequitur pars tertia, in qua monet Apostol. vt simus per charitatem vnum corpus, & vnus spiritus subdēs. *Solliciti seruare vnitatē spiritus*, id est, charitatem qua operatur Spiritus sanctus *in vinculo pacis*: vt scilicet coniungamur & vinciamur in vnū per cōfœderationem. *Vnum*, inquit, *corpus & vnus spiritus*: subaudi sitis, *sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnū baptisma, vnus Deus & pater omniū, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis*. Ordo literæ est: Sicut estis vocati in vna spe vocationis vestræ, sicut vobis est vnus Dominus, vna fides, vnū baptisma, & vnus Deus & pater omniū: ita sitis vnū corpus, & vnus spiritus. Sumus quippe fratres mei, vocati per fidē in vna spe eiusdē æternæ retributionis. Est & nobis vnus Dominus, qui nobis dominatur, & iure creationis, & iure restaurationis. Vnde quāuis dicātur in terra multi Domini, tamē vnus est principalis in cœlo & in terra. Cæteri non Domini, sed diminutiuè Domini dicuntur. Est etiā nobis vna & eadē fides, id est, idem credimus de Deo: & iidem sunt articuli fidei apud omnes fideles. Est etiam apud omnes fideles idem baptisma: quia in eadem fide & in eodem elemento, & in

Baptismus.

eadē forma celebratur apud omnes. Similiter & cætera sacramenta, apud oēs fideles eadē sunt. Vnus est etiā Deus & Pater omniū: scilicet Pater & Filius & Spiritussanctus. Qui cū sit Deus, tunedus est & adorandus. Cùm sit Pater, diligēdus est & imitandus. Hic autē est super omnia præsidendo, per omnia operādo, in omnibus implendo, in omnibus quidē rebus est substantialiter implēdo. Sed in omnibus fidelibus est specialiter, per gratiā inhabitādo. Sicut ergo fratres in his omnibus sumus vnū: ita simus vnū corpus & vnus spiritus. Dicūtur aūt omnes fideles metaphoricē vnū corpus ꝙ est Ecclesia. Cuius corporis, Christus dicitur caput, tripliçi ratione. Sicut enim caput cū sit vnius naturæ cū corpore, tamē ei præeminet, ita Christus cū sit eiusde naturæ cū Ecclesia, ei præcellit. Et sicut caput (in quo sunt omnes sensus) excubat pro salute omnium membrorū: ita Christus, in quo sunt omnes sapientiæ & scientię thesauri, prouidet toti Ecclesię. Tertiò, sicut ex cerebro capitis descēdit medulla & vigor in omnia mēbra: ita quod membrū in quo cessat defluere, arescit, & fit inutile: ita de Christo descēdit omnis gratia in omnes fideles: ita quod si in aliquē nō defluit, arescit à bonitate, & fit inutilis. Fideles quoq; dicūtur vnū corpus, triplici ratione. Primo quia Christo capiti & ad inuicē colligūtur nexuis charitatis. Secūdo quia more mēbrorū, sibi inuicē subseruiūt, & se coadiuuāt. Tertiò, quia vel vno lętāte, cęteri lætātur: vel vno dolēte (more mēbrorū) cæteri cōpatiuntur. Vnus quoq; spiritus dicūtur omnes fideles: id est vnū spirituali dilectione: & etiā quia idē sapiūt, & idē volūt. Itaq; fratres mei, sicut sumus vnū in fide & spe: vnū in seruitio Dei, & in cōmunione corundē sacramentorū, & vnū æternę beatitudinis sumus percepturi pręmiū: ita simus vnū corpus: vt scilicet tanquā fidelia membra, Christo capiti, & cæteris mēbris p charitatē cohæreamus. Et alter alteri subseruiamus, nos adinuicē coadiuuādo: Et alter alterius onera & infirmitates portādo: In bonis adinuicē cōgaudēdo, & in aduersis cōpatiendo. Vt ita pariter nos monētes, nos supportantes, nos coadiuuātes, nos cōsolantes, nos adinuicē exhortātes, ad desiderabilem æternitatis beatitudinē pariter peruenire mereamur: per Dominum nostrum Iesum Chri-

Coloss. 2.

Fideles triplici ratione dicuntur vnum corpus.

Christum filiū tuum, qui cūm Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum. Amen.

DOMINICA XVII. POST TRINITAT.

CVm intraret Iesus in domū cuiusdam principis Phariſæorū ſabbato māducare panē: & ipſi obſeruabant eū. Luc. 14.

Tria facit in hac lectione fratres charissimi, Dominus & redemptor noster: primò apud insidiatores suos manducaturus intrat. Secundò eos cōfutans hydropicū curat. Tertiò, vbi inuitatus recūbere debeat, demōstrat: in omnibus magna nobis tradēs documenta. In hoc enim quod apud principes & suos insidiatores, nō solùm declinare & māducare nō refugit, imò etiā eos corrigit & instruit, magnitudinē suæ benignitatis & misericordiæ ostendit, & nobis exēplo sui quid facere habeamus, innotescit: vt videlicet inimicis nostris nō odiū pro odio, sed potius pro odio dilectionē exhibeamus, & eis pdesse studeamus: Et ob hoc apud principes & prauos homines manducemus, vt ipsis spirituale correctionis & doctrinæ panē offeramus. Propōnit etiā Dominus hic in cōmessatione sua, exēplū frugalitatis & abstinentiæ, cùm in domo principis, & in Sabbato panē māducat. Tria quippè ponit Euangelista, māducare panē, & in Sabbato, & in domū principis, non autem ait māducare carnes vel pisces, vel delitias, sed solùm panē. Cùm omnia hęc & maiora tanq; Dominus omnium, si vellet, ad manū haberet: Sed hoc in se ostēdere voluit & alibi præcepit, dicēs, Ne feceritis curā in desideriis carnis. Erubescāt ergo gulosi, q; nesciunt māducare nisi delitias & lenocinia habeāt. Hoc enim desiderāt, & ob hoc laborāt, aēra, sylūas & aquas venādo fatigātes. Adiunxit etiā *in Sabbato*, festo scilicet Iudæorū die. Ad confutandū eos, qui & si in profestis diebus parcè viuāt, in festis tamen delitiosè procurant, nō reputātes festum nisi carnibus & lenociniis repleātur. Sed stultum est solemnitates Dei vel Sāctorum cōuiuiis honorare, quos scimus Deo ieiuniis placuisse. Addidit etiā *in domū principis*, ad reprehēdendū eos, q & si domi panē viuunt, venientes apud principes delitiosis principū cibariis capiūtur & inescāntur. Itaq; fratres Dominus panē sustentatur, & in Sabbato, & apud principē, vt nos modicō contentos debere esse, & in festis, & apud

Quare apud prauos manducandum.

Rom. 13.

principes demonstraret. Attamen quia inuidia nescit ob beneficia, mitigari, quanuis Dominus Pharisæis amorem & doctrinã offerret, ipsi tamen ei insidiabantur. Vnde & subditur, *Et ipsi obseruabãt eũ*, id est, cõtra seruabãt, id est, malignè seruabant, vt si curaret ægros, vel aliquid aliud faceret in Sabbato, cum accusarent. Quod Euangelista innuens subdit: *Et ecce quidam homo hydropicus erat ante eũ*. Sic fratres mei, sic semper obseruãt impij pios: iniusti iustos: vt possint inuenire occasionem eos accusandi, & eorum opera deprauandi. Vnde scriptum est, Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis. Psal. 36.

Sequitur pars secunda, in qua Dominus eorum malitiã confutat, & hydropicum curat, cùm subdjtur: *Si licet Sabbato curare? At illi tacuerũt*. Ostendit autẽ hic Dominus se verũ Deum esse, dum malis eorum cogitationibus respõdet: & eos in cordibus suis vrget, & cõcludit: ita vt prę cõfusione taceant. Videbant quippè quia si vtrũlibet dicerent, Rhetorica cõplexione capiebantur. Nam si dicerent q̃ liceret Sabbato curare, diceretur eis à Domino: Ergo nõ debetis me reprehendere, si in Sabbato curo. Si verò dicerent quòd nõ liceret, diceret eis: quare ergo vos curatis animalia vestra in Sabbato, Tacẽt ergo more cõuictorum, qui cõscientias suas vident deprehensas. Sed Dominus hydropicum curat nõ solo verbo (cùm hoc posset) sed etiam tangendo, vt ostenderet in Sabbato nõ ab omni opere feriandum (malè enim Sabbatũ celebrat, qui à bono opere vacat) sed ab opere seruili, quod maximè peccatum intelligitur. *Cuius vestrũ*, inquit, *bos aut asinus in puteũ cadat: & non continuò extrahet eũ die Sabbati*? Ostendit autem Dominus eos grauiori hydropisi auaritiæ laborare: dum curando animalia suã (secũdum opinionem suam) Sabbatum nõ violant: & per auaritiã suam, curam animaliũ, cu rationi hominum præponunt: & in vtroq; legẽ transgrediuntur, & Deum offendunt. Porrò mysticè ipsi erant & hydropicus aquis tumidus, & bos aquis submersus. Per fluxum quippè aquarũ, fluxus diuitiarũ significatur. Sicut aũt hydropicus plus bibit, & plus sitit: ita ipsi cũ plus habebant, plus sitiebant. Et sicut bos in superabundantia aquarũ submersus perit: ita ipsi in abundantia diuitiarũ

submersi

submersi peribant. Fugiamus ergo fratres vitium Pharisæorum, ne scilicet à bonis operibus in festis vacemus: ne curam iumentorum nostrorum, curæ hominum, quod multi (vnde dolendum est) faciunt, præponamus: ne hypocrisi auaritiæ tumeamus vel submergamur.

Sequitur pars tertia, in qua Dominꝰ in reprehẽsione Pharisęorũ, q. primos recubitus in cœnis diligebãt, vbi inuitatus recũbere debebat, ostẽdit cũ dicit: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, noli recũbere in primo loco, &c.* Quæ parabola cũ sit ad literã cõseruanda, spiritualiter magis obseruãda est, Oës enim quotquot Christiani sumꝰ, ad nuptias cœlestis cõuiuij inuitati sumus. Nullꝰ aũt in ecclesia se debet vel cogitatione, vel prælatione alij præferre: ne forte ille alius maior sit apud Deũ: & ei pręponatur vel sanctitate, vel dignitate. Ecce fratres mei, quam multi reges, multi principes, multi episcopi, & multę apud seculũ alię personę, se nũc præferũt aliis dignitate, opinione, & potestate. Sed certè cũ venerit, q. merita singulorũ solꝰ discernit, prefert eis aliquã viduã, aliquẽ paupere, aliquã in hoc seculo vilẽ psonã. Et tũc nõ sine quodã rubore, incipiẽt nouissimũ locũ tenere, postpositi eis, quibꝰ in hoc ęculo prępositi fuerũt. Itaq; fratres vnusquisq; in ecclesia se vile reputet, cũctis se humiliter reputet, cũctis se humiliter præponat, sola humilitate cõtendat: vt cùm venerit, q. oes fideles ad nuptias suas ęternas inuitauit, dicat: Amice ascẽde superius, quia quãtò fuisti ꝓpter me humilior cæteris, tãto eris mecũ sublimior cæteris. Hanc humilitatẽ fratres habere possumus, si peccata nostra semper ante oculos nostros ponamus, si aliorũ virtutes, maxime q bus caremus, inspiciamus: si fragilitatẽ nostrã pẽsemus: si aliorũ sanctitatẽ admiremur. Si quippè in cõspectu nostro incipiemus vilescere, & alios nobis pręponere. Quã humilitate nobis inferere dignetur, qui ꝓ nobis humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorũ. Amen.

DOMINICA XVIII. POST TRINITAT.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis omnibus, &c. 1. Cor. 1.

In hac lectione fratres charissimi, ostendit Apostolus quantũ gratuletur de profectu Corinthiorum, suorũ sci-

licet discipulorum. Veri nim magistri gaudium est, profectus discipulorum: & non immeritò. Nouit enim meritorũ discipuli se vt suggestorẽ, ita quoq; esse participẽ. Vnde idem Apostolus alibi ait, itaq; amantissimi & desideratissimi mei, gaudiũ meum & corona mea, sic state in Domino charissimi. Ecõtrario quoq; ruina discipuli fletus est magistri. Vnde idẽ Apostolus dicit se lugere eos qui corruerut. Vnde & alibi dicit, Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ vror? Itaq; fratres, si ego verus magister sum, nõ debeo erga vos durus & frigidus esse: sicut quidã mercenarij & falsi magistri, qui nõ ad spiritualia lucra, sed etiã ad temporalia docent: sed per verã dilectionem, animarũ vestrarũ, lucrũ querere, & non solũ mea, sed etiã meipsum pro vobis si opus fuerit, impẽdere. Vos quoq; si veri discipuli, si veræ oues estis, ergà pastorẽ vestrũ nõ debetis, vt quidã perversi discipuli duri & frigidi esse, sed eũ tanq; spirituale patrẽ amare, & ei nõ solũ vestra, sed etiã vosmetipsos per charitatẽ cõmunicare: vt inter vos & pastorẽ vestrũ, nõ solũ spiritualiũ, sed etiã temporaliũ bonorũ habeatur cõmunio: vt scilicet magister discipulorũ, vel discipuli magistri, profectũ vel detrimentũ suũ putẽt. Ostendens igitur doctor gentium, se de profectu discipulorũ gaudere, primò gratias agit Deo de profectu eorũ. Secundò ostendit quę gratiæ sint eis collatæ. Tertiò demõstrat quod præmiũ inde expectet. Ait ergo. *Gratias ago Deo meo.* Gratias agere est auctorẽ gratiarum de collata gratiã benedicere. Quia enim nihil de nostro habemus, vnde Deo retribuere valeamus, saltẽ semper debemus nos debitores eius confiteri. Est autẽ fratres charissimi, hoc valde necessarium. Si enim qui de collata gratia semper Deo gratus existit, nõ solùm datã obtinere, sed etiã maiorẽ adipisci meretur. ita qui de collato beneficio ingratus existit, nõ tantum cõferendis, sed etiã collato meretur priuari. Hinc est quod antiqui Patres pro diuinis beneficiis cantica quasi gratiarũ actionem cecinisse legũtur: vt cãticum Mariæ, canticum Moysi, canticum Annæ. Hinc tradunt Hebræi Ezechiã regem, quia pro victoria à Deo sibi data canticum domino non cecinit, incurrisse infirmitatẽ. Hinc etiã est quod nouẽ leprosi à Domino mũdati,

Philip. 4.

2. Cor. 11.

Gratias agere quid.

dati, quia cum decimo ad reddendum Deo gratias redire contẽpserunt; per reprobationẽ nesciũtur, dicẽte domino, Nónne decẽ mundati sunt, & nouem vbi sunt? Tales sunt hodie (vnde magis dolẽdum est) multi qui de diuinis beneficiis ingrati sunt, & ea quæ habent, vel suæ rationi, vel suis viribus, vel suo labori, nõ Deo attribuũt, Sunt & alij qui & si in prosperis deo gratias agãt, in aduersis tacet: de quibus scriptum est, Cõfitebitur tibi cũ benefeceris ei, sed certè contemptibilis est vox laudis, quæ procedit ex lętitia prosperitatis. Nos ergo fratres, de omnibus bonis gratias agamus, nec solùm de prosperis, sed ętiã de aduersis. Quę (si rectè sapimus) ad correctionem vel probationẽ à Deo nobis inferuntur, iuxta illud. In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticũ eius. Præcepit enim Dominus vt in die prosperitatis, suæ misericordię memores & beneficij simus: & vt in nocte aduersitatis, ei gratiarum actionem decãtemus. Hinc Iob, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Philosophicum quippè est in prosperis timere, & in aduersis cantare.

Luc. 17.

Psal. 48.

Psal. 41.

Iob 1.

Sequitur pars secunda, in qua ostẽdit Apostol. de quibus gratias agat, cũ subdit: *In gratia*, id est pro gratia, *quæ data est nobis in Christo Iesu*. Dicitur aũt gratia, quasi gratis data. Itaq; fratres, quia quicq̃d habemus: quia à Deo nobis gratis datũ est, totũ gratia est. Sed tamẽ antonomaticè virtutes & dona S. ancti quę sunt propria bonorũ, gratię dicuntur. Temporalia verò bona, quia cõmunia sunt & bonis & malis, & si gratis à Deo dentur, tamen gratię nõ solẽt dici. Gratiarũ aũtẽ, alia est gratia ad gratiã: alia gratia p̃ gratia: alia est pro gratia ad gratiã. Gratia ad gratiã tãtum est prima gratia, quæ omnino gratis datur: nõ pro aliqua præcedẽti gratia tanq̃ merito, vt fides. Gratia p̃ gratia est (teste Ioãne) eterna beatitudo, quæ p̃ præcedẽtibus gratiis tanq̃ meritis iustis cõfertur, nec p̃ ea, alia expectatur. Gratię verò mediæ inter primã & extremã gratiã, sunt gratiæ pro gratia ad gratiã: quoniam pro præcedenti gratia tãquam pro merito conferuntur ad alias gratias promerendas. Ne miremini fratres, si merita iustorum gratias vocat: teste enim Apostolo, nihil habemus quod nõ à

Gratiæ mediæ.

Merita iustorũ quare gratiæ.

Deo & gratis acceperimus. Sed quoniã per vnã gratiã peruenimus ad aliã, merita dicũtur & impropriè. Teste enim Augustino solã gratiã suã coronat in nobis Deus. Hæ autem gratiæ dicũtur datæ in Christo Iesu. i. in fide Iesu Christi. Fides enim est prima gratia & fundamẽtum omniũ gratiarũ. Deinde gratiã exponẽs subdit: *Quia in omnibus*, inquit, *diuites facti estis*, in omnibus scilicet gratiis ad vitam æternã promerendã necessariis: quas qui habet, veras diuitias habet, & verè diues est. Has ergo diuitias fratres, desiderate & quærite, quę hominẽ ad veram ducunt sufficientiã, & semper habẽtes comitantur. Tẽporales verò diuitias si nõ habetis contẽnite: si verò habeatis, pauperib' erogate. Has enim diuitias Domin' in Euã. fallaces appellat: quia hominẽ decipiunt, cũ nec felicẽ nec sufficientẽ faciãt & cũ homine manere nõ possunt: de quibus Dauid. Dormierũt, inquit, somnum suũ, & nihil inuenerunt oẽs viri diuitiarũ in manibus suis. Et alibi, Et relinquẽt alienis diuitias suas. Hinc est q' Dauid cum tẽporalibus diuitiis abundaret, quia spirituales diuitias nõ ita abundanter habebat, vt vellet, se pauperẽ vocat & egenum, dicens. Ego egenus & pauper sum, Deus adiuua me. Itaq; fratres si vere diuites esse vultis, illas spirituales & æternas diuitias amate, ad illas toto desiderio festinate. Si verò temporales diuitiæ affluũt, nolite cor apponere, sed pauperib' erogate. In quibus verò diuites sint, ostendit cùm dicit, *in omni verbo*, scilicet prædicationis veteris & noui testamenti: *Et in omni scientia* diuina, tam diuinarũ rerum quàm humanarum. Quæ vtiq; si cum charitate habeatur, virtus est, *sicut testimoniũ Christi confirmatũ est in vobis*. Testamentum vocat scripturam, quia est testis æternæ hæreditatis. Euangeliũ ergo est testamentum, quo Christus moriens, æternam hæreditatẽ, si eũ dilexerimus nobis testatus est. Testamentum autẽ hoc erat confirmatum in Corinthiis: quia ipsi in hoc testamento per fidẽ, spem & charitatẽ ita confirmati erãt, vt neq; mors, neq; vita, neq; gladius posset eos separare ab amore Christi testatoris, & ab amore hæreditatis. *Vt nihil*, inquit, *deest vobis in vlla gratia*, subaudi quæ necessaria sit in via. Vnde patet q' quidam Corinthiam perfecti erãt modo viæ. Excutiamus fratres im-

Fides prima gratia.

Psal. 78.

Psal. 48.

Psal. 61.

perfectio-

perfectionem & teporē nostrū, quotidie cum suspiriis flagitantes testatorem Christū, vt ipse in suo testamento & gratia nos cōfirmet, quatenus ab eo nullatenus diuelli valeamus. Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apost. quid Corinthii per prædictas gratias, expectent, dicens: *expectātibus reuelationē Domini nostri Iesu Christi.* Expectare, est cū desiderio sperare, Corinthij autem cū desiderio sperabant & præstolabantur reuelationem Iesu Christi. Iniqui verò nō expectant, imò timent aduentū Christi, more mulieris adulteræ, quę aduentū sui viri formidat. In vobis fratres hoc ꝙ dico animaduertere potestis: quia qui sibi nullius est cōscius, & Deū sincerè diligit, eius aduentum tanquā Patris & amici sui cū desiderio expectat, dolens inter miserias huius seculi, ab eius visione differri: Iuxta illud Pauli, Cupio dissolui & esse cū Christo. Nos ergo fratres nos tales præparemus, quibus sit hîc mundus exiliū, & reuelatio Christi desiderabilis. Dicitur autē aduentus Christi reuelatio, triplici de causa: siue quia seipsum manifestabit in potentia qui primò venit occultus: Iuxta illud sicut fulgur exit ab oriente & paret vsq; in occidentē, sic erit & aduentus filij hominis. Siue quia occulta cordium reuelabit, iuxta illud, Nolite iudicare ante tempus quoadusque veniat Dominus, qui & reuelabit abscōdita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium. Siue quia tunc reuelabitur qui sunt electi, & qui reprobi. Iuxta illud, filioli nondū apparuit quid erimus: sed cū apparuerit, tunc similes ei erimus. Quia verò de nostra virtute non possimus securè expectare aduentū Christi, subiungit: *Qui & cōfirmabit vos vsq; in finē, sine crimine*: nō ait sine peccato. Sine enim peccato saltē veniali, in hoc mūdo viuere nō possumus. Vnde Ioan. Si dixerimus, inquit, quia peccatū non habemus: nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Sed ista venialia, quę quotidie fiūt, vt in vano verbo, in risu, in tarditate eūdi ad Eccleſiā, vel dandi eleemosynā, quotidianis satisfactionibus delētur, vt in cōtunsione pectoris, in eleemosyna, in oratione, & huiusmodi. Sed ait, *sine crimine*. i. in criminali peccato, qualia peccata separāt hominē à deo. Et ita confirmati à Deo, erimus securi in die iudicij, Qui vocatur dies, vel à charitate magna & cōtinua, vel à reuelatione

Phil. 1.

Triplici de causa aduētus Christi dicitur reuelatio.

Mat. 24.

1. Cor. 4.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 1.

tione gloriæ Christi: vel à reuelatione cordium, & glorificatione iustorum. Qui tamē dies, cùm sit dies electis, qui illuminabuntur, erat nox reprobis, qui in tenebris æternis recludentur: vt sint sine vero sole, sine calore boni, sine
Ioan. 9. oportunitate bene agendi: iuxta illud, Venit nox in qua nemo potest operari. A qua nocte nos conseruet omnipotens dominus, & det nobis videre ęternam & beatā suam claritatem per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XVIII. POST TRINITAT.

Matt. 22. *Conuenerunt Pharisæi in vnum, & interrogauit Iesum vnus ex eis legis doctor tentans eū.* Textus huius Euāgelicę lectionis fratres charis. tantò auidius est audiēdus, quantò doctrinā continet necessariam nostris animabus. Sunt autē eius partes quatuor. Primū enim conuenientes Pharisæi, per vnū illorū Iesum interrogant. Secundò Iesus respondet eis. Tertiò eos cōfutat. Quartò simplices informat. Conuenerunt igitur Pharisæi in vnum. Mali quippè, quamuis nō solū ab aliis, sed etiā inter se diuisi sint: q; inde cōtingit, quia contrariis vitiis famulantur, tamē in persecutionē bonorū conueniunt. Sic Herodes & Pilatus cū inimici essent, in morte Christi cōueniunt. Sic quoq; Pharisæi & Saducæi cū diuisi essent & discordes in accusandū Paulum cōueniunt. Sic quoq; potentes & malitiosi huius seculi, quamuis cōtrariis vitiis seruiant, tamen sese coadiuuant & cōfœderant cōtra iustos. Quorū coadunatam malitiam fratres mei, studeamus superare per sapientiam, per patientiam, & per orationē, dicentes cū Propheta: Præcipita Domine, diuide linguas eorū: videlicet vt quēadmodum in turre Babel præcipitata est malitia per diuisionem linguarū, ita & nunc præcipitetur per diuisione animorū.
Psal. 54. Conuenerunt ergo Pharisæi in vnū contra Dominum, vt quē nō poterant ratione, superarent multitudine. Et per vnum, illum interrogant, vt si vinceret, oēs victores viderētur. Et si vinceretur, solus victus videretur. *Interrogauit*, inquit, *eū vnus ex eis legis doctor*. Doctor legis contra legis auctorem se erigit. Vnde patet, quoniam scientia sine charitate nocet: iuxta illud Pauli, Scientia inflat, charitas verò ædificat. Huic doctori legis sunt similes hodie multi hæretici, qui per verba charitatis impugnant veritatem.

Similes

Similes etiam sunt eis qui per diuitias, potentias, & honores à Deo sibi datas, ipsum Deū & Ecclesiā persequūtur. Quia verò interrogatio fit vel causa dicendi, vt quādo discipulus interrogat magistrū: Vel causa fallendi, vt quādo malignus interrogat simplicē, determinat Euāgelista qua intentione doctor legis Christū interrogaret, cùm subdit: *Tentans eū.* Tentabat ergo eum, nō vt probaret, vt Deus tentauit Abraham: nec vt doceret, vt magister tentat discipulū, sed vt falleret: vt diabolus tentat Christianum, dicens: *Magister, quod est mandatū magnū in lege?* Sub simplicitate verborū, ponit laqueos insidiarum. Iuxta illud, Molliti sunt sermones eius super oleū, & ipsi sunt iacula. Interrogat autē nō vt instruat, aut instruatur: sed vt suam ostentet peritiā, & alterius derideat simplicitatem. Tales (vnde dolendum est) sunt hodie plures, qui quærunt & disputant de scripturis, nō vt faciant, sed vt appareant: & vt Philosophus ait, voluit scire, vt sciantur. Magister verò veritatis, veritatem tentanti nō tacet, ostendens vt quacūque intentione veritas interrogetur, si oportunum est, eā aperiamus. Sequitur pars secunda, in qua Dominus respondens Pharisæis, instruit nos de dilectione Dei & proximi, & de ordine diligēdi. Et quia per hoc tota lex & Prophetæ adimplentur, de dilectione Dei nos instruit, cū dicit: *Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mēte tua.* In quo mandato demonstrat quare & quantū sit Deus diligendus. Quare? Ob tres causas: quia bonus est in se, q̄ innuit in hoc q̄ ait, *Deum*: quia meruit diligi à nobis, nos creando, nutriendo, redimendo, q̄ innuit in hoc quod ait, *Dominū*, quia seipsum in præmiū diligentibus se tribuit; q̄ innuit in hoc q̄ ait, *tuū*. Quantū verò sit diligendus ostendit, cū ait, *& ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*. i. ex toto q̄ scis, ex toto q̄ viuis ex toto q̄ meminis. Oēs enim motus nostri, sicut sunt à Deo, ita ad Deū sunt dirigēdi. Sed fratres mei quid sibi vult hæc inculcatio verborum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mēte tua? Nōne si dixisset ex totō corde satis dixisset? vtiq;. Sed tot inculcata sunt verba ad maiorē expressionē: quia nunquam satis dicitur, q̄ nunquam satis agitur. Sed quis hoc mandatū potest implere? Nullus

1. Cor. 8.

Psal. 54.

in

in via. Quare ergo datum est? Vt agnoscat homo se semper in via imperfectum esse, & tendat ad patriam, vbi hoc possit implere. Sed nec in patria tātū poterit amari Deus, quātū est dignus. De dilectione verò proximi nos instruit cum dicit: *Diliges proximū tuū sicut teipsum.* Innuitur au tē hīc in quo sit diligēdus proximus, & qualiter & quare. In quo? in hoc q̄ est proximus nobis natura vel fide, vel cognatione, vel beneficio, vel loco, vel familiaritate coniunctus, Oēm ergo hominem diligere præcipimur, tā notum quàm ignotum, tam amicū quàm inimicū, tam bonū quàm malū. Non quidē inquantū est malus vel inimicus, sed inquantū est proximus nobis natura, vel fide, vel virtute: vel si nō est, vt sit. Qualiter proximū diligere debes? sicut teipsum. Nō ait quantum teipsum, sed sicut teipsum: id est bene te, & bene proximū. Nam qui se malè diligit, se odit. Sic ergo proximū diligamus sicut nos, tanta bona ei optemus, quanta nobis. Quare verò proximus diligendus sit, ex hoc nobis innuitur, q̄ in primo mandato oēs motus animi & corporis nostri, ad Deū diligendum dirigere præcipimur. Vnde nobis constat q̄ etiā ipsos motus amoris, quibus vel nos vel proximos diligimus, ad Deum tanquā ad causam & ad finē dirigere debemus, vt scilicet & nos & proximos, non nisi in Deo, & propter Deū diligamus. De ordine verò diligēdi, nos instruit, in hoc q̄ illud mandatum, maximū & primū vocat: & istud, secundum. Mandatū enim de dilectione Dei, est maximū, quantum ad dignitatem: & primū quantum ad ordinē. Deum igitur super omnia diligere debemus: deinde animā nostrā, tertio loco animā proximi, quarto corpus nostrū. Patrem verò & matrē inter proximos primū debere diligi, ostendit Dominus, cū de dilectione eorum primum secundę tabulæ mandatum dedit. Post illos, diligenda est vxor, quoniam & si propter vxorem relinquēdi sunt pater & mater corpore, non tamen mente. Post vxorē, filij: post filias, fratres, post hos nepotes. Post, magis diligendus est, qui magis est coniunctus nobis carne, familiaritate, beneficio: & ad vltimum, inimici. Hinc est quòd mādatum de dilectione dicitur à Propheta, latum mandatum tuū nimis: quoniam extenditur à dilectione Dei vsque ad dilectionē inimici.

Dilectio proximi.

Omnis homo diligendus.

Ordo in dilectione seruandus.

Psal. 118.

micí. Quod verò per hęc duo mãdata tota lex impleatur, ostendit dominus, cũ ait, *in his duobus mãdatis tota lex pẽdet & Prophetæ*. Qui enim Deũ diligit, mandata eius custodit: Qui verò proximũ diligit, in nullo vult lædere, sed potius prodesse. Vnde nec eũ occidit, nec eius vxorẽ mœchatur, nec res eius furatur, nec cętera quę prohibita sunt, operatur. Si ergo nõ potes oẽs scripturas scire, saltẽ de dilectione Dei & proximi mandatũ tene. Quoniã ille tenet, & q̃ patet, & q̃ latet in diuinis sermonibus, qui charitatẽ tenet in moribus. Qui hanc habet, oĩa habet: & qui in hac offendit, factus est omniũ reus. Hinc Propheta, oĩs, inquit cõsummationis vidi finẽ: latũ mandatum tuum nimis. Et Apost. plenitudo legis est dilectio. Dilectionẽ ergo fratres *Rom. 13.* super omnia teneamus: quoniã dilectio legem conseruat, Deũ sibi appropiat, proximos sibi amicat, inimicos reconciliat, diabolũ superat, mortẽ ignorat, aduersa æquanimiter portat, prosperè sapienter tẽperat, oĩa cõmunicat, nunquã excidit, aliorũ bona sua facit, sola Deum videt & cognoscit. Sequitur pars tertia, in qua Dominus Pharisęos cõgregatos confutat, interrogandos eos hoc modo: *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est*, Interrogat autem eos, non vt ipse ab eis erudiretur, qui omnia nouerat: sed vt eos erudiret, qui erudiri nolebant: sed vt ostendens eorum ignorantiã, eorum confutaret superbiam, qui scientia legis inflati erãt, & vt de æterna Christi natiuitate nos erudiret, & vt garrulitati Pharisæorũ silentiũ imponeret. Horum igitur superbiã confutat, cum eos ostendit ignorare, quomodo Christus dicatur à propheta Dominus Dauid Putabant enim, & adhuc putant Iudei, Christum purũ hominẽ forè ex semine Dauid, & ideò rectè secundum eos quærit Dominus quomodo Dauid vocet Christũ Dominum suum: cùm sit secundum eos antiquior tempore, & pater generatione. Nam si Christus est filius Dauid, quomodo eius est Dominus? Vel si eius dominus, quomodo eius est filius? Nos aũt instruit dominus de æterna sua generatione per verba Prophetę, introducentis patrẽ ad filiũ loquentem ita: *Sede à dextris meis*. Nam in sequentibus versibus statim ostenditur Christus esse coæternus patri qui ei dicit: Tecum principium in die virtutis tuæ, subau-

dis

dis est mihi. Et esse ex eo natus, cùm subiungitur: Ante lu-
ciferum genui te. Itaque fratres mei, quod Iudei ignorāt,
Duas Christi natiuitates. nos intelligimus duas Christi natiuitates, vnā de Patre an-
te secula, secundum quam est vnus Deus & Dominus cū
patre. Vnde & Dauid vocat eum Dominum: Et alteram
in tempore de virgine, De semine scilicet Dauid: vnde &
filius Dauid dictus est. Silentium etiam imponit Phariseis
vt tam euidenter ignorantia natiuitatis Christi confusi,
nō amplius audeant eum de scientia legis aggredi, quem
videbant nosse omnia secreta legis. Sequitur pars quar-
ta, in qua Dominus discipulos & simplicē turbam mora-
liter instruit dicens. *Super cathedram Moysi sederunt scri-*
bæ & Pharisæi, &c. Sicut ex hoc & ex aliis sancti Euange
lij locis, colligimus fratres mei, tres sunt. Pastor, mercena-
rius, & fur sicut nomine, ita & intentione diuersi. Pastor
enim est, qui ex charitate oues Christi exemplo & verbo
Ioan. 10. pascit. De quo Dominus, Pastor, inquit, bonus, animam
suam ponit pro ouibus suis. Mercenarius verò est, qui pro
temporalibus oues Christi pascit verbo, & non exemplo.
Ibidem. Vnde Dominus. Mercenarius, inquit, fugit, quia merce-
narius est: & non pertinet ad eū de ouibus. Fur est hæreti-
cus, qui nec exēplo, nec verbo oues Christi pascit: imo eas
occidit, cū se illas pascere mētiatur, De quo dominus: fur,
inquit, nō venit, nisi vt mactet & perdat. Mactat enim ma
lo verbo, perdit malo exēplo. Ait igitur Dominus in hac
Euangelij lectione de mercenariis sub nomine Scribarum
& Phariseorū. Et hoc modo. Primò describit quales sunt,
& quomodo se habeāt. Secundò ostendit quid eis a popu
lo debeatur, Tertiò describit vitia eorum: Quartò prohi-
bet discipulis ne eos imitentur. Quales igitur sint ostēn-
dit, quum eos vocat Scribas & Phariseos. Scribæ sunt,
quia sciunt legem. Pharisæi verò sunt, quia se diuidunt
ab aliis per superbiam & inanem gloriam, habentes sci-
licet scientiam sine charitate, quæ iuxta Apostolum in-
1. Cor. 8. flat, non ædificat. Quomodo se habent? Super cathedram
Moysi sedent: Est autem cathedra doctorū, sicut tribunal
Cathedra Iudicum, thronus regum. Per cathedram ergo doctrina le
gis vel Euangelij intelligitur. Bonus ergo Pastor sedet in
cathedra: quia intra doctrinam legis sese coercet: nec
eam

eam trāsgreditur. Mercenarius verò sedet super cathedrā, quia doctrinā legis male operando transgreditur & cōculcat. Hæreticus verò sedet extra cathedram: quia nec facto, nec verbo doctrinā legis tenet. Secūdò quid oues debeant mercenariis, ostendit cū subdit: *Quæcunque ergo dixerint vobis, seruate & facite: secundū verò opera eorū nolite facere.* Ac si apertè dicat: quia doctrinā legis prædicāt, audiendi sunt: sed quia eā malè viuendo transgrediūtur, sequēdi nō sunt. Bonus ergo pastor, quia & doctrina & vita legem tenet, audiēdus & sequēdus est. Vnde Dominus, Vocē, inquit, eius oues audiunt, & sequūtur. Mercenarius verò, quia nō vita, sed sola doctrina legē tenet, est audiēdus, & nō sequendus. Vnde & hīc dicitur: *Quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite.* Secundū verò opera eorū nolite facere. Fur verò, quia nec doctrina, nec vita tenet legē, nec audiendus, nec sequendus est. Vnde Dominus: Nō audierūt inquit eos oues, quia nō nouerūt vocē alienorū. Nouerat quippè Dominus quosdā subditos fore, qui vidētes prauā vitam doctorū eos audire contēnerent. Et propter hoc ait hīc. *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Et nouerat quosdā fore, qui etiā prauam doctorū vitā sequerētur dicētes: Nōne hoc & hoc facit sacerdos, facit & Episcopus meus? Quomodo ego sanctior essem illis? Ideo subiūgit Dominus: *secundū verò opera eorū nolite facere*: quia in doctrina sunt sequendi, nō in vita. Tertiò subiūgit sex vitia mercenariorū, scilicet transgressionē, crudelitatē, remissionem, vanā gloriā, crapulā, honoris & gloriæ ambitionem. Porrò de trāsgressione legis eos redarguit, quū dicit: *Dicunt enim, & nō faciunt.* De summo pastore scriptū est, Cœpit Iesus facere & docere. Neq; enim sufficit doctrina sine vita. Si enim dicis & non facis, dicetur tibi: Quare tu ipse hoc quod præcipis, nō facis? Quare prædicas nō furādum & furaris? Hinc ait Psalm. Peccatori autē dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meū per os tuū? Tu verò odisti disciplinā, & proiecisti sermones meos retrorsum. Hinc est quod baculus pontificalis in seipsum reflectitur: vt scilicet quod aliis prædicat, in se ostendat. Rursus nec sufficit vita sine doctrina. Vnde Propheta clamat: Væ mihi quia tacui. Et alius: Si non an-

Hæreticus sedet extra doctrinam.

Ioan. 20.

Act. 1.

Rom. 1.

Psal. 49.

Esa. 6.

Ezech.3. nuntiaueris, inquit, impio vt ab iniquitate sua cõuertatur, ipse quidẽ in iniquitate sua morietur: quia nõ annuntiasti ei: sanguine aũt eius de manu tua requiram. Heu fratres mei, quam sunt hodie rari veri Pastores. Nã nos, q̃ Pastores plebis vocamur, tã in vita, quam in doctrina claudicamus. Nã quãta differẽtia est inter pastorẽ & oue: tãta differentia debet esse inter vitã pastoris, & vitã subditi: vt videlicet respectu excellẽtiæ pastoris, subditi grex dicantur. Debet enim sacerdos esse in populo velut lux in obscuro, velut stella in throno, vt ad claritatẽ viæ eius, cæteri viã
Mat.4. sequãtur. Vnde & Dominus ait: Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ: vt scilicet per claritatẽ vitæ vestræ, populus illustretur: Et per sapientiã vestrã insulsi & idiotæ erudiãtur. Sed q̃ sine gemitu dicere nequeo, nos qui debuimus, esse lux mũdi, facti sumus tenebrę: & est sicut populus sic
Ose.4. sacerdos. In doctrina etiã claudicamus: tũ quia sumus pigri ad prædicandũ, nisi nõ attenderimus tẽporale emolumetũ: tũ quia personas accipimus, durius pauperes increpantes, & potentũ vitia vel palpantes vel tacentes. Et hoc vnde fratres, nisi quia pauperes cõtemnimus, & potentes formidamus: cadẽtes hinc à charitate, illinc à iustitię rigore? De crudelitate verò Pharisæos arguit, cùm subdit: *Alligãt enim onera grauia importabilia, & imponũt in humeros hominũ.* Quod grauia imponũt, austeritatis: q̃ importabilia, crudelitatis & impietatis erat. Hoc faciunt etiam hodie quidam falsi pastores, qui nescientes cõpati infirmitatibus subditorum, alij imponunt onus, vt per totã vitã suam ieiunet in pane & aqua. Alij, vt semper in cilicio & cinere super terram recumbet. Alij, vt semper nudo pede exulet. Alij, vt omnia relinquat, & heremum intret. Quæ infirmi importabilia reputãtes, quasi de venia desperãdo, omnem deserunt satisfactionẽ, & in peccatis permanent. Scriptum est enim, Asellus sequens matrem nimis oneratus diuertit. Non autem attendunt qui hoc faciunt, quod Samaritanus sauciato adhibuit oleum & vinum. Oleum
Gal.6. misericordiæ, & vinum correctionis. Vnde & Paulus, Si præoccupatus, inquit, fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis; considerans teipsum ne & tu tenteris. Alter alterius

onera

onera portãte, & sic adimplebitis legẽ Christi. Bonus ergo Pastor accedat ad peccatorẽ more Samaritani, & misericordia moueatur super eũ. Cum infirmatur per cõpassionem, postea infundat oleũ, cõsolando & veniam promittendo. Tertiò infundat vinum, modestè corrigẽdo. Quartò eum subleuet in iumentum suum, eius onera portãdo per orationes, sacrificia, & oblationes: Vt imitetur illum verũ Pastorem qui languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. De nimia remissione Pharisęos redarguit, cũ subdit: *Digito autẽ suo nolũt ea mouere.* Quasi dicat: grauiora mandata, quæ alijs imponũt, ipsi nec in minimo aggredi volũt: Et ita cùm in alijs sæuiant, sibi nimis indulgent. Cùm ecõtrario officium boni Pastoris sit, vitiis suis nunquam indulgere, sed se asperius iudicare & tractare: & aliis indulgentiorẽ esse. Multum in hoc fratres mei, quotidie peccamus: qui aliis grauiora onera satisfactionis imponẽtes, nos remisse tractam⁹: aliorũ vitia iudicamus, & nostra excusamus. Aliis dura & longa ieiunia imponimus: & nos cõmessationibus & ebrietatibus vacamus. Aliis castitatẽ præcipim⁹, & nos renibus indulgemus. Alios vestiri cilicio, & iacere in sacco & cinere præcipimus, & nos mollibus vestimur, & in mollitia recubamus. Alios omnia relinquere & pauperibus erogare monemus, Et nos auari in terra thesaurisamus, faciẽtes duplex iudiciũ, aliud proximo, aliud nobis. Et quod in aliis damnamus, in nobis excusamus: cũ scriptũ sit. Statera & statera, põdus & pondus, vtrũq; abominatio est apud Deũ. De vana gloria eos redarguit cùm subdit: *Omnia sua opera faciũt vt videantur ab hominibus.* Sed sicut alibi dicit dominus, receperũt mercedẽ suam, laudẽ scilicet humanam quam quęsierũt. Faciunt certè & boni pastores aliquando bona in publico corã hominibus, sed inde nõ quęrũt gloriã suam, sed Dei, & vtilitatẽ proximi. Iuxta quod Dominus alibi præcipit, Sic luceant, inquit, opera vestra coram hominibus, vt glorificẽt patrem vestrum qui in cœlis est. Deinde in quibus Pharisæi quærebant vanam gloriam, exponit cum subdit: *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificãt fimbrias.* Præceperat siquidem Dominus in lege, Habebis præcepta mea tanquam aliquid semper appensum ante ocu-

Officium boni pastoris.

Prou. 20.

Mat. 5.

Mat. 6.

los tuos. Huic literæ Pharisæi adhærentes, scribebant decem mandata in pictatiolis, & in fronte sua suspendebãt, vt præ cæteris, legis obseruatores viderentur. Vnde & hęc pictatiola vocat hic phylacteria: a phylasse, quod est obseruare. Præceperat etiam Dominus fieri fimbrias in angulis vestimentorum: vnde & eas Dominus habuit in vestimentis, de quibus Emorroissa vnam legitur tetigisse. At Iudæi amatores vanæ glorię faciebant sibi grãdiores fimbrias, in quibus spinas ligabant: ad quarum punctionem, legis diuinę recordarentur. His similes pleriq; nostrũ sunt hodie fratres mei, qui vt videãtur ab hominibus, religiosius se vestiunt, parcius viuunt, psalmos frequentius murmurãt, prolixius orant, genua crebrius flectunt, in choro primi incipiũt, & extremi finiũt. Sed quotquot tales sunt, proculdubio miseri sunt: qui pro vento fauoris, præmiũ vendũt virtutis: miseri in hoc seculo, miseriores in futuro. De crapula eos reprehendit cũ subdit, *Amãt enim primos recubitus in cœnis*. Ac si apertè dicat: ideò volũt videri gloriosi, vt honorẽtur ab hominib⁹, & inuitatione & priori & ampliori epulatione. Tales sumus & nos fratres mei hodie, vnde dolendũ est, qui gaudemus quando principes & potẽtes nos inuitãt, nos in primo loco collocãt, nobis varia fercula & vina apponũt. Medullã terrę comedimus, comessamur & inebriamur vino, in quo est luxuria, paupere foris famæ & siti pereũte. Porrò bonus pastor nunq̃ extra domũ suã eat manducandũ, tantũ gratia comedendi, prẽter quã gratia aliis proficiendi, vt inuitatores suos, à quibus pascitur corporaliter, pascat spiritualiter. Declinet autẽ in sede superbiã, in cibo saturitatẽ, in potu hilaritatẽ, in verbo leuitatẽ, vt suos ædificet cõuiuas, nõ solũ verbo, sed etiã grauitatis exẽplo. De ambitione eos redarguit, cũ subdit: *Et primas amant cathedras in synagogis*. Heu quantũ excreuit hodie hæc ambitio prẽlationũ inter nos: Ambiũt fieri magistri, antequã didicerint esse discipuli: ante præcipere, quam obedire. Alij simulãt sanctitatẽ: Alij principibus seruiunt: Alij congregant pecunias: Alij frequentant curiam: vt quã meritis nõ assequuntur, hypocrisi, pretio, violentia, prece assequantur, cathedrę dignitatem. Sed intelligat se non esse episcopũ, qui mauult præesse quã prodesse.

desse. Nemo presumat defendere ambitionē suā illo Apostoli dicto: Qui episcopatū desiderat, bonū op⁹ desiderat. Opus enim dicit: nō honorē, opus, nō opes: laborem, nō requiē: ministeriū, nō, dominatū: solicitudinē, nō gloriā: aliorum onera portare, nō portari: quærere non quæ sua sunt, sed quę Iesu Christi Qui ergo ita episcopatū desiderat, bonū opus desiderat. Sed quam rarus est hodie talis fratres charissimi, quin potius ferè omnes ostendunt cùm ad dignitatē peruenium, qua intentione eam ambierunt: male ascendunt, peius viuunt. Assumunt sibi numerum equorū, vt iam non videantur Episcopi, sed tyranni. Præmittunt in quadrigis & summariis multam & pretiosam suppellectilem, quasi castra transportarent. Incedunt trabeatis frenis, & ędificiis deauratis. Nō est modus vestibus, non cibariis, non palaciis, nō argenteis scutellis, & cyphis aureis. Elati in cathedra, obliuiscuntur se esse mortales, diuitum personę assumuntur: pauperes abiiciuntur ordines ecclesiæ & iustitiæ venundātur: & quæ carè mēcati sunt, carius vendere cōcupiscunt. Lectio & contemplatio contemnitur, & lucrosæ causæ agitantur. De vana gloria iterum eos reprehendit, cùm subdit, *Amant salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Cùm diabolus opera quorundam nec in principio operis, nec in executione per intentionē vanæ gloriæ vitiare potuerit, postea per oblationem fauoris & laudis eos aggreditur, iuxta illud quod Domin⁹ serpēti dixit, Et tu insidiaberis calcaneo eius. Inducit ergo eis adulatores, à quibus salutātur, beatificātur, & decipiuntur, iuxta illud Esaię, Populę meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Quanuis enim exterius rubeant, & indignos laude se dicant, tamen interius anima ad laudem lætatur & delectatur, & ita maculatur. Pugnā quippè vanæ gloriæ nemo aduertit, nisi qui ei bellum indicit, & qui eam subtiliter inquirit. Quartò prohibet Dominus discipulis, ne Phariseos imitentur, cùm subdit. *Vos autē nolite vocari Rabbi.* Aliud est fratres mei vocari, aliud velle vocari Rabbi. Velle vocari Rabbi, semper est ambitiosi & glorioſi: Vocari verò, est tam boni quā mali. Sed bono magistro nō nocet vocāri magistrum, imò prodest. Cùm enim vir bonus audit se magistrum vocari, hinc in-

1. Tim. 3. Episcopatus quomodo desiderandus.

Gen. 3.

Esa. 3.

telligit neceſſitatē ſibi indictā: vt quod dicitur nomine, ſit & re. Hinc ſtudet & laborat verbo & exemplo ſe verū magiſtrū aliis exhibere. Peruerſo verò magiſtro nocet, ſi vocetur magiſter. Nam cùm audit ſe vocari magiſtrū, magis alij credit quàm ſibi: & inde inſtigatur nō ad ſeipſum corrigendū, ſed magis ad ſuperbiēdum. *Omnes enim*, inquit, *fratres eſtis*. Ac ſi dicat, licet officio & excellētia ſitis aliis magiſtri, tamē per charitatē & humilitatē ſubditos vobis coęquātes, magis fratres quàm magiſtri velius vos appellari. Nec putetis fraternitatē ſpiritualē, quæ eſt inter vos, eſſe minorē carnali fraternitate. Nulla quippè eſt carnalis fraternitas in reſpectu ſpiritualis. Vnde & ſubdit. *Et Patrē nolite vocare vobis ſuper terrā: vnus eſt enim Pater veſter qui in cœlis eſt*. Homo enim dicitur pater filij, non quia eū creet, ſed quia generationis eius tantū eſt miniſter. Deus verò ipſe eſt creator corporis & animæ: ipſe eſt auctor generationis tā primę quàm ſecūdę, ipſe nutritor, doctor, & ſaluator. *Nec vocemini magiſtri: quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*: q ſolus oēs docet, & ſine quo nullus docetur. ipſe enim eſt magiſter & auctoritate & officio. Ipſe docet exterius & interius. Exterius verbo & exēplo; Interius inſpirādo. Niſi aūt ſit intus q doceat, in vanū lingua doctoris laborat. homo enim tātū miniſterio exteriori magiſter dicitur. *Qui maior eſt*, inquit, *veſtrū erit miniſter veſter*, Ac ſi apertè dicat: nō erit cōtētio inter vos de magiſterio, ſed de miniſterio, nō de prælatione, ſed de humilitate. Sicut enim filiūs Dei venit in hūc mundū, nō vt ei miniſtraretur, ſed vt ipſe oībus miniſtraret, & animā ſuā prò oībus poneret: Sic debet aliquis ad officiū paſtorale accedere, nō vt dicatur: nō vt honoretur: nō vt ei miniſtretur, ſed potius vt ipſe miniſtret, & animā ſuā ponat pro ſubditis animabus: *Nā qui*, inquit, *ſe exaltat*, tēporaliter: *humiliabitur* ęterna liter. Nos ergo fratres chariſſimi, ſequētes verū & ſummū magiſtrū, quęramus in hoc ſeculo, nō ditari, nō honorari, nō delectari, nō miniſtrari, ſed potiꝰ miniſtrare, docere & prodeſſe, cū paupertate, cū humilitate, cū patiētia & labore, quatenus in cœleſti regno mereamur ditari, honorati & delectari. Per Dominū noſtrū Ieſum Chriſtū, qui cū Patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſęculorum. Amen.

DO-

DOMINICA XIX. POST TRINITAT.

Renouamini spiritu mētis vestræ, & induite nouū hominē qui secundū Deū creatus est, in sanctitate, & iustitia veritatis, &c. In hac lectione fratres charissimi, nos hortatur Apostol. ad nouitatē innocētis vitæ. Et hoc modo. Primo monet nos mutari de malo in bonum: secūdò ponit partes vetustatis, quas fugere debemus, & opera nouitatis, quę facere debemus. Primo igitur monet nos mutari de malo in bonū, cùm dicit. *Renouamini, &c.* Porrò renouatio fit quādo vetustas exuitur, & nouitas amissa recuperatur. Nos aūt fratres, fuimus noui formati in Adā: sed ipso peccāte, cum ipso incidimus in vetustatē. Sanè q̄ nouu est, purū, firmū, & forte est. Quod verò vet' est corruptū, infirmū, & debile est. Est autē Adā creatus nouus: quia purus: quia firmus: quia fortis. Purus sine peccāto, firmus ad resistendū vitio, fortis ad perseuerādū in bono. Sed quia spōte peccauit, vetustatē incurrit, factus impurus, infirmus, & debilis. Impurus quia corrūpitur vitio: infirmus ad resistendum vitio. Quia enim cùm euitare posset peccatū, noluit, inflictū est, vt cùm velit, no possit. Debilis etiā fuit ad bene agendū, p se enim benè agere nō potest, nisi gratia Dei adiutus. Dicitur igitur Adā vetus homo. Vetustas eius est illa corruptio & infirmitas, q̄ peccādo incurrit: quæ languor naturæ, siue sti nulus carnis, siue pronitas ad peccandū vocatur. Hęc est originale peccatū. Hoc etiā peccās peccatū dicitur, quia per eā velimus nolimus, peccamus. Propter hāc exclamat Apostol. infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christū. Christus verò ecōtrario dicitur nouus homo: quia nō ex cōcupiscentia cōceptus est, sed ex Spiritu sancto. Et purus, firmus, & fortis creatus est, & permānsit. Et eius innocētia, & sanctitas nouitas appellatur. Oēs igitur sicut nascimur ex corrupta massa Adę, ita nascimur ex corrupto corrupti: ex vetere veteres: sed per gratiā noui hominis Christi renouamur, dū in fide & baptismo eius, originale peccatū nobis dimittitur, & innocētia nobis cōfertur: & iuxta Apostol. de die in diē magis ac magis renouamur, cùm magis ac magis Christū imitando, in sanctitate proficimus. Hac nouitate Apostol. re-

Ephes. 4.

Quomodo fit renouatio.

Rom. 7.

Gal. 2.

nouatus ait, viuo ego, iam nō ego, viuit autē in mē Christus. in quo autem hęc renouatio, & quomodo, & per quē fiat, & ex quibus cōsistat, subsequenter ostendit Apostol. In quo fiat ostendit cùm ait. *In spiritu mētis vestræ*, id est, in spiritu & mente vestra: Per spiritum, inferiorem vim animę, id est, sensualitatē: & per mentem, superiorē intellectū intelligens. Est autem sensualitas illa vis animæ, quæ per officinas corporis, corporalia cōprehendit. Monet igitur nos Apostolus vt in sensualitate nostra, innouemur, vt sensus nostri nō exarētur vt prius ad vetera, sed potius ad opera noui hominis faciēda. Vt scilicet oculus nō videat teporalia ad cōcupiscendum, sed potius ad cōtemnendū: & pauperes nō ad spernendū, sed potius ad cōpatiendū. Aures non audiant illicita, sed sacra Domini verba. Nares nō oderēt meretricales odores, sed potius spiritualiū virtutū suauitatem. Gestus nō irretiatur lenocinios saporibus, sed ieiunio, & omni verbo q̄ procedit de ore Dei. Tactus nō delectetur illicito cōtactu, sed castimonia. Intellectum quoq; præcipit innouari, vt iam nō studeat in malitiis, in dolis, in fraudibus, in malis cōsiliis, & malis artibus, sed potius in spiritualibus studiis, & in sanctis lectionibus. *In sapiētia Dei*, in cōtemplatione cœlestium: vt ita imago Dei in nobis deformata reformetur. Quomodo vero hæc reformatio fiat, ostendit cùm ait. *Et induite nouū hominē*, id est, nouitatem noui hominis Christi: vt scilicet quantum possumus, simus innocentes: sicut ipse innocēs est: simus sancti, sicut ipse sanctus est: simus misericordes, sicut ipse misericors est: & quantū ipse dederit, simus eius imitatores. Per quem autem fiat hæc renouatio, ostendit cū subdit, *qui secundū Deū creatus est*, id est, nouitas eius secundū Deum creata est. Ac si diceret: Hęc nouitas nō potest esse in nobis ex nobis, sed ex eo qui ait, Ecce noua facio omnia. Quam nouitatē mentis propheta petēs à Deo ait. Cor mūdum crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in viscēribus meis. Sed & nos fratres mei, qui nihil ex nobis, nisi peccatū habemus, oremus cū gemitu, oremus quotidie cū lachrymis & suspiriis, oremus inquam cum Propheta, vetustatem peccati, aufer à me Domine, & spiritum rectum innoua in viscēribus meis. Ex quibus verō hæc

Sensualitas.

Apoc. 21.

Psal. 50.

hæc renouatio consistat, ostendit cùm ait, *in sanctitate & iustitia veritatis*. In sanctitate in nos, & in iustitia in proximos: & vt tã sanctitas quam iustitia sit veritatis: & veritate scilicet operis, & veritate finis. Sunt enim (vnde dolendum est) quidã simulatores, qui nec sancti, nec iusti sunt opere, sed simulant. Alij verò, & si opera sanctitatis vel iustitiæ habeant, tamẽ in fine degenerant, cũ de eis gloriam seculare expectant. Sequitur pars secunda, in qua ponit Apost. partes vetustatis, quas nos fugere docet: & partes nouitatis, quas nos sequi iubet, dicẽs: *Propter quod abicientes omne mẽdaciũ, loquimini veritatẽ, &c.* Tres partes vetustatis sunt: vetustas oris, vetustas cordis, vetustas operis. Tres quoq; econtrario partes nouitatis sunt: nouitas oris, nouitas cordis, et nouitas operis. Vetustatẽ igitur oris nos præcipit abiicere, cũ ait, *propter quod abicientes omne mendaciũ*. Est autẽ mendaciũ falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Mẽtiri verò dicitur, quasi contra mentẽ. Iuxta illud, Labia dolosa ex corde, & corde locuti sunt, i. ex duplicitate cordis. Sunt aũt sex species mendaciorũ. Primùm est, ꝙ prodest & nemini nocet, vt quãdo aliquis mentitur, pro vita alterius cõseruanda. Secundũ est, ꝙ nec prodest nec obest, vt quando iocando quis mentitur. Tertium est, ꝙ alicui prodest, & alicui nocet: vt quando mentitur vẽditor emptori. Quartũ est, ꝙ alicui nocet & nulli prodest, vt quando aliquis vult decipere inimicum suum. Quintũ est, quod fit sola libidine mentiẽdi, quod mirum peccatũ est. Sextum est mentiri in veritate fidei, quod est hæreticorum. Comprehenduntur autẽ sub mendacio detractio, adulatio, susurratio, incusatio: Quæ & si quandoque habeant vitæ veritatem, quia tamen malo fine dicuntur, mendacia sunt. Est autẽ omne mendacium fugiendũ. Vnde & hic ait, *proiicientes omne mendaciũ*. Et Propheta, perdes, inquit, omnes qui loquuntur mendacium. Nemini igitur licet mentiri. Licet tamẽ ei verum tacere, vel modali propositione, malitiam eludere. Episcopus quidam vt refert beatus Aug. nomine & fide firmus, quendam reum apud se abscondit. Qui cùm quæreretur, ait. Non licet mihi nec prodere, nec mentiri. Tractus ante regẽ Gentilem, cùm in hoc ipso vsque ad mortem perseueraret, factus est

Mendaciũ quid. Psal. 11.

Multiplex mẽdacium.

Psal. 5.

mirabilis in veritate & iustitia: liberatur gratia eius etiam reus. Ecce fratres quomodo veritas & iustitia etiam apud infideles habentur admirabiles. Propositione vero modali inquirẽtẽ eludere licet: vt cũ quærit gladiator, vbi est ille? Respondemus. Nescio, subintelligentes, tibi. Tales enim locutiones in sacra scriptura inuenimus, vt ibi, Morieris tu *Esa.38.* & nõ viues, subintelligitur enim nisi fleueris. Hæc est duplicitas quæ neminẽ decipit, sed potius iuuat. Ad nouitatem verò oris nos inuitat Apost. cũ subdit: *Loquimini veritatẽ vnusquisque cũ proximo suo.* i. cũ omni homine. Veritas enim est vera significatio vocis cũ fine debito: & vera quidẽ est significatio, quando quòd corde concipitur, voce significatur, quomodocunque se habeat res. Inde est quod Paulus, quando promisit se iturum ad Corinthios, quia vt mente habebat, ita locutus est, verũ dixit, quanuis non iuerit. Et econtra, si quis dicat cõtra mentẽ se aliquid facturum, & post illud faciat: tamen quia contra id quod sentiebat, dixit, mentitus est. Si autẽ & quòd sentit, dicat: sed non sine debito, id est, nõ propter Deum, mendax est. Hinc est quod testis, si verum testificetur propter pecuniã, mendax est. Ecce fratres, vnde dolendũ est, quàm rari sunt hodie veraces: quoniam & si sunt aliqui qui dicant, quod sentiunt: tamen ferè oẽs non ad Deum, sed ad temporalem finem intentionẽ dirigunt. Quòd verò adiunxit Apostolus, *quoniam sumus inuicem membra*, ita intelligẽdum est: Omnes fideles sumus mẽbra Christi: & debemus nos tanquã membra coadiuuare. Cũ ergo frater fratri mentitur, quid aliud quàm sinistra mentitur dexteræ? Et cùm sinistra dexteræ mentitur, quid aliud est quàm cõtra se operatur? Ita est proculdubio fratres mei, quicunq; mentitur alij, primùm nocet sibijpsi. Vetustatem verò mentis abiicere, & nouitatem induere nos monet, cùm subdit. *Irascimini & nolite peccare.* Quòd hîc Apost. de ira dicit, de cæteris passionibus, siue perturbationibus mentis intelligit, quę sunt timor & tristitia, cupiditas & gaudiũ, ira & odiũ, Hæ verò passiones naturales sunt, & à bonis benè vtuntur, & à malis malè. Qui enim timet offendere Deum benè timet. Et qui offenso tristatur, benè tristatur. Et econtra, qui timet ne nõ possit suam malam implere voluntatem,

tem, malè timet. Et qui tristatur, quia non impleuit, malè tristatur. Similiter qui irascitur contra peccatum suum vel alienum, benè irascitur. Hortatur igitur nos Apostol. (sed præpostere) induere nouitatē mentis, cùm ait, *irascimini*, subaudis contra vitia. Hortatur & nos abiicere vetustatem mentis cū ait, *Nolite peccare*, subaudis per iram, vel alium mentis motū. Vel certè (vt quidam volūt) primus motus iræ, qui in nostra potestate nō est, permittitur nobis cū dicitur: *irascimini*. Ira verò post illum motū, tanquā graue peccatum prohibetur, cū dicitur, *nolite peccare*. *Sol*, inquit, *nō occidat super iracundiā vestrā*. Hoc vel ad literā legitur, vt scilicet tā breuis sit ira q̄ vsq; ad occasum solis nō perduret. Vnde in vitis patrū legimus de duobus, quorum alterum sol nunquā viderat irascentē: alterum nunquam viderat comedentem. Vel sol. i. charitas Dei & proximi, non occidat in cordibus vestris, propter nimiam iracundiā: vt scilicet ita irascamur contra vitium fratris, quòd charitatem eius naturæ debitam non amittamus. Cùm enim superat ira, charitatem mētis perturbat, vt iam nō possit discernere quid deceat. Vnde Poëta, Ira, inquit, breuis furor est, *Et Salomon*. Ira, inquit, viri iustitiā Dei non operatur. Liptotes est. i. operatur iniustitiam. Non enim nouit iustè iudicare, quē ira conturbat. Propterea cū Theodosius imperator ex impetu iræ, plusquam decem millia hominum occidi iussisset, reprehensus à beato Ambrosio, dedit legē vt de cætero cùm Imperator vel iudex contra aliquem reū esset commotus, non statim eum iudicaret, sed per triginta dies esset reus in custodia, vt mitigatus animus iudicis, tunc melius posset iudicare. *Nolite*: inquit, *locum dare diabolo*. Qui dat locum peccato, dat locum diabolo. Sicut qui dat locū virtuti, dat locum spiritui sancto. Vetustatē operis nos præcipit Apost. abiicere cùm subdit. *Qui furabatur iam non furetur*. Per furtū intelligens & rapinam, & dolū & fœnus, & oēm exactionem. De quibus idem alibi, Ne quis circūueniat vel supergrediatur in negotio fratrē suū: quoniam vindex est Dominus eorum qui talia agunt: Si enim fratres mei damnatur qui nō dat propria: quid fiet de eis qui rapiunt aliena? Nouitatem verò operis nos præcipit assumere, cùm subdit: *Magis autem laboret vnusquisque* 2. Thes. 4.

quisque manibus suis quod bonū est. i. honestam & vtilem operationē, per q̄ accipit quodlibet genus laboris, vel artis honestæ, vt agriculturā, sutoriam, fabrilem, & cæteras huiusmodi artes, de quibus potest aliquis sibi & alijs honestè prouidere. Quod fratres mei, contra quosdā est, qui otiosè & curiosè viuentes, ad manus semper respiciūt alienas: Non attendentes se plura inde vitia incurrere, videlicet otiosam desidiā, & inexcusabilem mendicitatem, turpem impudentiā, atq; debitam alienorū peccatorum suppor-
2. *Thes.* 3. tationem. Contra quos Apost. ait, Qui nō laborat, nō manducet: & lex Imperatorum præcipit vt fortes mendicantes seruituti mancipentur. Ecōtrario fratres mei, quā honestus est modus viuēdi labore manuali, si iustè fiat & recta intentione, & cùm multa bona habeat in se. Primò, quia de suo iusto labore viuit. Secundò, quia debitas oblationes de suo, Deo reddit. Tertiò, quia habet vnde possit peccata redimere. Quartò, quia iuxta q̄ dicitur, hic habet vnde tribuat necessitatem patienti. Hanc igitur fratres charissimi triplicē oris, cordis & operis nouitatem habere studeamus: vt noui hominis Christi noua membra esse mereamur, ipso largiente, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XIX. POST TRINITAT.

Mat. 9. *Ascendens Iesus in naticulā, transfretauit, & venit in ciuitatē suā.* Iuxta literam fratres charissimi ostendit Dominus in hac S. Euāgelij lectione, se & veram humanitatem, & veram diuinitatē habere. Et veram quidem humanitatem se habere demōstrat, dum more hominū nauem ascendit & transfretat, & patriam terrenam visitat. Posset quidē omnipotens & summus Dominus, vtpote cui vniuersa famulantur elemēta, mare diuisisse, vel super aquas, sicut aliquando fecit, siccis pedibus ambulasse: sed assumptæ humanitatis vera in se demonstrare voluit argumēta. Cùm enim legimus Christum esuriisse, sitisse, fatigatum fuisse, nauis vehiculō transfretasse, patriam & parentes habuisse, credimus eum verè nostram humanitatem & infirmitatem susceepisse. Cæterum quoniam tam de diuinitatē quā humanitate eius eramus instruendi, nec super aquas vadit vt Deus, nunc naue transfretat vt homo, nunc de

paucis

paucis panibus multa millia pascit vt Deus, nunc esurit & sitit vt homo, nunc alios sanat vt Deus, nūc patitur vt homo. Veram verò se habere diuinitatem hic demōstrat in quatuor: Primò in alterius fidei cognitione. Vnde & hic dicitur, *videns Iesus fidē illorū.* Possent quidem nō ex fide, sed potius ex tentatione & derisione ei paralyticū curandum offerre, sed Dominum qui scrutatur renes & corda, fallere non potuerunt. Secundò in peccatorū dimissione. vnde & dicit, *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Vbi notandū est fratres mei, quoniā non ait Euangelista. Videns fidem paralytici, sed fidē illorum qui eū offerebant. Si ergo tantū valuit paralytico fides aliena, vt mēte & corpore sanaretur, quantum putatis valet vnicuiq; fides propria? Sed dices, Nunquid homini infideli Christus peccata dimisit? Nequaquā. Sed Dominus propter fidem offerentium, fidē Paralytico inspirauit: & ita credenti peccata dimisit. Tertiò se veram diuinitatē ostendit habere, in alienarū cogitationum cognitione. Vnde Scribis intra se dicentibus, hic blasphemat, dixit: vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quartò in paralytici per solū imperium curatione. Sunt enim fratres mei hic quatuor: scilicet cognitio alterius fidei, peccatorū dimissiō, alienarū cogitationū inspectio, solo nutu facta sanatio, ꝓpria solius Dei. Quæ tamē per ministros, quādo vult vt auctor operatur. Sed quoniā prima tria inuisibiliter, operaturus erat, ideo per quartū visibile signū ea cōfirmat. Vnde & dixit, *Vt autē sciatis quod filius Dei habet potestatē in terra dimittendi peccata,* subaudis & cognoscēdi fides & cogitationes cordiū: Ecce vobis hoc per visibile signū demōstro. Vnde & subdit Euangelista, *Tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuū, & vade in domū tuā. Et surrexit, et abiit in domū suā.* Iuxta tropologiam verò erudimur in hac lectione in quatuor. Primò enim in hoc ꝙ Dominus nauem ascendens, transfretauit, & venit in ciuitatem suā: erudimur exēplo eius, vt nos quoq; nauiculā ascendamus, & ab huius mundi exilio ad æternā transfretemus. Nauicula quippè significat sanctam Ecclesiā, quæ quāuis in hoc seculo malignis spiritibus infestetur, quamuis tribulationum vndis cōcutiatur, quamuis nunc per prosperitatem eleuetur, nūc per

aduer-

aduersitatem penè submergatur, tamẽ deo regente, & spiritu sancto impellente, eos qui in ea sunt per fidei & charitatis vnitatem, ad portũ salutis æternæ transportat. Sed quod sine gemitu dicere non possum, plures sunt hodie, qui cùm in ecclesia videãtur esse numero: extra sunt, merito plures, qui nolunt ad illã patriã transfretare: sed potius in huius mundi naufragio amant manere, & nollent præsentẽ finiri miseriam, sed semper hic durare. Plures etiã qui (quod grauius est) ipsam ecclesiæ nauiculam qua possent transfretare, hæresibus, cõtentionibus, insidiis, & persecutionibus persequuntur & scindunt, & quantũ in ipsis est submergunt: sed ipsi vt meruere submerguntur. Nauicula verò cũ fidelibus suis ad portum salutis applicatur. Transfretemus ergo fratres, spe & desiderio, & tendamus
Ephe. 2. in ciuitatẽ nostram: nostrã vtiq;, quoniã vt ait Apost. Iam non sumus hospites & aduenæ, sed sumus ciues sanctorũ, & domestici Dei: hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Rom. 8. Christi. Secundò verò, quia nõ solũ salutem nostram, sed etiam proximorum quærere debemus: instruimur ab eis qui Paralyticum in lecto iacentẽ Domino sanandũ offerebant: vt nos quoq; infirmis, siue mente sine corpore, & cõpatiamur: & eos domino sanãdos per orationẽ & desiderium offeramus, Nõ simus de numero illorum, qui quasi saxei vel ferrei essent, super afflictiones & dolores proximorũ, nulla cõpassione mouentur, sed potius imitemur illũ, de quo loquimur Iesum Christum, qui viscеribus misericordiæ semper affluit super infirmos & peccatores: si-
Esa. 53. cut de eo per Prophetã dicitur, Verè lãguores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. Imitemur etiã imita-
1. Cor. 9. torẽ eius Paulum, qui de se dixit, factus sum infirmis, infir-
2. Cor. 11. mus, vt eos lucrifacerem. Et alibi, Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Tertiò quoq; in hoc Dominus respexit ad fidem offerentiũ Paralyticũ, instruimur quod si pro nobis & aliis supplicantes à Domino exaudiri volumus, fidem perfectam. i. per charitatem operãtem habere studeamus.
Galat. 4. Impossibile est enim orationẽ vel aliud aliquid, sine fide
Iacob. 1. placere Deo, Vnde Iacobus, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluẽter, & nõ improperat. Postulet aũt in fide nihil hęsitans. Nam qui hęsitat, similis

est flu-

est fluctui maris, qui à vento circunfertur. Nõ æstimet autem ille homo se aliquid accepturũ à Deo, Si ergo, nec ille qui supplicat, nec ille pro quo supplicatur, est Deo cognitus, quomodo audiuntur? Scimus enim quia peccatores Deus nõ audit: Sed si quis est verus Dei cultor, hunc exaudit Deus. Quin potius si ille qui per infidelitatẽ vel impietatem suã est Deo odiosus, pro eo supplicare præsumit, nõ solum Deus nõ placatur, sed etiã exacerbatur. Itaq; fratres mei, studeamus per veram fidẽ nos notos & familiares Deo facere: vt ita locũ intercessionis apud eum habere mereamur. Quartò etiã in hoc quod dominus paralytico, non ob fidem suam, sed ob fidem offerentium peccata dimittit: ostendit quantum locum intercedendi habeant fideles apud ipsum, nõ solùm pro se, sed etiam pro aliis: & quantũ ipse sit pronus ad audiendũ preces eorũ, Vos ergo fratres, qui verè fideles estis, qui locũ familiaritatis & intercessionis apud Deũ obtinetis, nolite dissimulare vel negare auxilium intercessionis vestræ, reis & peccatoribus: qui etsi vos nõ petant, tamen vos pro eis petere nõ contẽnatis, talentũ vobis cõmissum non abscondatis: sed orate pro omnibus, orate pro singulis, quoniam Deus preces fidelium suorũ spernere non potest: sed ob preces nostras, nos qui in lecto torquentis conscientiæ infirmi iacemus, qui paralytici. i. membris dissoluti, & impotentes sumus: qui nec benè velle, nec benè loqui, nec benè operari valemus, per misericordiam suã ad benè agendum erigat: vt grabbatum. i. carnem infirmitatis nostræ, possimus à vitio subleuare, & ad cœlestẽ dominum supportare: quòd ipse præstare dignetur, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XX. POST TRINITAT.

Videte quomodo cautè ambuletis, &c. In hac lectione fratres charissimi hortatur nos Apostolus vt cautè ambulemus viam mundanæ peregrinationis vt ita per eam ad æternam patriã peruenire mereamur. Sunt autẽ huius lectionis quatuor partes. Primò enim nos monet vt cautè ambulemus. Secundò, vt ab impedimentis temporalibus nos redimamus. Tertiò, vt non mundana, sed spirituali ebrietati inebriemur. Quartò vt propter Christum subiecti *Ephe. 5.*

ci nos inuicem supportemus. Monens igitur nos Apo. vt viã huius mundi sapienter ambulemus, ait: *Videte quomodo cautè ambuletis*. Cautè fratres charis. ambulat, qui ambulat quò debet, & qua via debet: & qũo debet. Quò debemus, ambulamus, si ad æternã patriã toto desiderio festinamus, vt ibi videamus Deũ deorũ in Sion: quoniã iuxta Apo. Nõ habemus hic manentẽ ciuitatẽ, sed futuram inquirimus. Semper ergo fratres, ad Christũ qui nos præcessit, oculos erigamus, & qua via ipse præcessit, eũ sequamur. Oculi enim sapientis in capite eius. Via qua debemus ambulamus, si in fidei via de bono in melius proficimus. Non enim prodest fides sine operibus habenti tẽpus: nec opera sine fide. Habent enim Iudæi & gentiles bona opera pietatis: sed quia fidẽ non habent, per ea ad æternã patriã peruenire nõ valent. Habẽt fratres mei, & aliqui falsi Christiani viã fidei, sed quia malè operantur, per viã fidei nõ ambulant, imò reuertũtur. Nos ergo fratres, si per fidẽ ad Deũ peruenire volumus, de bonis operibus ad meliora nos extendamus. Quomodo verò debemus, ambulamus, si rectè, si planè, si modestè ambulamus. Rectè, si nõ declinamus ad dexteram per prosperitatẽ, nec ad sinistram per aduersitatẽ. Planè, si euitamus mõtes superbiæ & præsumptionis, & valles tristitiæ & desperationis. Modestè, si nec nimis citò nec nimis lentè eamus. Qui enim nimis in principio festinat, ante tẽpus lasceſcit & deficit. Quod faciunt quidam, qui in principio conuersionis suæ tantum onus susciptunt, quod ante tempus sit necesse eos deficere. Qui verò nimis lentè graditur, pigrescit, & ad metam in tempore non peruenit. Quod faciunt qui vel parum, vel nihil in operando proficiunt. Nos ergo fratres, cũ moderatione de minoribus ad maiora nos extendamus vt nunquã deficiamus: sed vsque ad perfectum proficiamus. Sed quoniam sunt quidam qui sub prætextu eleemosynæ se ingerunt sollicitudinibus, & negotiis secularibus, subdit Apostolus: *Non quasi insipientes, sed quasi sapientes*.

Heb. 13.

Non prodest fides sine operibus.

Est autem hæc pars secunda, in qua Apostol. monet nos expediri & redimi à temporalibus sollicitudinibus, quas quidã insipienter amplectuntur, dicentes se hoc facere vt habeant vnde erogent pauperibus. Sed Apost. vult seruos

Dei

Dei esse expeditos, Vnde ipse alibi ait: Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis. Vnde & hic subiungit, *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt*. Tempus redimit, qui vt tranquillè & pacificè transire possit, etiam de suo derelinquit. Vnde idem Apost. Corinthios reprehendens, quia in iudicio contendebant, ait: Quare nō magis iniuriam patimini? Et Dominus in Euangelio: Si quis, inquit, vult tecum contendere & tunicam tollere, da ei & pallium. Et alibi: Si quis quòd tuū est, tulerit, ne repetas. Hoc tamen est consilium non præceptum. Nam omni homini licet sua repetere, sed nulli cum contentione. Sub iudicio verò sua repetere, licet minus perfectis: magis verò perfectis, non licet. Diuinum ergo consilium est, vt ne aliquando in contentionem decidamus, contendenti cedamus: & etiam quod nostrum est fratres mei, dimittamus. *Quoniā*, inquit, *dies mali sunt*, nō in sui essentia, sed in prauè vtentium malitia: qui eos quos in via huius mūdi cernunt diuitiis honoratos persequuntur. Nos ergo fratres, solis necessariis sumus contenti, vt pacificè & expeditè viā latronibus & prædonibns obsitā transeamus. Hinc subditur, *Propterea estote prudētes, intelligentes quæ sit voluntas Dei*. Vult enim Deus seruos suos contemptores esse mundi, & sic expeditè ad eum festinare. Inde est quod cupientibus ditari, gloriari, & delectari hoc seculo opponit Deus aduersarios & impedimenta: vt cùm viderint se non posse prosperari in hoc seculo, ad Deum conuertantur. Vnde Dominus sub specie vxoris fornicantis loquitur ad Iudæā dicens: Sepiam viam tuam spinis, quæres amatores tuos, & non inuenies. Et dices: Reuertar ad virum meum priorem, quia melius erat tunc mihi quàm nunc.

2. *Tim.* 2.

1. *Cor.* 6.

Mat. 5. *Luc.* 6.

Osee 2.

Sequitur pars tertia, in qua, vt alacrius viam Dei pergamus, monet nos Apost. inebriari, non ebrietate mundana, sed spirituali dicens: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed impleamini spiritu sancto, &c.* Sunt enim tres ebrietates. Prima est vinosa, secunda mundana, tertia spiritualis. Prima est vini immoderati: secūda immoderatæ cupiditatis: tertia abundātis charitatis. Prima igitur ebrietas mala est, quia sensus hominis disturbat, mentem alienat, ad inhonesta & turpia excitat. Vinum quippe genitalia Noë nudauit Loth, filiabus suis miscuit. Væ vobis, dicit

Tres ebrietates.

Propheta, qui fortes estis ad potandū vinū, & ad miscendā ebrietatē. Ebrietas verò secūda est pessima: quia p amorē seculi sensus disturbat à seruitio Dei, mentē alienat à sapitia & amore Dei, ad flagitia & facinora trahit. Hic est calix Babylonis, de quo inebriātur omnes peccatores terræ. Tertia ebrietas est sanctissima: quia per amorē Dei, sensus retrahit ab operib⁹ malis: sensus alienat ab amore mūdi: desiderio ad cœlestem patriā trahit. Hac sancti inebriātur.

Psal. 55. Vnde Propheta: Inebriabuntur ab vbertate domus tuę: &
Psal. 22. torrente voluptatis tuę potabis eos. Et alibi Dominus per Prophetā, Calix meus, inquit, inebrians, quàm præclarus est. Nobis igitur fratres, in via huius mundi, inter aduersitates lassescentibus, necessariū est vt inebriemur, nō ebrietate mundana, quæ facit Deum & proximū obliuisci, sed spirituali, quæ faciat nobis obliuisci mundana, & toto desiderio festinare ad æterna. Impleamini ergo fratres, spiritu sancto, qui nobis in via Dei multas cōsolationes & auxilia præstabit: quoniā ipso inspirante, eritis loquentes vobismetipsis in Psalmis: Sic faciunt viatores, quia vario sermone laborē viæ alleuiāt. In via enim huius exilij, Psalmi debent esse colloquutiones, & alleuiationes terræ. Vnde & in eis cātamus, Cantabiles mihi erāt iustificationes tuę, in loco peregrinationis meæ. Simus etiā cātes voce & psal-
Psal. 118. lentes in cordibus nostris Domino, in hymnis & canticis spiritualibus, more peregrinorū, qui superata parte laboris cantant. Est autē Hymnus, laus Dei cum cantico. Can-
Quid hymnus. ticū verò est exultatio mentis habita de æternis, prorumpens in vocem. Spiritualis ergo ebrietas confert fidelibus in aduersis, non solū consolationes in psalmis, sed etiam cōgratulationes in hymnis vocalibus, & canticis spiritualibus in corde. Facit etiam agere eos gratias Deo, sicut faciunt nautæ post naufragium palinodias.

Sequitur pars quarta, in qua monet nos Apostolus, vt dum sumus in via huius seculi, simus subiecti inuicē in timore Christi, vt scilicet de sola humilitate & obsequio cōtendamus: supportantes inuicē, more viatorū: fortis debilem, leuis grauem: velox tardū. Vt impleamus illud Apo-
Gal. 6. stoli, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi: qui lāguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Cuius timore pariter & amore, nos quoque alio-

aliorũ infirmitates debemus portare. Et si sic fratres mei, cautè ambulauerimus, si nos ab impedimentis secularibus redimerimus, si per spiritualẽ ebrietatẽ obliuiscẽtes tẽporalia, ad æterna cum toto desiderio festinauerimus: si per charitatẽ alter alterius onera portauerimus, proculdubiò ad æternã cũ triumpho peruenietmus, per Dominũ nostrũ Iesum Christũ, qui cum Patre & Spiritusancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XX. POST TRINITAT.

Simile factũ est regnũ cœlorũ homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Mat. 22. Rex iste fratres charis. Deus pater est, qui est Rex regnũ, & Dominus dominantiũ: q. habet filiũ Regem secũ conregnantẽ: Iuxta quod Psalmista ait, Deus iudiciũ tuum Regi da, & iustitiã tuam filio Regis. Psal. 71. Deus ergo Pater, filio suo nuptias fecit, quia eum nostrã sibi assumere naturã costituit. Et hoc non quia ipse indigeret, sed quia nos indigebamus. Hoc enim fecit ob suã misericordiã, vt nostrã releuaret miseriã. Videte ergo tria, causam nuptiarum, dotalitiũ, & prandiũ. Et causa quidẽ, est reconciliatio hominis cum Deo. Sicut enim fratres mei, frequẽter videtis, quod quando inimicitiæ sunt inter duas familias, coniugiũ sit causa reconciliationis, inter virũ vnius familię, & mulierem alterius: ita & hic factum est. Discordia quippè grãdis erat inter Deum & hominem. Homo verò, per primam pręuaricationem in hoc detrusus exilium, Deum non cognoscebat, imò per praua opera eum impugnabat. Deus verò excelsus hominem propter inobedientiã odiebat. Quia tamẽ non obliuiscitur misereri Deus, placuit ei vt situm fugitiuum recõciliaret sibi. Et vnigenitum suum huius reconciliationis mediatorem fecit, qui sibi nostram coniungens humanitatem, hominem Deo, & Deum homini, reconciliauit. Dotalitia quoque est largitus filius Dei sponsæ suæ: conferens ei hic anulum fidei, & cæterarum arram virtutum & gratiarum: & pollicens, quòd si in eius amore perseueraret, dãret ei dotem cœlestium præmiorum. Prandium etiam fecit Deus in nuptiis filij sui in Ecclesia per sacramentorum communionem, apponens panem de cœlo quod confirmat, & vinum quod lætificat cor hominis. Apponens etiam per exemplorum informationem, tauros, id est, sanctos Patres veteris te-

ſtamenti, qui cornu talionis referiebāt: Et altilia .i. ſanctos patres noui teſtamenti, qui pinguedine gratiarum alti, & pēna contēplationis ad cœlu ſubleuātur, quorū videlicet exemplis & verbis paſcerentur. Apponitur autē in his nuptiis ad imitandum innocentia Abelis, Iuſtitia Noe, fides Abrahæ, caſtitas Ioſeph, mititudo Moyſi, mānſuetudo Dauid, patientia Iob, perfectio Apoſtolorū, conſcientia Martyrum, ſobrietas confeſſorū, munditia virginum. Ad has igitur nuptias (teſte Domino) multi ſunt vocati, pauci vero electi. Nam multi ſunt inuitati & ſæpè vocati, & tamē nō veniunt. Multi quoq; ſunt vocati & veniūt, ſed tamen eiiciuntur. Pauci verò ſunt reſpectu aliorū, qui cū ſponſo & ſponſa in æternum epulentur. Ecce tres diſtinctiones. Porrò inuitati & pluries vocati ſunt Iudæi: nā primò inuitati ſunt per Patriarchas: vocati ſunt poſtea per Prophetas & Apoſtolos: & tamen venire contēpſerunt: quin potius abiit alius in villam .i. in amorem terrenæ poſſeſſionis, timens amittere locū & gentem. Alius in negotiationē ſuā, .i. in obſeruationem ſuarū taxationū, præponens eis mandatis Dei. Contra quos loquitur Pſalmiſta, Quoniam nō cognoui, inquit, negotiationē, vel ſecundū aliā tranſlationem, literaturā, introibo in potentias Domini. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius. i. Apoſtolos & ſequaces eorum: & cōtumeliis affectos occiderunt: aliūm lapidantes vt Stephanum, aliū decollantes vt Ioannem Baptiſtam, & Iacobum Zebedæi, aliū præcipitantes, vt Iacobum Alphæi, & huiuſmodi. Deus autē pater iratus, miſſis exercitibus ſuis, per miniſteriū Romanorum, perdidit homicidas illos, & Ciuitatē illorum ſuccendit: Et etiam per miniſterium Angelorum damnauit animas eorum & ciuitatē, id eſt, corpora eorum igne perpetuo ſuccēdit. Multi quoque vocati ſunt & veniunt, ſed tamen quidam eorum eiiciūtur. Hi ſunt fratres mei, gētiles, nos videlicet qui de exitibus viarum .i. de diuerſis erroribus idololatriæ, cæterorumq; vitiorum vocati ſumus: & per prædicatores tā boni quàm mali, conuocati ad nuptias Chriſti cōuenimus. Vnde Pſalmiſta, Annuntiaui, inquit, & loquutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Sicut enim in area, ſuper numerum granorum ſuperexcreſcit numerus palearū: ita in Eccleſia ſuper numerū electorū ſuperexcreſcit numerus reproborum:

Pſal. 70.

rũ: in Ecclesia numero nõ merito, nomine nõ numine cõtentorũ. Nusquam quippè boni soli sunt, nisi in cœlo. Et nusquam mali soli sunt nisi in inferno. In mundo verò voluit Dominus permixtim esse bonos & malos triplici ratione: Quoniã mali sunt cum bonis ad purgationem, ad probationem, ad manifestationem. Ex persecutione enim malorũ boni purgãtur à peccatis. Vnde scriptũ est. Quod caminus auro, hoc confert tribulatio iusto. Ex tentatione quoq; malorũ, iusti in patientia, cæterisq; virtutibus probantur. Vnde scriptum est, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniã cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitę. Ex comparatione malorũ, sanctitas iustorũ manifestatur clarius: Vnde sponsus in Canticis canticorũ, Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Propterea fratres mei, patienter sustinete malos: quoniã oportet iustos semper habere, Cain & vnum Iudã. Abel quippè esse non potest, quẽ malitia Cain nõ exercet. *Intrauit autem*, inquit, *Rex vt videret discumbentes*, Hoc fratres mei, quotidie facit Deus, Quia dũ in Ecclesia sedemus, dum corpus & sanguinem suum cæteraq; sacramenta participamus, qui, quo animo, qua deuotione nos habeamus, discernit & speculatur: Iuxta illud, Speculator astat desuper qui nos diebus omnibus, actusq; nostros prospicit. *Vidit*, inquit, *hominẽ nõ vestitũ veste nuptiali*. Vestis nuptialis, qua discernũtur digni ab indignis, est charitas. Quæ dicitur vestis, quia omne frigus mali excludit, & retinet oẽm calorẽ boni. Dicitur nuptialis, quia Christus sponsus veniens sibi coniungere Ecclesiã, hac indutus venit, Hæc est tunica Christi inconsutilis, nõ diuisa per odiũ vel inuidiã, nec scissa per hæresim vel scisma. Hæc est tunica Ioseph talaris. i. perseuerãs: quia charitas nunquã excidit. Est & polimita propter virtutum varietatẽ, quæ in ea continentur. Hæc & eadem est tunica sponsæ, quæ adstitit à dextris sponsi, in vestitu deaurato: Quia vera charitas fulgore sapientiæ est ornata, & circundata varietate virtutũ. Qui hanc vestem habet: securus in nuptiis discũbit. Non habenti verò dicit Deus, vel per scripturas, vel per prædicatores, vel interiorem rationẽ. Quomodo huc intrasti cũ fidelibus, qui ab eis es discolor per malitiam, & discolor per odiũ, & inuidiam? Quomodo talis & talis ad mensam altaris, & ad cætera sacramẽta accedere

Iac. 1.

Cant. 2.

Vestis nuptialis.

1. Cor. 13.

Psal. 44.

cedere præsumis? *At ille obmutuit.* Obmutescit quē propria cōscientia redarguit. Obmutescit qui silet à peccatorū suorū confusione & emendatione. *Et dixit Rex ministris suis*, scilicet Angelis, *ligatis manibus & pedibus, mittite eū in tenebras exteriores.* Et hoc meritò, quia noluit vitare interiores. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Sicut singula membra, singulis vitiis delectata sunt, ita singulis pœnis cruciātur. Pedes quippè qui ad malū currebant, & manus quæ scelera patrabāt, igneis cathenis vinciūtur. Oculi, qui luce diuina ad malè agendum abutebantur, exterius tenebris excęcātur. Et qui in visione desiderabiliū gaudebāt & delectabantur, æternaliter flebunt. Dentes quoq;, qui edacitate gaudebant, prę nimietate frigoris stridebūt. Lingua etiam, quæ detrahere & maledicere gaudebat, sicut de diuite purpurato legis, in ęternū sine vllo refrigerio ardebit. Gustus quoq; qui in comessationibus & ebrietatibus delectabatur, famem & sitim sicut in Euangelio, & in Apocalypsi legis, æternaliter patietur. Nares quoq;, qui in luxuriosis odoribus delectabantur, fœtore intollerabili in æternum afficientur, in Apocalypsi enim legis de stagno ignis & sulfuris, in quod reprobi iacientur. Aures quoq; quæ ad sonū citharārū & luxuriosarū cantilenarū delectabantur, stridore pœnarum, rugitu dæmoniorū, & vlulatu miserorum vexabūtur, sicut in Prophetis, & in Apocalypsi legis. Membra etiā quæ luxuriosis & suauibus cōtactibus delectabātur, vermibus & incēdio in ęternū puniētur. Vnde in Propheta & in Euangelio legis: Quia vermis eorū nō moritur, & ignis non extinguitur: & sic corpora impiorum secundùm omnes sensus & actus suos torquebuntur. Nihilominus & anima interius secundū passiones suas, cæcitate & ignorantia, conscientia mala & pœnitentia inutili, dolore & pudore, ira & inuidia vexabitur in æternū. Inter hęc & tanta mala (vt tradit Ioan. in Apocalypsi) optabūt miseri mortem, & mors fugiet ab eis. Pauci verò sunt electi, qui in nuptiis Christi in æternū epulabuntur. De quibus Psalmista, Nimis, inquit, honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Sed cùm subiungatur, Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, quomodo sunt pauci? quia electi, quia pretiosi, quia chari. Electi de multitudine malorum, sicut grana de multi-

Apoc. 20.

Psal. 66.

Mar. 9.

Apoc. 9.

Psal. 138.

multitudine palearum, aurum de multitudine arenarum, margarita de multitudine lapidum: Pretiosi, pretio virtutum, pretio sanctorum operum, pretio æternorū pręmiorum: Chari, quia amici, quia filij, quia hæredes Dei, cohęredes autem Christi. Cohæredes videlicet Christi gloriæ, Christi honoris, Christi beatitudinis, & Christi gaudij. Nos ergo fratres, laboremus esse de numero paucorū electorum. Induamus charitatem Dei & proximi: vniamur cœlesti spōso & spōsæ: sicut sacramentorū participationes ita dilectionis & puritatis vnione: quatenus ad ęternas nuptias securi semper recumbere valeamus, largiente Deo & domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XX. POST TRINIT.

Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Ephe. 6.

In hac lectione fratres charissimi monet & docet nos Apostol. quomodo inimicis nostris resistere valeamus: & hoc modo. Primò monet nos cōfortari in Deo, & armari armatura eius. Secundò ostendit contra quos hostes pugnare debeamus. Tertiò ostendit quibus armis possumus eis resistere, & eos impugnare. Primo ergo hortatur cōfortari nos in Deo, cū ait: Cōfortamini in domino. Ac si diceret, Fratres, nolite cōfidere in vobis, nec in aliqua re tēporali: sed in solo Deo. In quo fratres cōfundit mūdanos homines, q. in suis vel amicorū suorū viribus, vel in diuitiis, vel in sapiētia sua cōfidunt, & ideò decipiūtur & pereunt. Vos aūt fratres, si veri Christiani estis, in Deo, nō alio, spē habeatis, nō cōfidatis in viribus vestris: Scriptū est enim: Gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suę. Non cōfidatis in sapiētia vestra: quia scriptū est: Perdā sapientiā sapientiū, & prudentiā prudentiū reprobabo. Non cōfidatis in diuitiis vestris, quia scriptū est: Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Nō cōfidatis in homine: nā scriptū est: Maledictus homo qui cōfidit in homine, & ponit carnē brachiū suū. Non cōfidatis in viribus liberi arbitrij, vos posse mandata Dei adimplere. Scriptum est enim, Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Sed se in hoc præsumpsisse ostendit, cùm subdit: Humiliatus sum vsquequaque.

Prouer. 38. 1. Cor. 1. Prouer. 11. Ierem. 17. Psal. 118.

Idem quoque ait: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Sed auertisti faciem tuam à me, & factus

Esa. 28.

ctus sum conturbatus. Petrus quoq; nimis de se præsumpsit, dicens. Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo, sed tamen negauit. Iudas quoque Machabęus dum in solo Deo confisus est, semper victor extitit: vt autem confidit in Romanis, corruit. Itaque fratres in solo Deo spem & confortationem nostram habeamus: & cum Propheta dicamus. Diligam te Domine virtus mea, dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Et illud, Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Quoniã vt scribitur, Quis speravit in Domino & confusus est: Spes enim iuxta Apostolum, non confundit. Quare autem in Domino sperare & confortari debeamus, ostendit Apost. cùm subdit, *& in potentia virtutis eius*. Potentia est in exterioribus: virtus verò in interioribus. In Deo verò idem est potentia & virtus. Quare ergo ait, *in potentia virtutis eius*? Quoniã multi habent potentiam sine virtute. Habent potentiam exterius, sed non interius. Exterius dominantur hominibus, sed interius sibi non possunt dominari. Sunt exterius domini hominum, sed interius sunt serui vitiorum. Vincunt exterius homines, sed vincuntur interius ab ira, à cupiditate, à superbia, & à cæteris vitiis. Inde est quod dominantur exterius, sed sine ratione iudicant, sed sine iustitia imperant, sed sine discretione: potestatiuè agunt, sed sine modestia. Ne verò aliquid tale suspicaretur de omnipotentia Dei, adiunxit, virtutis: quoniam omnipotentia eius virtus est. Quicquid enim agit, sapienter, iustè, fortiter & modestè agit. Quomodo autem in Deo fortes esse possimus, ostendit, cùm subdit. *Et induite armaturam Dei.*

Mat. 26. Mar. 14. Psal. 17. Eccl 2. Rom. 5.

Sequitur pars secunda, in qua ostendit Apostolus contra quos hostes pugnare debeamus, cùm subdit, *aduersus insidias diaboli. Non est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ*, subaudis tantũ. Sunt enim nobis tres inimici, contra quos nobis est pugnandũ. Caro nostra, mundus, & diabolus. De carne dicit Apostolus, Caro concupiscit aduersus spiritum. Est igitur colluctatio nobis, nõ aduersus naturam, sed aduersus vitia carnis & sanguinis. Naturam enim nostram non destruere, sed nutrire debemus: siue in persona nostra, siue in proximo. Vnde Apostolus. Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.

Gal. 5.

In

In quo cõfunduntur illi qui naturam, vel in se, per nimiã macerationem, vel in proximo per odiũ persequũtur: vel qui ecõtrario propter naturam, vel suis vel alienis vitiis nimis indulgẽt. Sic enim fratres mei diligenda & nutrienda est natura, vt vitia destruantur: & sic sunt vitia destruẽda, vt natura nutriatur. Vitia verò carnis & sanguinis: ieiunãdo, laborando, & operando superamus. Secundus hostis est mundus, id est, malitia mundanorum hominũ: de quo Dominus: Si mũdus vos odit, scitote quia me priorẽ vobis odio habuit. Et si de hoc mundo essetis, mũdus quod suum erat, diligeret: sed quia de hoc mundo nõ estis, propterea odit vos mũdus. Et Ioannes: Nolite inquit diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Quia quicquid est in mundo, aut est cõcupiscentia oculorum, aut cõcupiscẽtia carnis, aut superbia vitæ. Hunc hostem notat hic Apo. cùm dicit, *aduersus huius mundi rectores*. Per hunc mundum malitiam mundanorũ hominum, quæ à dæmoniis regitur intelligens, Contra mundi malitiã pugnandũ est per patientiã, per contemptum mundi, & desideriũ cœlestis regni. Tertius verò hostis est malignorũ spirituũ exercitus: cõtra quẽ nos monet Apo. Petrus, dicẽs: Estote prudentes, & vigilate in orationibus: quia aduersarius vester diabolus, tanquã leo rugiẽs circuit, quærens quẽ deuoret, cui resistite fortes in fide, de quo hic Apost. largius prosequitur, dicens: *Aduersus principatus & potestates, aduersus huius mundi rectores tenebrarũ harũ: contra spiritualia in cœlestibus*, His verbis fratres mei, malitiã malignorum spirituum exaggerat Apost. vt quantò hostes nostri sunt peiores ad nocendũ, tãto efficiamur promptiores ad resistendũ. Vocat ergo eos principatus: quia nec singuli, nec diuisi, nos persequuntur: sed ad exemplũ sanctorum angelorũ & archangelorũ alij sunt maiores, alij sunt minores Principes: qui cũ omnibus suis subiectis, nos vnanimiter persequuntur. Vocat etiã eos potestates, quoniam ex natura suæ originis, magni vigoris & potestatis sunt, nec homo eis resistere posset, nisi Deus malitiã eorũ refrenaret. vnde & legimus quòd angelus vna nocte primogenita Aegypti occidit. Sed vt ait idem Apo. Deus fidelis est, nec patietur aliquem tentari ab eis, vltrà quam potest. Vocat etiam eos rectores mundi tenebrarũ harum, non qui-

Ioan. 15.

1. Ioan. 2.

1. Pet. 4.

dem mundanæ machinæ, quam solus Deus & cõdidit & regit: sed tenebrarũ istud mundi, id est, mũdanæ malitiæ, cæcitatis & ignorantiæ, quam in hominibus & per homines prauos exercet. In quo demõstrat nimiam eorũ calliditatẽ: quoniã tum ex spirituali sua origine, tũ ex vsu longe experientiæ, viuaci callent acumine, per quod magicas artes, incãtationes, fraudes, & insidias, inueniũt ad decipiẽdum. Vocat etiam eos spiritualia nequitiæ, id est, spiritus nequitiarũ. Quia enim spiritus sunt inuisibiles nobis, ideo facilius nos decipere possunt: quia melius visibiles quàm inuisibiles hostes cauemus. In eo autẽ, quod ait nequitiæ, innatã dæmonũ notat malignitatẽ. Nequam enim est, qui naturaliter malitiosus est. Non quia malitia naturali sit, sed quia vitiũ pro natura inoleuit. Diabolus autẽ exigẽtibus meritis suis, ita in malitia sua est obstinatus, vt nõ nisi malũ velit & possit. Sẽper enim vult nocere: non quod inde sibi aliquid cõmodi speret, sed quia semper nocere consueuit. Conuersantur autẽ dæmones in cœlestibus, id est, in aëre: vnde & potestates aërię vocãtur. Sed quidam eorũ in aquis, alij in nemoribus, alij inter nos cõuersantur: qui quãto sunt nobis loco magis proximi, tãto magis timẽdi.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit Apostolus, quibus armis prædictis hostibus resistere valeamus, & eos expugnare. *Propterea*, inquit, *assumite armaturã Dei*: quæ ideo dicitur Dei, quia nõ ab homine, sed à solo Deo nobis confertur. *Vt possitis*, inquit, *resistere in die malo*, id est, malitiæ prauorũ: qui nũc habent diẽ suum. *Et in omnibus perfecti stare*, id est, vndiq; muniti ad resistendũ. Sicut autem spirituales sunt hostes: ita spiritualis esse debet armatura. Maligni quippè spiritus sagittis vitiorũ machinantur nostrã vitiare & vulnerare naturã: & nos ecõtrario munimine virtutũ eã munire debemus. Ipsi enim inuisibiliter impugnant nos, vel per illicitã voluptatẽ, vel per illicitã cogitationẽ. Primò enim nos per illicitã voluptatẽ impugnãt: cum voluptate, ingluuie & libidine nos cupiũt vulnerare: cõtra quæ Apostolus monet habere abstinentiam & cõtinentiam, cùm ait: *Estote lũbos vestros præcincti*, in lũbis enim libido dominatur. Vnde Dominus loquens ad Iob de diabolo ait, Virtus eius in lũbis eius, & in Euangelio, Sint lũbi vestri præcincti. Cùm ergo præcipit nos lumbos accin-

Iob 38.
Luc. 12.

accingere, iubet nos per abſtintiã & continẽtiam luxuriam refrenare. Sagittant etiã nos maligni ſpiritus tẽtationibus, vt ita malignis cogitationibus nos vulnerent, contra quas monet nos Apoſtolus, vt induamur lorica iuſtitiæ: quæ cuſtodiat nos, ne malis cogitationibus vulneremur. Porrò cõtra hæc duo vitia præcepit Dominus per Moyſen, vt ſacerdos lũbos cãdidis fœmoralibus, & pectus rationali muniretur. Solent enim nos ſagittare in pedibus, id eſt, in affectibus: vt ſcilicet ſolis terrenis nõ cœleſtibus faciant nos inhærere. Contra quos docet nos Apoſtolus ſandaliis calciari: vt ſcilicet exẽplo mortuorũ iuſtorum muniti, nõ terrenis inhæreamus, ſed ad cœleſtia tendamus: cũ dicit, *calciati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Illi quippè ſoli euãgelizare ſunt præparati, qui prædicto modo ſunt calciati. Solẽt etiã nos maligni ſpiritus per incredulitatẽ vulnerare, vt ſcilicet nos faciant, vel de pœnis reproborũ, vel de glorificatione iuſtorum dubitare: vt ita nos faciant in labore iuſtitiæ laſſeſcere. Contra quod nos docet Apoſtolus habere ſcutũ fidei, in quo poſſimus inimici ignea tela extinguere: fortitudo quippe fidei, qua firmiter credimus Deum remuneratorẽ bonorum, & vindicem malorum, extinguit in nobis iacula libidinum & concupiſcentiarum. Sed ſolent adhuc firmiter credentes iaculo nimij timoris & veſperationis vulnerare. Contra quod nos monet Apoſtolus galeã ſpei ſalutis aſſumere, quo caput noſtrum, id eſt, fides Chriſti in nobis, & iuſtitia inuiolata ſeruetur. Poſtquam autẽ Apoſtolus muniuit nos armis protectionis, munit etiam nos gladio: quo nõ ſolùm nos defendere, ſed etiam hoſtem impetere valeamus: cùm docet nos aſſumere gladium ſpiritus, id eſt, ſpiritualẽ: quod eſt verbũ Dei. Gladius enim quo Deus pater aërias poteſtates expugnauit, Chriſtus eſt, qui cõſtat ex manubrio & ferro: id eſt ex humanitate, per quã fide tenetur & diuinitate, quæ quidẽ ex vtraq; parte incidit: quia corpus & animam poteſt occidere. Hęc eſt ſecuris quę ad radicẽ arboris poſita eſt: quę non ſolũ infructuoſos homines, ſed etiã dęmones dãnat. Nihilominus & verbũ Euangelij gladius dicitur. quem ſi teneamus manu, id eſt operatione: poſſumus in verbo & in nomine Chriſti dęmones exorcizãdo deiicere, & malitiã eorũ mortificare. Sed etiã malos homines excommu- *Epheſ. 6.*

cõmunicando occidere, vel certè eorum malitiã occidere: dum per Euangelii facimus eos, peccato mori & Deo viuere. Sic itaq; fratres mei, si talibus armis muniti fuerimꝰ, poterimus non solũ securi viuere, sed etiã malitias dæmonum euacuare, & a faucibus eius captiuos eripere. Quod concedat nobis Deus & Dominus noster, qui in trinitate perfecta viuit & regnat deus, p oĩa secula seculorũ. Amẽ.

DOMINICA XXI. POST TRINITAT.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaũ Ex hac S. Euãgelij lectione fratres char. aduertere potestis, quam sit homini necessaria aduersitas tẽporalis. Nisi enim filius istius reguli infirmaretur, ad Christũ accedere non cogeretur. Voluit ergo benignus & misericors Dominus hac de causa filium reguli infirmari, vt sic eum ad se venire cogeret. Scriptum est enim, Cũ occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur. Sunt autẽ huius lectionis tres partes. Primò enim regulus postulat à Domino, sed indiscretè: secundò corripitur à Domino iustè: Tertiò exauditur benignè. Accedens itaq; regulus ad Dominum, propter infirmitatem filij postulat ab eo, sed indiscretè. Et indiscretè quidẽ postulat: primũ in hoc quod prætermissa salute animæ, solam corporis filio suo petit sanitatem. Si enim discrete peteret, primò animæ suæ, & animæ filij sui
Luc. 12. salutem postularet: Scriptũ est enim. Primùm quærite regnum Dei. Secundò verò in hoc indiscretè postulat, quod Dominũ descendere ad sanandũ filium suum rogat: quasi Dominus impotens esset alicui conferre sanitatẽ, nisi corporaliter prçsens esset. In quo apertè demonstrat, quod eũ verum Deum esse non credebat. Si enim eum verum Deũ esse crederet, eum vbique per diuinitatem præsentem esse sciret. Tertiò etiam in hoc indiscretè postulat, quod postquam à Domino de incredulitate correptus est, tamẽ adhuc in eodem perstat, dicens: *Domine, descende priusquam moriatur filius meus*, ac si Dominus mortuum resuscitare non valeret. Propterea à Domino iustè corripitur. Est autem hæc pars secunda, in qua Dominus incredulitatẽ eius corripit, dicens: *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis*. Hinc est quod alibi ab eo signum postulant fieri Iudęi dicentes, Quod signum facis vt videamus & credamus tibi? Porrò cùm eadem possint esse prodigia & signa: tamẽ

signa

signa à significatione: & prodigia ab admiratione dicuntur. Ea quippè opera fieri à Domino postulabant, quæ essent prodigia. i. præter consuetum naturæ cursum admirabilia: Et signa, id est, eum Deum esse significantia. Erāt enim Iudæi duri, & de numero eorum qui difficilè conuertuntur. Quatuor quippè modi sunt, quibus diuina misericordia ad se trahit peccatores. Alium enim vocat solummodo per interiorem inspirationē, vt Magdalenam & latronem: alium per prædicationē, vt Samaritanam: alium per miraculorum ostensionem, vt Centurionē: alium per aduersitatis necessitatem, vt Paulum. Oēs tamen per interiorem illuminationē ad se trahit, secundum illud: Nemo venit ad me, nisi Patermeus traxerit eū. Istū autem regulū *Ioan. 6.* ad se vocauit per necessitatē pariter & miraculū. Per necessitatē, quia nisi filius eius infirmaretur, ad Christū non veniret. Per miraculum, quia vt ipse ait, nisi regulus signa & prodigia vidisset, nō credidisset. Contingit tamē, quod illi qui fuerunt ad cōuertendū difficiliores, sint in fide firmiores, & quātò difficilius potuerūt remoueri ab infidelitate, tantò difficilius possunt remoueri à fide, vt in Paulo apparet. Sequitur pars tertia, in qua regulus benignè à Domino exauditur, cū ei dicitur, *Vade, quia filius tuus viuit.* Sanè duo postulauerat regelus à Domino, & vt descenderet, & vt filium suū sanaret. In hoc ergo, in quo non benè postulauerat, nō exaudit eū Dominus. In quo verò benè, & si nō plenè postulauit, eū plenius audit. Descēdere quippè in domum eius noluit, ob tres causas, vt videlicet vbique se esse per diuinitatis potentiam demonstraret: vt absentē infirmum mirabilius sanaret, vt se non esse acceptorē personarum demonstraret. Propter hoc quippè ad filium reguli etiam rogatus ire noluit, qui tamen ad seruum Centurionis sponte se iturum promisit, in quo fratres mei confundit peruersitatem nostrā, qui diuites propter diuitias suas honoramus: & pauperes propter paupertatem suam aspernamus. Qui plus pensamus in omnibus honorē secularem, quàm naturam. Super hoc eodem uos arguit Ia- *Iacob. 2.*
cobus dicens: Nolite fratres habere in acceptionē personarū fidem glorię Iesu Christi. Et enim si quis vir in vestitu candido aureū habens annulum introierit in conuentū vestrum, dicetis: sede hic bene. Si autē introierit pauper in sordi-

sordido habitu, dicetis: sta illi, caut sede sub scabellũ pedũ meorum. Sed si hoc peccatum est, quid est quod dicit Paulus. Cui honorem, honorem: cui vectigal vectigal? Et alibi. Presbyteri boni duplici honore sunt digni. Sed aliud est iustificatio, aliud personarum acceptio. Iustificatio enim est, reddere vnicuiq; quod suum est propter Deũ. Vt sicut Apostolus iubet, cui honorẽ, honorẽ: cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal. Acceptio ergo personarũ est abusus reuerẽtiæ ex priuata causa, vt quãdo quis honorat aliquã personam non propter Deum, sed propter aliquam tẽporalem causam. Itaq; omnes homines, inquantũ sunt homines, æqualiter sunt venerandi & amandi. Boni verò magis honorandi sunt quã mali. Sicut verò homines, non sunt propter diuitias & potentias honorandi, sed propter Deum, ita nec sunt spernendi propter paupertatem suam, sed honorandi propter Deũ. Si autem declinauerint apud me vnus diues, & vnus pauper eiusdẽ bonitatis: debeóne eos æqualiter venerari? vtiq; si fieri potest sine scandalo diuitis. Sed quia diuites facilius scandalizãtur quàm pauperes, & vt ait sanctus Benedictus ipse timor potentum sibi exigit honorem: ad euitandum peccatum scandali præferimus diuitẽ pauperi: cùm tamen in mẽte non minus pauperem diligamus, & seorsum non minus ei deferamus.

Rom. 13.
2. Tim. 5.

Acceptio personarũ quid.

Itaq; fratres mei, quãtum possumus redemptorem nostrũ imitemur, personarumq; acceptionem euitemus, pauperes honoremus, & infirmos deuotè visitemus. In quo regulus bene, & si non plenè postulauit, eum Dominus plenius quã postulauerat, audit. Ille enim solã sanitatem filij corporalem postulabat, & Dominus dat etiam ei salutem animæ, id est, fidem: Et nõ solùm illi, sed etiam ipsi patri, & familiæ toti. Viso enim triplici miraculo, videlicet quia Dominus absentẽ sanauerat, & quia solo verbo, & quia in eodẽ puncto in quo ibi dixit, & filiũ sanauit, credidit ipse & domus eius tota. Credamus & nos in eũ firmiter fratres mei, fide per charitatem operante: eũ tota deuotione diligentes, voluntatem eius nostræ præponẽtes, eius mandata facientes, nos immaculatos custodiẽtes, proximos nostros in Deo, & inimicos propter Deum diligẽtes. pauperes per cõpassionem & eleemosynã visitantes, terrena omnia vilipendẽtes, ad cœlestia toto desiderio festinãtes, ipso largiente

largiente qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

Confido de vobis in Domino, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi, &c. Philip. 1.

In hac lectione fratres charissimi, tria facit Apostolus: primò ostendit se confidere in Deo de salute nostra: Secundò ostendit quem affectum habeat erga nos. Tertiò orat nos proficere magis, vt ad præmij æterni fructum perueniamus. Ostendens ergo se confidere de salute nostra ait, *Confido de vobis in Domino.* Non autem ait cõfido in vobis: quia maledictus qui confidit in homine, vt in præcedenti dominica expositum est. Demonstrat autẽ in quo cõfidat, & de quo. In quo? in Deo. De quo? de vobis perficiendis. In quo dat fratres mei exẽplum nobis, vt nunquã confidamus in amicis nostris, sed in Deo. De amicis nostris nunquã confidamus in nobis: sed in Deo de nobis, dicentes cũ Psalmista: Mihi autem adhærere in Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spẽ meam. De quo Paulus, in Deo cõfidis? *Quia qui cœpit bonum opus in vobis, perficiet vsq; in diẽ Iesu Christi.* Tria ponit Apostolus, cepit bonũ opus in vobis, & perficiet, & in diem Iesu Christi. Per quæ tria notantur tres gratiæ. Prima est incipiens, Secũda perficiens, Tertia, saluans & coronans. Per primã gratiam iustificat Deus gratis impiũ, quãdo dat ei cordis contritionem: per secundã eum perficit in bonum: per tertiã reddit ei præmiũ. Prima dicitur gratia operans. Vnde Apostolus, Deus operatur in nobis & velle & perficere. Secunda dicitur cooperans: vnde idẽ. Non ego inquit solus, sed gratia Dei mecum. Tertia dicitur saluans: Vnde idem, Non ex operibus, inquit, iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Itaque fratres, tam prima, quã secũda, & quàm tertia: dicitur gratia, quia gratis data. Sed primã agit Deus in nobis sine nobis: per secundã agit nobiscũ: per tertiam remunerat Deus in nobis quod erat in nobis ex Deo, nõ ex nobis, Vnde Gregorius. Primo inquit, agit Deus in nobis sine nobis, vt postea agat nobiscum: & per immensam misericordiam remunerat in nobis illud ac si solum processisset ex nobis. Multũ ergo fratres errant, qui putant se peccatum suũ posse per se deserere,

Psal. 72.

Philip. 2.

1. Cor. 15.

Tit. 3.

serere, qui putant se aliquid boni posse incipere per se. Contra hos loquitur Iacobus, dicens: Ecce dicitis cras ibimus in villam, & ibi faciemus annum. Et quæ est vita nostra? Vapor ad modicum parens, pro eo vt dicatis, Si voluerit Dominus, faciemus. Nihilominus & illi stulti sunt, qui in bono sibi collato se per se putant stare posse vel proficere.

Psal. 29. Vnde & Dauid: Ego, inquit, dixi in abundantia mea non mouebor in æternũ, quod inde se reprehendens, ait: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, &c. Similes enim sumus fratres mei, puero paruulo, qui surgere per se non potest, nisi a pedagogo erigatur. Erectus etiã nec stare potest per se, nec proficisci, nisi manu pædagogi sustentetur. Sic quoq; fratres, homo iacens in peccato, surgere à peccato non potest, nisi à gratia Dei præueniente erigatur. Erectus etiam à peccato, nec stare, nec proficere in bono potest, nisi gratia cooperante sustentetur. Itaq; fratres mei, nostram infirmitatem cognoscamus, & nil posse nos ex nobis, nisi peccatũ, intelligamus, & oremus, dicentes: Tua nos Domine gratia semper & præueniat & sequatur, Et misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitæ meę. Et ad quid? Vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum. Et hoc est quod hic dicitur, *In diem Iesu Christi*. Dicitur autem dies iudicij, dies Christi: quia tunc gloriam suam manifestabit: quia tunc occulta cordium reuelabit: quia tunc fideles suos æterna luce glorificabit.

Sequitur pars secunda, in qua ostendens Apost. affectum suum erga illos, probat quia æquum est eum confidere de salute illorum, per duo: Per hæc, quia eos diligit: & quia habet eos socios in defensione & confirmatione Euangelij, de eis enim quos diligimus, & quos in bono statu videmus, de eorum perseuerantia & salute in Deo confidimus. Et hoc est quod dicit. *Sicut*, inquit, *æquum est me sentire pro omnibus vobis, eò quòd habeam vos in corde meo, in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnibus vos esse*. Ac si dicat: Sic de vobis in Deo confido, sicut est æquum me sentire pro omnibus vobis, id est, me sentiendo de omnibus vobis, confidere omnes vos esse socios gaudij mei, vel æterni, vel etiã nunc spiritualis. Et quare sic de nobis confidis? Eò quòd habeam

habeam vos in corde meo per amorẽ, & hoc etiam in ipsis vinculis, In quo ostendit se adeò diligere illos, quòd nec etiam in aduersis potest eorum obliuisci: aduersitas enim verum amorem extinguere non potest. Eò etiam quòd habeam vos in vinculis, per compassionem, & in defensione & confirmatione Euangelij: quia scilicet mecum defenditis Euangelium contra infideles, contra hæreticos, contra sophisticas cauillationes, & mecum etiam confirmatis: Prophetarum auctoritate, rationũ veritate, miraculorum attestatione, & boni exempli exhibitione. Æquum vtiq; est fratres charis. vt qui in via socij sunt charitatis, persecutionis, prædicationis, socij etiam sint in patria æterni gaudij. Hinc sumamus exemplũ & nos prædicatores, etiam & vos subditi. Habeamus nos erga vos sicut Paulus erga discipulos suos. Paulus etiã in vinculis in corde suo habebat discipulos per amorem: nos quoque fratres debemus vos habere in corde nostro semper, siue quando oramus, siue quando eleemosynam damus, siue quando sacrificiũ altaris accedimus. Hinc est quod Dominus præcepit, quod pontifex legalis haberet in pectore rationale inscriptum, nomina duodecim filiorum Israël, quando sacrificabat. Nos quoq; quando patri filium sacrificamus, nomina nostra in corde nostro scripta habere debemus, orãtes fidem imperfectorum confirmari, fortitudinẽ sanctorum magis augeri, delicta peccatorũ dimitti. Econtra discipuli Paulũ tanquam patrẽ diligebant, & ei in vinculis assistebant per compassionẽ & subministrationem, & eum quantum poterant, in defensione & cõfirmatione Euangelij iuuabãt. Ita & vos fratres, in orationibus & eleemosynis vestris, debetis nos habere, nostris infirmitatibus compati, & nostris prosperitatibus congaudere, & nostram prędicationẽ verbo & exemplo defendere & confirmare. Ne autem aliquis putaret Apostolũ, non per varietatem hæc dixisse, sed per assentationẽ producit Deum in testem, dicens: *Testis est mihi Deus, quomodo cupiã vos in visceribus Iesu Christi*, id est, in Christo. In visceribus siquidem est vita, & ipsa viscera intima sunt, & in viscera nostra cibum traiicimus. Ille ergo in visceribus Christi est, qui in eo viuit: qui ei per charitatem intimus est, & qui per vnionem ei incorporatur, quod maximè significatur per communionem Eucha-

tiſtiæ. Quando enim corpore Chriſti communicamus, nō Chriſtus nobis, ſed nos Chriſto incorporamur.

Sequitur pars tertia, in qua orat Apoſtolus eos proficere vſq; ad præmij perceptionē, dicens. *Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* Charitas enim otioſa & frigida eſſe non poteſt: ſed more ignis in altū & in augmentū ſe ſemper tendit. Sed quoniā quidām habent charitatē, ſed non ſecundū ſcientiam, cum videlicet homine diligūt, in quo eū diligere nō deberent, adiungit *in ſcientia*, ſcilicet ſpiritualium beneficiorū & corporaliū: quia in vtriſq; qui diligit verè proximū, debet eū iuuare. *Vt ſitis*, inquit, *ſinceres & ſine offenſa.* Sinceres ſunt quorum vitam nulla admixtio vanæ gloriæ vel ſiniſtræ intentionis corrumpit. Sine offenſa ſunt, qui proximi infirmitatē, nec per peccatū, nec per indiſcretum bonū offendunt. Idē ergo eſt quod ait ſinceres & ſine offenſa illic, quod alibi ait. Prouidentes bona, non tantū coram Deo, ſed etiam corā omnibus hominibus. Et ita fratres viuentes, venitis ſecurè in diem iudicij: & tūc eritis repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtū in laudem & gloriam Dei. Sicut ſtipendia peccati mors, ita fructus iuſtitiæ eſt vita æterna: quia iuſti futuro crūt repleti: quia vnumquemq; ſufficienter replebit illud modicū quod habebit: præſertim cum gloria ſingulorum per amorē ſit cōmunis vniuerſorum: Et hoc per Ieſum Chriſtū auctorem & remuneratorem, in laudem & gloriā Dei, vel qua Deus glorificabit in anima & corpore, & laudabit ſuos: vocans eos benedictos, & etiam filios: vel qua electi glorificabunt & laudabūt Deum in æternum. Iuxta illud, Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Cuius beatitudinis & laudationis faciat nos participes, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Rom. 12.

Pſal. 83.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

Mat. 18. *Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.* Quis eſt iſte rex, fratres charissimi, niſi Rex regum & Dominus dominantiū, qui vniuerſa creat, poſſidet, & gubernat? Qui rectè rex dicitur: quoniam ita cuncta regit, quod nihil inordinatū reliquit. Et ſi enim mala vel in mundo, vel in inferno fieri permittit, tamen ad finē, vel miſericordiæ, vel iuſtitiæ ſuę, ea dirigit.

git. Quod enim legitur, quòd in inferno nullus est ordo, de ordine renouationis intelligendũ est. Non enim sicut in mundo, ita & in inferno laborũ succedit requies: miseriæ felicitas: nocti dies: dolori refrigerium: sed continuus labor, cõtinua miseria, cõtinua nox, continuus ibi habetur cruciatus. Huius autem summi regis serui, sunt homines: quoniã ad hoc eos creauit vt ei seruirent, & suam facerent voluntatẽ. Hi autem omnes, illius sunt debitores, quoniã in multis offendimus omnes. Quæ quidem debita nobis dimitti rogamus, cùm quotidie in oratione dominica dicimus: dimitte nobis debita nostra. Ostenduntur igitur in hac lectione nobis quatuor: quomodo Deus ponit rationem cum seruis suis, & eis cõmunicatur: quomodo promittentibus emendationem facilè misereturr & quanta sit immisericordiæ nostrę crudelitas, & quanta sit contra nos diuinæ iustitiæ seueritas. Ponit igitur Deus rationem cum nobis seruis suis: quando nos diiudicat & discernit. Sunt autem duo iudicia Dei: vnum discretionis meritorum: alterum discretionis præmiorũ. Primum quotidie fit in Ecclesia, dum Deus hũc per misericordiam illuminat: illum per iustitiã excæcat: hunc facit de virtute in virtutẽ ascendere, illum permittit de vitio in vitium ruere. Secundum iudicium fiet in extremis: quando mali ibunt in ignẽ æternum: Iusti verò in vitã æternam. De primo dicitur: Iudica me Deus, & discerne causam meam. De secundo autẽ dicitur, Deus in iudicio reddet vnicuiq, secundum opera sua, *Et oblatus est*, inquit, *vnus qui debebat ei decẽ milia talẽta.* Decem milia talenta Deo debet, qui de decalogo non impleto satisfactionẽ Deo debet: qualis sumus nos ferè omnes, fratres mei. Nam qui audet dicere, ego legẽ impleui? Hic talis offertur Deo: vel per angelos, qui singulorum merita Deo dicuntur offerre: vel per clamorem pauperũ, quibus non cessauerat iniuriare. *Et cùm non haberet, vnde redderet, &c.* Nihil habet peccator vnde reddat: qui nihil compunctionis, vel correctionis in se habet, vnde satisfaciat. Hunc talem iubet Dominus venundari, & vxorem, & filios, & vniuersa quæ habet, & reddi. Quoniã qui de perpetratis peccatis non vult satisfacere, iubet Deus & spiritũ eius, & vxorem, id est, carnem (cuius molliti: vtebatur) & filios, id est, sensus: qui ex spiritu & carne procreantur:

Duo iudicia Dei.

Mat. 25.

Psal. 42.

& omnia membra pro peccatis, æternæ pœnæ tradi, & ita dignam vltionē de eo reddi. Ecce fratres quàm terribiliter Deus minatur illis, qui nō conuertuntur. Sequitur pars secunda, in qua ostenditur quam facilè Deus pœnitētibus misereatur, cū subdit. *Procidens autē seruus ille, rogabat eū dicens: patientiā habe in me, & omnia reddā tibi. Misertus autē dominus serui illius, dimisit eū: & debitum dimisit illi.* Porrò peccator intelligens pro peccatis cōmissis sibi gehennam parari, procidit & rogat Dominū, vt patientiā in eum habeat: & omnia reddit ei, quando peccatum suum recognoscens se humiliat: & spatium pœnitentiæ sibi dari postulat: & plenam promittit satisfactionē. Quod si fuerit vera humilitas, & vera compunctio, Deus dimittit eū: vt in melius viuat, & peccata indulget ei: Iuxta quod ipse per Prophetam ait. Nolo ego mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Quis sufficiat pensare fratres mei, viscera diuinæ misericordiæ, qui ad hoc minatur asperius, vt citius parcat. Qui mox vt emēdationem ei promittimus, ipse veniam nobis præstat. *Ezech. 18.*

Sequitur pars tertia, in qua nostræ misericordiæ crudelitas demonstratur, cùm subditur: *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centū denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes, &c.* Porrò egressus peccator ab humilitate cōpunctionis, & quasi securus factus, inuenit vnum de cōseruis suis, qui debebat ei centū denarios. Quanta differentia est inter centum denarios, & decem milia talenta, & in quātitate & in numero, tanta est differentia inter peccata quæ fecimus in Deū, & inter peccata quę fecit proximus in nos. Ferè enim nulla sunt quæ fecit proximus in nos ad comparationem eorū quæ fecimus in Deū. *Inuenit*, inquit, *vnum de cōseruis suis*, Pondus est in verbis: quasi cuius deberet magis misereri: quia plus esse misericors debet in miseros, qui ipsam miseriam expertus est. Et contra, dignus est miser redigi in miseriā, qui in miseros nō habet misericordiā. *Et tenens suffocabat eū*, id est, crudeliter & violēter exigebat. Qui enim alium suffocat, vocē ei aufert, ne possit rogare vel misericordiā implorare. Hoc faciunt quidā duri & immisericordes, qui iniuriosis suis non solū veniam denegāt, sed etiā à Deo denegari vellent, timentes ne implorent vel

impe-

impetrent Dei misericordiã. Et procidens conseruus ille, rogabat eũ, dicens: *Patientiã habe in me, & omnia reddam tibi*. Si omnibus malefactoribus nostris dimittere tenemur, fratres mei, maximè humiliatis, & veniã postulãtibus & emendationẽ promittentibus, tenemur dimittere. Vnde qui talibus nõ miseretur, misericordiã proculdubio non cõsequetur. *Ille autẽ noluit, sed abiit, & misit eũ in carcerem*. Ille mittit debitorem suũ in carcerem: qui iniuriosum suũ desiderio mittit in gehennam. Quales sunt hodie plures (vnde magis dolendu est) qui etsi nõ possunt opere, saltẽ quod possunt desiderio & imprecatione, læsores suos dãnant. *Videntes autem cõserui eius*, id est, angeli, vel homines religiosi, quæ fiebãt, nuntiauerunt quærimoniis Domino suo quæ facta fuerãt. Nihil est enim fratres mei, quod plus exacerbet Angelos, & Sanctos Dei in nos, quã si odium obstinatum habuimus in proximos nostros.

Sequitur pars quarta, in qua ostenditur quanta sit contra immisericordes diuinæ iustitiæ seueritas: cùm subditur. *Tunc vocauit eum Dominus suus*. Tunc vocat Dominus peccatorẽ, cùm ab hac vita facit eũ transire ad aliã. *Serue nequam*, inquit, *omne debitũ dimisi tibi*, per baptismum & pœnitentiã, *quoniã rogasti me*, humiliatus per cõpunctionem. *Nõne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Non enim improperabit Dominus in iudicio reprobis, eos sic peccasse: sed eos misericordiã, per quã peccata sua redimere poterant, non habuisse: & quia nõ fuerũt tales erga proximos, qualis Deus extiterat erga ipsos: hæc enim & similia dicturus est Dominus reprobis in iudicio. Ego satiaui vos, quare & vos nõ satiastis me in meis: Ego vestiui vos: quare & vos nõ vestistis me in meis? Ego misertus sum vobis: quare & vos non miserti estis mihi in meis? *Et iratus, iussit eũ tradi tortoribus, quousq; redderet vniuersum debitum*. Iratus dicitur Deus, fratres charissimi, non à cõmotione iræ, quæ in Deum nunquam cadit: sed à pœnę irrogatione. Ira enim Dei, dicitur irrogatio pœnæ, transsumpto nomine antecedentis ad consequens. Iussit, inquit eũ tradi tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum. Hoc fiet fratres charissimi, quãdo Dominus tradet impios æterno supplicio cum diabolo & angelis eius simul cruciãdos: quosq; reddant dignã vltionem

nem pro omnibus iniquitatibus quas fecerunt, id est, in æternū. Quorū enim vita mortua est in culpa, eorū mors viuit in pœna. *Sic*, inquit, *Pater cœlestis faciet vobis, si non remiseritis fratribus vestris de cordibus vestris*. Sed dices, nunquid Dominus iustus iudex, peccata in baptismo vel cōfessione dimissa, iterū in inferno exiget, cùm scriptū sit, nō iudicabit Dominus bis in idipsum? Sed sciendū est fratres charissimi, quod peccata nō plenè dimittuntur nisi in pœnitentia & in emēdatione perseuerantibus. Vnde scriptū est, Vade & amplius noli peccare. Pœnitētia quippè est cōmissa mala plangere, & plangēda non cōmittere. Ergo eis qui in pœnitentia non perseuerauerint, omnia peccata redeunt: vel tantum pro ingratitudine & incuria puniuntur, ac si perpetrata redirēt vniuersa. Hoc itaq, fratres mei, cogitemus, hoc timeamus. Proposita est nobis veniæ cōditio: Si non dimittimus, nō dimittetur nobis: quia vt ait Iacobus, iudiciū sine misericordia fiet ei, qui nō fecit misericordiā. Hoc etiam pacto in oratione dominica quotidie nos cōstringimus cū oramus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Legimus de sancto Ioāne patriarcha Alexādrię, quod cū quidā clericus eū offendisset, cantabat quadā die Missam: cumq; cantans orationē Dominicam ad supradictam petitionem venisset, memor querelæ quā habebat aduersus clericum, eū mandat, & per veniā eum sibi conciliat: & tūc rediens ad propositū suū ait, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Faciamus & nos similiter, fratres mei. Dimittamus vt dimittatur nobis. Misericordiā faciamus, vt misericordiam inueniamus. Simus pij & clementes erga offensas proximorum, vt summum iudicem, pium, & clementem nobis inuenire mereamur, Dominum nostrum Iesum Christum: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in æternum. Amen.

DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

Philip. 3. *IMitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut videtis formam nostram, &c.* Hac in lectione fratres charissimi, quinq; facit Apostolus: primò monet eos quibus scribit, & nos pariter cum eis, ad sui, & sui similiū imitationem: Secundò ad contrariorū euitationem: Tertiò ostendit quò debeamus tēdere, & quid sperare: Quartò

monet

monet ad perseuerantiam: Quintò ad ferẽdum auxilium his qui pro Euangelio laborant. Ait ergo, *Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut videtis formam nostram, &c.* In quo fratres tria notanda sunt, Apostoli confidentia, quid imitatio cõferat, & in quo fieri debeat. Confidentia quippè Apostoli in hoc apparet, quod præcipit vt imitemur eũ. In quo demonstrat se imitatione dignũ. Et verè fratres, imitatione dignus erat, qui Christi verus imitator erat, sicut idẽ alibi ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1. Cor. 4. 1. Cor. 11. Talis enim debet esse prædicator, qui Christum expresse imitetur, & quẽ minores inoffense sequãtur. Ephe. 5. In quo fratres (quod sine gemitu dicere nequeo) presumptio nostra cõfunditur, qui pastores dici volumus, & tamen veri pastoris imitatores nõ sumus. Honorem diligimus, vitam nõ tenemus. Vnde quid cõtingit, nisi quod nos, & nostri imitatores pariter trahimus ad ruinam? Scriptũ est enim: Si cæcus cæcum duxerit, nónne ambo in foueam cadunt? Mat. 15. Luc. 6. Vos ergo fratres, per imitationem nostri, nolite deuiare: sed quod videtis in nobis reprehẽsibile, deuitate: & quod imitabile, imitari satagite. Habetis enim caput & ducem Iesum Christum, & imitatorẽ eius Paulũ: quos sequentes nequaquam deuiabitis. Est autem imitatio multum efficax, siue in bonũ, siue in malum. Est enim imitatio ex admiratione & desiderio exemplaris nascens assimilatio. Primum fratres, admiramur aliquam virtutẽ in aliquo: exinde, inardescimus desiderio ad eam adipiscẽdam: & incipimus quoad possumus, eum imitari. Est autem imitatio tam in bono quàm in malo. Nam multi admirantur diuitias, honores, & glorias secularium, & inde inardescentes ad illa adipiscenda, imitãtur malitias seculariũ, per quas diuitiæ, honores, & gloriæ seculares adipiscũtur. Contra quos nos hortatur Dauid, Noli, inquit, æmulari in malignãtibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent, &c. Item illud. Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, & in homine faciẽte iniustitias, &c. Vos ergo fratres, nolite mirari temporales diuitias, honores, vel glorias. Si enim non admiramini, non concupietis. Hinc Poëta, Nihil admirari (subaudi temporale) propè res est vna, quæ possit sola facere & seruare beatum: Solas virtutes fratres charissimi, Psal. 36.

rissimi, & bonos mores, & bona opera sanctorum imitamini. Et iuxta præceptum Philosophicum, aliquando virũ honestum vobis in exempũ assumite, ad cuius exemplum mores vestros regatis. Et si nunc aliquam vsquequaq; iustum & honestũ inuenire non potestis, tamẽ quod in vno quoq; laudabile videritis, imitamini: quod reprehẽsibile, deuitate: more pictoris, qui multas exẽplares formas ante oculos suos habet & quod in vnaquaq; cõuenientius cernit, assumit. Debemus autẽ fratres mei, imitari in Sanctis, nõ excellentias honorũ & dignitatũ: sicut fecit lucifer, & primus homo: qui per rapinam voluerũt rapere diuinã altitudinẽ: & sicut Simon magus, qui pecunia voluit emere Apostolorum potestatẽ: Sed potius virtutes, vt humilitatẽ, patientiã charitatẽ, cæteraſq; virtutes, quas Christus nobis in exẽplum reliquit: & quas Paul⁹, cæteriq; Apostoli in Christo imitati sunt. Nõ enim ait Dominus: Discite à me omnia scire, vel mundũ creare, sed ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, *Et obseruate*, inquit, *eos qui ita ambulant, sicut videtis formã nostrã*. Forma Apostolica est recta fides, & recti mores. Quos ergo videmus tenere formã apostolicã, id est, rectã fidẽ, & rectos mores, eos sequamur. Quos autẽ videmus deuiare: vel à recta fide, vt hęreticos: vel a rectis moribus, vt falsos Christianos: euitemus. Sequitur pars secunda, in qua nos docet Apostolus, quos euitare debeamus, dicẽs. *Multi enim ambulãt*, subaudis, non secundũ formam nostrã, sed malè, *quos sæpe dicebã vobis*, quãdo erã vobiscum. Bene autẽ ait multos: quoniam multi sunt, quorũ mores euitare debemus. Pauci verò sunt imitatione digni. *Sed & nunc*, inquit, *flens dico*. In quo fratres est notãdus mirabilis affectus, & charitas Apostoli, quam habebat erga omnes: qui non solũ fratres delinquentes, imò etiã inimicos plorabat, imitator magistri sui dicentis. Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciũt. Hoc nobis fratres in exẽplum reliquerunt, quod nos malè seruantes, inimicis nostris maledicimus, imprecamur: & de ruina eorũ lætamur: cùm Iob dicat, si lætatus sum super inimico meo, eò quod inuenisset eũ malum, quasi hoc & hoc mihi cõtingat. Quod si hoc fecerunt homines, qui fuerunt ante legẽ, vel sub lege, quid nos debemus facere, qui in tẽpore gratiæ sumus? Vincamus ergo fratres, duri-

Iob. 31.

tiam

tiam cordis nostri, & discamus inimicos nostros diligere, eorũ dico naturã non vitiũ: iuxta quod Dauid ait, perfecto odio oderã illos. Perfectum odiũ est nõ naturã odisse, sed vitium. *Inimicos*, inquit, *crucis Christi*. Porrò inimici crucis Christi sunt, qui crucem Christi scandalum, vt Iudæi: vel stultitiam, vt Gentiles: opinãtur. Inimici etiam crucis Christi dici possunt, qui & si credunt Christi crucẽ, tamen eam ferre recusant. Quales, vnde dolẽdum est, sumus hodie nos, solo nomine Christiani, qui crucem prædicamus, & per crucem saluari volumus: & tamen crucem ferre nolumus, carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis non crucifigimus, non hîc amara pati, sed dulcia quærimus: non tristari, sed prosperari: Iniurias illatas patienter non ferimus, sed potius malum pro malo, maledictũ pro maledicto reddimus: Cùm Magister noster dicat, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me: Et qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet. *Quorum*, inquit, *finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt*. Ordo. Inimicos crucis, qui terrena sapiunt, quorum finis interitus, &c. Qui enim crucem Christi, vel non credunt, vel non portant, terrena sapiunt non cœlestia: & ideò illorũ finis est interitus. Non enim credunt resurrectionẽ, vel futurũ iudicium: sed finem hominum credunt esse interitum animarũ. Inquiunt enim, Quis est regressus ab inferis, qui nobis nuntiet aliam esse vitam? Moriuntur enim homines, nec resurgunt: sic fuit, sic erit semper: alij moriuntur, & alij nascuntur. Fallit nos litera, promittens nescio quæ bona futura. Sed certè stultum est perdere præsentia bona quæ videmus & tenemus, propter quædam bona fortè nunquam futura. Dum ergo viuimus, comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Quod, si quidam hoc verbis non dicant, tamen se ita credere operibus demonstrant: dum sola terrena quærunt & amant, gulæ & ventri satisfacientes. *Quorum*, inquit Apostolus, *Deus venter est*. Quod enim quis plus diligit, hoc se colere ostẽdit. Auarus colit nummũ pro Deo: luxuriosus Venerẽ: gulosus ventrẽ, & ebriosus vinũ. Nónne enim ventrẽ pro Deo colit, qui plus ventri quàm Deo obedit? qui plus pro ventre quàm pro Deo facit? qui frequentius

Psal. 138.

Mat. 16. *Luc.* 6.

Verba Atheorũ.

visitat coquinam q̃ ecclesiã? Qui plus delectatur in odore carnium quãm incensorum & orationum? Nos ergo fratres, hoc grande vitiũ fugiamus: non gulæ, sed naturæ satisfaciamus. Iuxta illud Philosophi, Sint epulæ vicisse famem. *Et gloria*, inquit, *in confusione eorum*: supple gloria quã nunc habent, erit in confusione. Gloria quippè quam nunc habent in pinguedine & nitore carnis, & abundãtia pulchrorũ & suauiũ, tunc erit in confusione eorum. Quo-
Sap. 5. niam iuxta librum sapientiæ dicturi sunt in inferno: Nos insensati vitam illorũ æstimabamus insaniam & ecce quomodo reputati sunt inter filios Dei: Errauimus, & Sol iustitiæ non illuxit nobis. Magna fratres, erit confusio reprobis, quãdo amissa gloria temporali, erunt inglorij: videntes super se cos honorari, quos habuerunt aliquando in derisum: quando eorũ omnia peccata, & omnes turpes cogitationes patebunt. Ordo etiã notandus est. Qui enim sunt inimici crucis Christi, sapiunt terrena: & ideo putant finem interitum: & ideò indulgent ventri, & gloriæ carnis, & ex his proueniet damnatio confusionis.

Sequitur pars tertia in qua ostendit Apostolus quò tendere, & quid sperare debeamus dicens, *Nostra autem conuersatio in cœlis est*: quasi diceret: Diligant alij terrena, sed nostra conuersatio spe in cœlis est. Si enim viri Christiani sumus, mente, ore, & opere, ad cœlũ tendimus: & ibi desiderio habitamus: Et quãuis ex necessitate aliquãdo tractemus terrena, tamẽ semper ad cœlestia mente reuertimur, & in eis cõuersamur. Per quẽ verò & quomodo ad ea peruenturi simus, ostẽdit subdẽs. *Saluatorẽ enim expectamus Dominũ nostrũ Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ*. Vtinã fratres, & nos cũ Apostolo hoc verè dicere possimus, quod Saluatorẽ nostrũ expectemus. Quid enim aliud est expectare quãm cum desiderio sperare? Expectãt ergo cum suspiriis Dominũ, qui sibi cõscij sunt hic toto corde eum diligere, eiusq́, mandata implere. Alij enim eum non expectant venturũ, sed timẽt. *Qui reformabit*, inquit, deformatũ propter peccata, *corpus*, ad primã, imò maiorẽ immortalitatem. Quia quod creatum fuit immortale, id est, potens nõ mori, fiet à Domino immortale, id est, non potẽs mori. Corpus dico, *humilitatis nostræ*, id est, quod modò

est

est vile, & expositum pœnæ & miseriæ: Vel causalis potest esse genitiuus: quia enim nunc nos sponte humiliamus, tunc glorificabimur. *Secundū potestatē, qua sibi subiicere potest omnia.* Qui enim in primo aduentu apparuit subiectus & humilis, in secundo aduentu apparebit habere potestatē tantā, quod possit subiicere sibi omnia, id est, cœlestia, terrestria, & inferna. Cœlestia restaurādo, terrestia glorificando, inferna damnādo. Subiectā quippè tunc ostēdet sibi vitā & mortē, vitā cōferendo & mortem destruendo.

Sequitur pars quarta, in qua hortatur Apost. ad perseuerantiam. Et quia exhortationem amici magis suscipimus, quàm alterius: ideò primò ostēdit affectū Apostolus quē habet erga filios prædicationis suæ. *Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meū & corona mea, sic state in Domino charissimi.* Fratres charissimos eos vocat, quoniā eos feruētissimè diligebat, non solùm propter naturam, sed propter fraternæ charitatis abundantiā, quæ in ipsis erat. Desideratissimos eos vocat, quoniā eorum profectū valdè desiderabat. Gaudiū suum eos vocat, quoniam bonum quod in eis erat, erat ei causa vnde ipse gaudebat. Coronam suam eos vocat, quoniam futuri erant ei causa coronæ. Sunt autē duo posteriora, causæ duorum præcedentium. Ideò enim eos charos habebat: quia erant ei causa gaudij. Ideò eorum profectum desiderabat, quia erant ei futuri causa coronæ. Proficiente quippè discipulo, crescit merces magistro. In Paulo discant pastores Ecclesiæ, quales debent erga subditos esse. Bonum eorum charissimè diligant, eorum profectum valde desiderent: de bono eorum valde gaudeant, profectum eorum coronā suam putent. Propterea in eorum correctionem, instructionem, & exhortationem, tanquā in propriæ coronæ acquisitione semper inuigilent. *Sic state*, inquit, *in Domino*, sic state, sicut & ego prædicaui vobis, sicut vos suscepistis, sicut & vos incepistis. State firmi, sicut stetit Moses corā Pharaone: Et sicut stetit Phinees rigidus inter fornicatores. State firmi, vt quadrus qui in quamcunque partem cadat, stabilis stat. Superbia non eleuet vos sursum: desperatio non absorbeat vos deorsum: ventus adulationis non moueat vos à dextris, nec ventus detractionis à sinistris. Retro non moueant vos occultæ tentationes, nec ante apertæ

per

persecutiones. Et hoc totũ non in vobis, sed in Domino, qui solus lapsos erigit, & erectos cõfirmat. *Euchodiã rogo*, inquit, *& Syntycem deprecor, idipsum sapere in Domino.* Hę duæ personæ, quia vel à cæteris, vel ab inuicẽ inde, vel charitate dissentiebãt, ideò monentur nominatim ab Apostolo, vt vnũ idẽ in fide, & charitate, & cum cæteris & inter se sentiant. Nullum quippè bonũ esse potest, vbi dissentio fidei charitatis est. Sequitur pars quinta, in qua monet vnãquãque personã nominatim, & in ea cæteras, vt auxiliũ ferant his qui in Euangelio laborant, dicens: *Rogo etiã & te Germane cõpar, adiuua illos qui mecũ laborauerunt in Euangelio, cum Clemẽte, & cæteris coadiutoribus meis.* Sanè cùm omnes in necessitatibus suis adiuuãdi sint, maximè ministri Christi & in ministerio Christi laborantes, & in cõmuni omniũ salute. Sunt enim prędicatores Euangelij ministri Christi. Et etiã Euangeliũ Christi ministeriũ est & prędicatio, cõmunis salus est. Illos ergo fratres mei, qui laborant cum Paulo, & ad similitudinem Pauli in Euangelio: vel prædicãdo, vel pro eo patiendo, maximè iuuare debetis, eos suscipiendo, & eis necessaria ministrãdo, defendendo & cõmendando. Si enim redemptor noster in quolibet paupere propter causam suscipi dicitur: maximè in ministris Christi & propter causam, & propter ministerium, & propter sanctitatẽ suscipitur. *Quorũ nomina sunt in libro vitæ*, per prædestinationem ascripta. Vos ergo fratres, qui nescitis prædicare vel docere, nec orationi, vel cõtemplationi, vel cæteris spiritualibus intẽdere, saltem eos qui hoc possunt iuuate, suscipite, & temporalibus beneficiis sustinete. Si non potestis esse in ecclesia Dei, vitis, vel oliua, vel ficus, per spiritualẽ fructificationẽ, saltem estote in ecclesia Dei vlmus, per spiritualiũ virorum sustentationẽ. Vt sicut hìc eorum coadiutores estis, ita & in futuro æternæ retributionis, cõparticipes esse mereamini. Quod concedat nobis vnus & verus Deus Pater, Filius & Spiritussanctus, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Nullũ bonũ vbi dissentio fidei & charitatis.

DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

Mat. 22. *Abeuntes Pharisæi consiliũ inierunt, vt caperent Iesum in sermone.* Duæ sunt partes huius Euãgelicæ lectionis, fratres chariss. primò enim malitia, versutiaq; Pharisæorũ demonstratur: secundò, quomodò à domino dissoluta

luta sit, aperitur. Primũ igitur malitia Phariſęorũ deſcribitur, cùm dicitur: *Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, etc.* Si omnes veterũ hiſtorias, & totũ mundanæ vitæ curſum cõſideremus, fratres mei, ſemper inueniemus quod falſitas perſequitur veritatẽ, malitia bonitatẽ, impietas pietatem. Et Deus cùm ſit omnipotẽs & iuſtus, quare hoc patitur? Vt mali exigẽtibus ſuis meritis fiant deteriores: & ſanctiores, iuxta illud Apocalypſeos, Iuſtũ eſt vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & iuſtũ eſt vt qui ſanctus eſt, ſanctificẽtur adhuc. Multæ enim tribulationes iuſtorũ, & de omnibus liberabit eos Dominus. Et ecõtrario, in inſidiis ſuis capientur iniqui. Et iterũ, Foderunt, inquit Propheta, ante faciẽ meam foueã, & inciderũt in eam. Ecce fratres, quomodo ab initio Cain perſequutus eſt fratrẽ ſuũ Abel, in eius gloriã & ſui confuſionẽ. Eſau perſequutus eſt fratrem ſuũ Iacob in eius gloriã & ſui confuſionẽ. Saul perſequutus eſt Dauid in eius gloriã, & ſui confuſionẽ. Idololatræ perſequuti ſunt Prophetas, in eorũ gloriã, & ſui confuſionẽ. Iudæi Chriſtũ, in eius gloriã & ſui confuſionem. Vnde & hic legitur, *quòd Phariſæi abeũtes, conſiliũ inierũt vt caperent Ieſum in ſermone.* Vnde abeũtes? vel quò euntes? A bonitate ad malitiã, à vero ad falſum: à conſilio iuſtorũ ad conſiliũ impiorũ. Et cùm beatus ſit vir, qui non abiit in cõſilio impiorũ, iſti econtra miſeri ſunt, quoniam abierũt in conſiliũ impiorũ. Ad quid? *Vt caperẽt Ieſum in ſermone.* Quia nec in vita, nec in moribus, nec in operibus eũ reprehẽdere poterãt, tentant, ſi vel in ſermone eũ capere poſſent. Sic fratres, adhuc quotidie mali bonis inſidiantur. Cũ enim pupullus, vel vidua, vel ſimplex aliquis adhuc catũ nõ habens in cauſa ſua, ſuã ſimpliciter loquitur veritatẽ, impij eis inſidiãtur: vt capiãt eos in ſermone, vt poſſint eos ſuis rebus ſpoliare. *Et mittunt*, inquit, *diſcipulos ſuos cũ Herodianis.* Quare ipſi non venerunt? Vt per alios malitiã exercentes, ipſi innoxij viderẽtur. Quare vel ſolos diſcipulos ſuos, vel ſolos Herodianos nõ mittũt? Vtroſq; mittunt, vt ſi timore mundanæ poteſtatis diceret contra legẽ, ab iſtis accuſaretur. Et ſi timore iſtorũ diceret contra ſecularẽ poteſtatẽ, ab illis teneretur. *Magiſter*, inquiũt, *ſcimus quia verax es, & viã Dei in veritate doces, & nõ eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum.*

Apoc. 22.

Apoc. 22.

Pſal. 35. Prou. 11. Pſal. 56.

Pſal. 1.

Non

Non ex corde, sed ex dolo, sic magisterium Christi laudãt: vt ita cum ad loquendum liberè pro lege cõtra secularem potestatem excitent, vt ita teneretur ab ea. Quamuis autem sinistra intentione, tamen sufficienter describunt magisterij perfectionem. In his quippè quatuor perfectio magistri continetur. Primò quòd sit verax in vitę puritate: secundò quod sit verax in legis eruditione: tertio quòd non sit ei cura de aliquo: id est, non sit sollicitus in curiositate rerum temporalium: quartò ne sit acceptor personarum. Sed fratres mei, pauci (vnde dolendum est) tenent hodie hanc magisterij perfectionem. Nam quidam, & si in se vitæ puritatem teneant ad exemplum, tamen non habent veritatem doctrinæ ad erudiendum. De quibus Propheta, Ipsi, inquit, sacerdotes ignorauerunt intelligentiam: qui
Mat.15. tamen quamuis in se purè viuant, tamen quia cæci in scripturis, cæcos ducere præsumunt, simul cum eis in foueam cadunt. Alij verò sunt, qui & si rectè docent, non tamen
Mat.23 rectè viuunt. De quibus Dominus, Dicunt enim & non faciunt. Tales, quod sine gemitu dicere nequeo, sumus nos hodie indigni prædicatores, qui vitia quæ voce damnamus, facere non erubescimus: similes candelæ ardenti, quæ alijs quidem ministrat lucis beneficium, sibi autẽ detrimentum. Alij autem sunt, qui & si in veritate, & viuere & docere videntur: tamen in hoc peccant, quod in rebus secularibus solliciti sunt magis quam deberent. Quales (vnde dolendum est) nos hodie sumus, qui orationi, lectioni, contemplationi, prædicationi, cæterisque spiritualibus studijs, vel paruam, vel nullam operã damus: & causis, negotijs, sollicitudinibusq; secularibus vacamus: non attendẽtes quod Dominus hanc sollicitudinẽ nobis pro-
Mat.6. hibeat, dicens: Nolite solliciti esse dicentes, quid mãducemus, &c. Et Apostolus, Victũ, inquit, & vestitũ habentes,
2.Tim.6 his contenti simus. Alij verò sunt, qui & si nec hoc, nec illo vitio tenentur, tamen acceptores sunt personarũ, dum palpant vel molliter, vel nunquã arguunt diuites. Et hoc propter timorem, vel propter fauorem. Vnde canes muti
Esa.56. non valentes latrare à Propheta vocãtur, & interim nimis purè corrigunt pauperes propter contemptũ. Vnde Do-
Ezech.34. minus per Prophetã, Cum austeritate, inquit, imperabatis & cum potentia. *Licet*, inquiunt, *censum dari Cæsari, an non?*

non? Cornuto sophismate intendunt capere Dominum. Tunc enim inter Iudæos super hoc erat cõtentio, aliis dicentibus tributa deberi Romanis, eò quòd pro pace & salute omnium militabant: Aliis tributa dari Cæsari prohibentibus: eò quod in lege soli Deo seruire, & ei primitias & decimas dare iubebantur. Si ergo affirmaret tributa deberi Cæsari, doctores de lege eum accusarent: Si verò negaret, Herodiani eum tenerent. Sed Christus cordium inspector, cognita eorum nequitia, ait, *Quid me tentatis hypocritæ*. Est autem hæc pars secunda, in qua Dominus eorum insidias dissoluit. Primò duplicitatem eorum arguendo, cũ dicit: *Quid me tentatis hypocritæ*? hypocritas enim eos vocat, quia in verbis ostendebant simplicitatem, & in corde tegebant duplicitatem. Sophisma eorum dissoluit, cùm subdit: *Ostẽdite*, inquit, *mihi numisma census*? *Et cũ obtulissent ei denarium: cuius est*, inquit, *imago hæc & superscriptio*? Interrogat autẽ quod sciebat, vt ex ipsa eorum responsione, eis concludat. *Dicunt ei, Cæsaris. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Ita responsum temperat: vt nec contra legem: nec cõtra secularem potestatem dicat. In quo præcipit quod tributa potestatibus reddi debẽt: sicut decimæ & oblationes Deo. Ipse quippè ordinauit potestates & iura regnorũ. Vnde & præcepit Samuẽli, vt diceret Israelitis iura regni. Quin ipse etiã cum Petro reddidit tributum Cæsari: cùm propter vitandum scandalum: tum propter exemplum: ostendens benè reddere eos qui debent, cùm ipse reddidit, qui non debebat. Et Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et alibi: Reddite cui honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Est enim officium iustitiæ, vnicuique quod suũ est, reddere: Deo religionem: sibi munditiam, parentibus honorem, familiaribus prouidentiam, filiis correctionem, fratribus amorem, dominis subiectionem, subiectis benignitatem, omnibus æquitatem. Cùm autem Cæsari sua reddimus propter Deum, in hoc etiam Deo reddimus sua, dum hoc facimus propter eius mandatum. Sicut verò Cæsari reddimus denariũ eius imaginem habentem: ita Deo debemus afferre & reddere animam nostram, ad eius imaginem & similitudinem factam. Sunt autem in denario tria imago & similitudo

Rom. 9. & 13.

Officium iustitiæ.

Re-

Regis, inscriptio nominis, forma rotūditatis. Anima quoque est ad imaginē & similitudinem Dei creata, nomine suo inscripta, vt a bono bona, a Christo Christiana: Iuxta illud, Habētes nomen eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Rotunda, id est, perfecta creata, videlicet sine fractura vitij: & sine flexura peccati. Vnde Propheta: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, Vultus Dei ratio est, per quam voluntas Dei cognoscitur: lumen, diuina gratia est, quam ratio illustrat. Hæc est signata super nos, quia quantò sumus puriores & sanctiores, tantò magis ratio illustratur, & Deo similiores efficimur. Vnde fratres, toto studio, totisque viribus ad hoc laboremus, vt imago & similitudo Dei in nobis per vitium deformata, per studium virtutum reformetur. Ac ipso in nobis operante, simus sancti: sicut ipse sanctus est: Veraces, sicut ipse verax est: misericordes, sicut ipse misericors est. Vt cum Psalmista dicamus, Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, vt tandem eam nobis facie ad faciem contemplari tu ipse concedas: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.


Apoc. 22.

Psal. 4.

Psal. 26.

FINIS.

ANTVERPIAE,
Typis Theodori Lyndani. 1571.



III

no · Scda
d illos q̄
qua reqm
amento ·
milr quo
mt ad ỹ
ūrin me
ceatum ·
w qđ
sit mor
ptum sit
ceptum
n ad sē
mor ale
n uero
atione
tus erat
e quam
ntatio
cerimo
n man
m aliq̄
uno · qe
annul
npreba
reum
utatiū
dnen do

mmme
Que
honora
pie sit o
nature
sed ee ro
quo ad t
Heb xij
hūmus
mum v
et filius
nature d
exhibuno
honous
nature
ſ. solam
opm · ex
rum · Ge
uenie n
in affcu e
do · In eſſ
obtempu
assurgen
endo ·
In re
et pret
dđ qđ sed
ꝓcipitur


24

